This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/


1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

BX
865
.H7

NON
CIRCULATING

Hoffmann, Christian Gottfried, ed.

NOVA SCRIPTORUM AC MONUMENTORUM

PARTIM RARISSIMORUM,
PARTIM INEDITORUM

COLLECTIO.

OPUS AD ILLUSTRANDAM HISTORIAM CIVILEM, ECCLESIASTICAM, LITTERARIAM, NEC NON JURISPRUDENTIAM PUBLICAM ET PRIVATAM CUM MAXIME COMPARATUM.

TOMUS II.

PRÆTER VARIA AD CÆREMONIARUM DISCIPLINAM PERTINENTIA
LIBRUM DIURNUM ROMANORUM PONTIFICUM
ET
AUGUSTINI PATRICII PICOLOMINEI,
EPISCOPI PIENTINI,
LIBRUM SACRARUM CÆREMONIARUM,
QUIBUS ROMANI PONTIFICES UTI CONSUEVERUNT,
EXHIBENS.

RECENSUIT
CHRIST. GODOFREDUS HOFFMANNUS,
JCT. REG. BOR. MAJ. CONSIL. INTIMUS, ET ORDIN. JURIDICI IN ACAD. FRANCOF. ORDINARII.

LIPSIÆ,
Sumptibus HÆRED. LANCKISIANORUM.
M DCC XXXIII.

Lib.
Roeder
2-5-41
41805

VIRO
ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO,
FRANCISCO MAURITIO à VIEBAHN,

S. REGIÆ MAJESTATIS PRUSSICÆ ADMINISTRO STATUS, RERUMQUE BELLI ET PACIS INTIMO, CAUSSARUM CRIMINALIUM AC GALLICARUM IN SUPREMO TRIBUNALI PRAESIDI PRIMO, EOQUE GENERALI REI MILITARIS JUDICI,

MAECENATI AC PROMOTORI SUO

SUBMISSE COLENDO

PERENNEM FELICITATEM!

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Excuſabit temeritatem, qua tenue hoc opuſculum TUO *ſubjicio conſpectui, inſignis illa ac celebrata humanitas, qua omnes literarum Cultores excipere ſoles: excuſabit eam ſingularis benignitas, qua me immerentem hactenus proſecutus es, cujusque tot luculenta ſpeci-*

ſpecimina expertus ſum. Equidem meæ ſatis conſcius mihi ſum tenuitatis, & quam exiguum ſit, quod offero, probe novi: ſed dabis hanc veniam homini, qui leve mavult, quam nullum pietatis ſuæ publicum proſtare documentum. Nec prorſus ingratum fore hoc opuſculum, vereor. Cum enim paucis abhinc menſibus Berolini ea fruerer felicitate, ut me ſumma, qua ſoles, benignitate ad TE *ſalutandum admitteres, prolata quædam ſunt de* CÆREMONIALI ROMANO, *cujus jam tum editionem meditabar. Ab eo tempore conſilium cepi, ut libro prelum exituro* TE *Patronum quærerem, quem alias literis ac ſtudiis meis faventisſimum Protectorem noveram. Patere igitur, ut* ILLUSTRISSIMO TUO NOMINI *inſcriptus rurſus prodeat. Patere, ut hac occaſione pietatis meæ officio defungar, i. e. ut publicam hanc pro ſalute* TUA *vovendi occaſionem arripiam. Quid enim optarem magis, quam ut* DEUS T. O. M. TE *diu*

 ſuper-

ſuperſtitem ac incolumem ſupereſſe jubeat? Ita voveo, ſi conſiderem, quanto ardore ac ſtudio publicæ rei florem ac commoda promoveas, quanta fide, dexteritate & prudentia rem POTENTISSIMI REGIS *geras, quanto præſidio bonæ ac juſtæ cauſæ aſſiſtas, quam certa ac conſtans illorum ſpes & expectatio ſit, qui in* TUA *gratia ac favore acquieſcunt, quibus me dignum quoque reddere omni tempore annitar,*

ILLUSTRISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI TUI NOMINIS

Dabam Francofurti, die 24. April. MDCCXXXIII.

Devotus ac perpetuus Cultor,

CHRIST. GODOF. HOFFMANNUS.

CHRI-

CHRISTIANUS GODOFREDUS HOFFMANNUS

LECTORI HUMANISSIMO

S. P. D.

BIennium pene effluxit, ex quo *Primum* præſentis Collectionis *Tomum* publicæ expoſui luci: jam alterum exhibeo Volumen, atque ut parem apud Lectorem gratiam ineat, precor. Miraberis forte, quod iterum in hoc Tomo maximam occupent partem ſcripta, quæ jam evulgata proſtant, & quod pauca ſint, quæ jam primum e MStis eruta producantur: ſed veniam facile dabis, ſi ſcriptorum, huic volumini inſertorum, & utilitatem & raritatem conſideraveris, quibus accedit, quod hi libri argumento prioris voluminis non inepte reſpondeant, & ampliſſimam Cæremoniarum materiam concernant, de qua in præcedenti Tomo verba feci. Nolui eam, quam tunc ingreſſus eram, viam deſerere, ac quam promiſeram novam CÆREMONIALIS ROMANI editionem longius differre. Non enim in revidendo hoc opere me inanem aut tibi ingratam operam me impendiſſe confido, cum neminem facile lateat, quantæ autoritatis olim in

Eccle-

Eccleſia, imo in Curiis Principum Chriſtianorum hi fuerint libelli, & quam uberem ac jucundam obſervationum materiam noſtro præbeant ſeculo, quod, licet pleroſque illorum morum exuerit, non levem tamen ex eorum recordatione ac contemplatione percipit delectationem. Sed non commendatione indigent libri, qui jam dudum Viris doctis cogniti, multorumque votis, antequam publici redderentur juris, expetiti fuerunt: Hinc libenter ea præterimus, inprimis cum, quæ adhuc dici poterant, in diſſertationem huic volumini præmiſſam conferre placuerit.

Interim, ne opineris, *Lector Benevole*, mihi jam ita promiſſis ſatisfeciſſe, perſuaſum eſſe. Sequetur brevi, ſi Deus vitam vireſque largitus fuerit, *Tomus* noſtræ Collectionis *Tertius*, in quo duo hactenus inedita *diplomataria* emittere conſtitui, quæ aliquam lucem Hiſtoriæ & Antiquitati Germanicæ pollicentur. Primum inſcribitur JOHANNIS de GEYLNHAUSEN, *Moguntinenſis, ſupremi Cancellariæ Imperialis Regiſtratoris*, COLLECTARIUS PERPETUARUM FORMARUM, in quo ingentem copiam diplomatum, imperante CAROLO IV. editorum, deprehendimus. Alterum non minorem numerum documentorum, ad Hiſtoriam BOHEMIÆ, MORAVIÆ, SILESIÆ atque LUSATIÆ pertinentium, repræſentabit. Sed non erimus in promiſſis prolixi, annitendum potius, ut illa citius exſolvantur. Interim his fruere, noſtriſque conatibus fave. Dabam *Francofurti ad Viadrum, die XXIV. Aprilis,* Anno MDCCXXXIII.

CHRIST.

CHRIST. GODOF. HOFFMANNI,

JCTI,

DISSERTATIO

DE

LIBRIS CÆREMONIARUM ET RITUUM ECCLESIÆ ET CURIÆ ROMANÆ,

ILLORUMQUE

USU ET AUTORITATE, NEC NON UTILITATE EX ILLORUM LECTIONE CAPIENDA.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

Cauſæ, cur duo ſcripta Cæremoniarum in hoc volumine conjuncta fuerint. §. I. *Copia ſcriptorum Cæremoniarum, eorumque diverſitas: varius rei Liturgicæ in Eccleſia ſtatus. Quid vocabulum Liturgiæ ſignificet. De Liturgiis Apoſtolorum. Scriptores huc pertinentes. De Liturgiis Eccleſiæ Occidentalis. Quando & quomodo Liturgia Romana in imperio Francico recepta fuerit: de introducto cantu Romano: an Antiphonarium Gregorio I. an II. debeatur? Quomodo Curia Romana jus definiendi ritus & cæremonias acquiſiverit. De origine Miſſalium, Breviariorum, Cæremonialis Epiſcoporum, Pontificalis, Ritualis Romani. De ſcriptis quibusdam particularibus. De congregatione Rituum in aula Romana inſtituta. De ſingularum Eccleſiarum libris ritualibus.* §. II. *De Natura Cæremoniarum & rituum interna, eorumque in negotia politica influxu.* §. III. *De libris Cæremoniarum Græcis, negotia politica attingentibus. De Euchologio. De Pontificali; de Georgii Codini Curopalatæ ſcriptis; de MSto Uffenbachiano hactenus inedito. De Ordinibus Romanis, illorumque variis editionibus.* §. IV. *De Libro Diurno, ſupplenda in ejus Hiſtoria. De ſuppreſſa prima Romana editione: de compilationibus formularum antiquo-novis, illarumque utilitate.* §. V. *Obſervationes variæ ex Libro diurno.* §. VI. *De Libris Cæremoniarum ac Rituum* Auguſtini Patricii. *De Diariis Curiæ Romanæ. Supplementa ad Paridis de Graſſis Diarium Curiæ Romanæ.* §. VII. *De contentis Libro Cæremoniarum. De Cæremoniali electionis Pontificiæ.* §. VIII. *de contentis Libri ſecundi. De Curiæ Romanæ poteſtate affectata in omnia regna & reſpublicas. De Notitia MSCti cujusdam, cenſus Curiæ Romanæ & ſimilia referentis.* §. IX. *De præſenti Libri Cæremoniarum nova editione.* §. X. *de Controverſia Principis Eggenbergici in curia Romana* §. XI. XII.

DISSERTATIO
DE
LIBRIS CÆREMONIARUM
ET RITUUM ECCLESIÆ
ET CURIÆ ROMANÆ

§. I.

PRimum in præſenti volumine locum LIBRO DIURNO ROMANORUM PONTIFICUM dedimus. De fatis libelli jam in diſſertatione præliminari ad PARIDIS GRASSI *Diarium Curiæ Romanæ*, quod præcedenti tomo exhibuimus, (a) actum: nec eſt, cur ea hic repetamus. Antiquiſſimum hoc Romanæ Curiæ monumentum, quod paulo poſt annum *decimum quartum Seculi octavi* conſcriptum fuiſſe docuit primus illius editor, (b) JOH. GARNERIUS, præmittendum eſſe nobis videbatur multo recentiori Scripto, nempe AUGUSTINI PATRICII PICOLOMINEI, Epiſcopi Pientini, *Libris Sacrarum Cæremoniarum*, qui ad Seculum XIV. ſpectant. Uterque liber pene in eodem verſatur argumento: utriusque collatio non paucis in locis demonſtrare poterit, quantum a prima ſimplicitate ac modeſtia ſequentia & recentiora receſſerint tempora, & quomodo quaſi per gradus ambitioſus Romanæ Curiæ ſplendor ad ſummum illud, ad quod pervenerat,

(a) Vide diſſertationem pag. 388.
(b) Vide infer. pag. 4. in præfatione ad *Librum diurnum*.

faſtigium aſcenderit. Sed hæc non ſola eſt utilitas, quam ex his ſimilibusque libris capere poſſumus, majora certe & graviora ex accuratiori illorum inſpectione naſcuntur commoda, cum & antiquitates Eccleſiaſticæ, canonici æque ac publici juris origines, & tota rituum diſciplina in innumeris pene capitibus lucem ex illis accipere queat. Idque in præſenti ulterius declarabimus.

§. II.

Innumerus fere eſt Scriptorum, qui de ritibus & Cæremoniis in Eccleſia uſitatis agunt, numerus, magna tamen inter illos obſervatur diverſitas, quæ vel a materia, vel a proponendi modo oritur. Sed nobis minime animus eſt, rerum iſtarum rationem hic inire, non ignari, ſe vaſto quaſi ac immenſo pelago immittere, qui vel tumultuariam ſcriptorum iſtorum recenſionem ſuſcipere vellet. Sunt alia in præſcribendis ritibus & Cæremoniis, unice ad cultum ſacrum pertinentibus, occupata: progrediuntur longius alia, miſcentque religioſis ritibus ſolennia, quæ certo modo ad res ſeculares & civiles pertinere videntur. Scripta prioris generis proprie ad REM LITURGICAM (c) referuntur, quæ conſiderari poteſt, prout primis Eccleſiæ ſeculis fuit comparata, (d) quid

(c) Vocabulum *Liturgiæ* in ſenſu ſpeciali denotat illud tantum *miniſterium, quod circa ſacram peragitur menſam*; ſeu *circa S. Cœnæ celebrationem. v. Nov.* JUST. VII. *cap. XI.* CASAUBON. *in exercit. Anti-Baroniana XVI. ſect. XLI. & XLII.* In generaliori vero ſignificatione *ad omnes ſacerdotii functiones*, imo ad totum *Sacrum cultum* transfertur, quod pluribus teſtimoniis confirmat SVICER. *in thes. Eccleſiaſt. pag. 219.* Et in ea generaliori notione vocabulum LITURGIÆ hoc loco accipimus.

(d) Circumferuntur quidem ſub Apoſtolorum, Apoſtolicorumque Virorum, PETRI, JACOBI, MATTHÆI, MARCI, BAR-

quid, diviſa poſtea Eccleſia in orientalem & occidentalem, in utraque obſervatum, (e) quid Romanæ Eccleſiæ placuerit, (f) quæ ſibi ſenſim ſummum rerum harum magiſterium

b 3 arroga-

BARNABÆ, CLEMENTIS aliorumque nominibus Liturgiæ, ſed perperam Viris illis ſanctis adſcribi, docuerunt NATAL. ALEXANDER *hiſtor. Eccleſ. Novi Teſt. Sec. I. cap. XII. art. III. p. 39.* LUD. ELLIES DU PIN. *nov. biblioth. ſcriptor. Eccleſ. tom. I. p. 8. & 9.* EUSEB. RENAUDOT *in diſſertat. de liturgiarum orientalium origine & auctoritate cap. 4. & 5.* THOM. ITTIGIUS in diſſert. *de pſeudepior. Chriſti & Apoſtol. cap. XIII. p. 222.* item. *Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Seculi I. cap. I. § 5. 9. 11. 15.* JOH. ALB. FABRICIUS *in codice apocrypho Novi Teſtam. p. 314. & 315.*

(e) Notitiam horum ſcriptorum comparare poteris ex Theologi Tubingenſis Celeberrimi, Dn. CHRIST. MATTH. PFAFFII diſſertatione: *de Liturgiis, Miſſalibus, Agendis & libris eccleſiaſticis Eccleſiæ orientalis & occidentalis, veteris & moderna,* habita Tubingæ 1718. De Græcorum libris Eccleſiaſticis egit LEO ALLATIUS, cujus duas *de libris Eccleſiaſticis Græcorum* diſſertationes, Pariſiis 1646. editas, additis notis, ſupplemento & indice atque elencho alphabetico melodorum græcorum locupletiores, *Tomo quinto Bibliothecæ Græcæ* recudi fecit JOH. ALB. FABRICIUS: Idem pene inſtitutum tenuit GUIL. CAVE, cujus diſſertatio *de libris & officiis Eccleſiaſticis Græcorum,* inter tres illas diſſertationes, quæ hiſtoriæ ejus literariæ adnexæ ſunt, ſecundo legitur loco. Indicem omnium hujus generis ſcriptorum perfectiſſimum exhibuit Vir longe eruditiſſimus, Dn. JOH. ALB. FABRICIUS, *Volumine XIII. Bibliothecæ Græcæ pag. 814. ſeqq. & Biblioth. antiquariæ Cap. IV. § 3.* quibus addi debet B. JOH. AND. SCHMIDII *diſſ. de lectionariis orientalis & occidentalis Eccleſiæ.* Helm. 1703.

(f) Variæ in occidentali Eccleſia invaluerunt Liturgiæ, quarum præcipuæ fuerunt ROMANA, AMBROSIANA ſive MEDIOLANENSIS, GALLICANA & HISPANICA

quam

quam ſecuti ſunt apud Hiſpanos Chriſtiani, Arabibus permiſti, ob id MOZARABICA appellata, AFRICANA & HIBERNICA, de quibus legi meretur MABILLON *de Liturgia Gallicana Lib. I. cap. II.* ROMANÆ tres quaſi periodos conſtituit laudatus MABILLONIUS loco citato §. 4. Unam primigeniam ab Eccleſiæ naſcentis exordio ad GELASIUM uſque receptam: alteram GELASIANAM, quæ autorem ſeu amplificatorem habuit GELASIUM Papam, ejus nominis primum. Hanc diu deſideratam primus eruiſſe JOSEPHUS MARIA TOMMASIUS, Congregat. Clericor. Regular. Presbyter. editis *Codicibus Sacramentorum nongentis annis vetuſtioribus, nimirum libris III. Sacramentorum Romanæ Eccleſiæ, Miſſali Gothico ſive Gallicano, Miſſali Francorum & Miſſali Gallico, Romæ anno 1680.* videbatur: ſed evicit JAC. BASNAGE *Hiſtoire de l' Egliſe T. 2. lib. 16. c. 10. pag. 948.* eam recentioris ævi, & forte ſeculi X. fœtum eſſe, idque novo & graviſſimo argumento adſtruxit PFAFFIUS laudata diſſertatione *cap. II. §. 4. lit. p.* Tertia denique GREGORIANA, ex nomine GREGORII M. dicta, quam uno volumine coarctatam LIBRUM SACRAMENTORUM appellavit. Optima ejus editio cum notis eruditiſſimis HUGONIS MENARDI Pariſiis, A. MDCXLII. prodiit, & cum iisdem notis Operum *tomo tertio*, Pariſiis anno MDCCV. evulgatorum, inſerta fuit. Cæterum neminem latet, Romanos Pontifices jam ab antiquiſſimis temporibus, ut alias omnes Eccleſias ad unum cum Romana concentum adducerent, ſummo ſtudio annixos eſſe. Cantum Romanum PIPINUS in Gallicanas Eccleſias induxit, ut docet PAULUS in Epiſtola ad PIPINUM, cui *Antiphonale* & *Reſponſale* miſit. Directi ab eodem Principe adoleſcentes, qui Romanum cantum addiſcerent. Inhæſit Patris veſtigiis CAROLUS M. qui cantum Romanum in Eccleſia Francica adhiberi variis edictis juſſit. Narrat hæc late MONACHUS EGOLISMENSIS *in Vita* CAROLI M. *In ſolennitatibus*, inquit, *feſti Paſchalis orta eſt contentio inter Cantores Romanorum & Gallorum. Dicebant Galli, ſe melius cantare & pulchrius quam Romani. Dicebant Romani, ſe doctiſſime cantilenas Eccleſiaſticas proferre, ſicut docti fuerant a S.*

Grego-

Gregorio Papa. Gallos corrupte cantare, & cantilenam ſanam deſtruendo dilacerare. Quæ contentio ante Domnum Regem Carolum pervenit. Galli vero propter ſecuritatem Domini Regis Caroli valde exprobrabant Cantoribus Romanis. Romani vero propter autoritatem magnæ doctrinæ eos ſtultos, ruſticos & indoctos, velut bruta animalia affirmabant, & doctrinam S. Gregorii præferebant ruſticitati eorum. Et cum altercatio de neutra parte finiret, ait Domnus piiſſimus Rex Carolus ad ſuos cantores: Dicite palam, quis purior eſt & quis melior, an fons vivus? aut ejus rivuli longe decurrentes? Reſponderunt omnes una voce, fontem velut caput & originem puriorem eſſe: Rivulos autem ejus, quanto latius a fonte receſſerint, tanto turbulentius, & ſordibus ac immunditiis corruptos. Et ait Domnus Rex Carolus: Revertimini vos ad fontem S. Gregorii, quia manifeſte corrupiſtis cantilenam Eccleſiaſticam. Mox petiit Domnus Rex CAROLUS *ab* ADRIANO *Papa Cantores, qui Franciam corrigerent de cantu. At ille dedit ei* THEODORUM & BENEDICTUM, *Romanæ Eccleſiæ doctiſſimos* Cantores, qui a S. Gregorio *eruditi fuerunt, tribuitque Antiphonarios S. Gregorii, quos ipſe notaverat nota Romana. Domnus vero Rex Carolus revertens in Franciam, miſit unum Cantorem* METIS *civitate, alterum in* SUESSIONIS *civitate: præcipiens de omnibus civitatibus Franciæ Magiſtris ſcholæ Antiphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis diſcere cantare. Correcti ergo ſunt Antiphonarii Francorum, quos unusquisque pro ſuo arbitrio vitiaverat, addens vel minuens, & omnes Franciæ Cantores didicerunt* NOTAM ROMANAM, *quam nunc vocant* NOTAM FRANCISCAM: *excepto, quod tremulas & tinnulas, ſive colliſibiles vel ſecabiles voces in cantu non poterant perfecte exprimere Franci, naturali voce barbarica frangentes in gutture voces potius, quam exprimentes. Majus autem magiſterium cantandi in Metis civitate remanſit. Quantumque magiſterium Romanum ſuperat Metenſe in arte cantilena, tanto ſuperat Metenſis cantilena ceteras ſcholas Gallorum.* Conjecit ex hoc loco ECCARDUS *rerum Francicarum lib. XXV. §. XII. pag. 717.* Antiphonarii Autorem non fuiſſe GREGORIUM M. ſed GREGORIUM II. Papam, qui ab anno DCCXV. usque ad annum DCCXXXI. Eccleſiæ Romanæ præfuit.

Sed

arrogavit, (g) quid in Eccleſiis particularibus uſu & obſervantia

Sed cum communis traditio GREGORIUM M. primum Antiphonarii Autorem faciat, teſte JOH. DIACONO *in ejus vita*, hanc conjecturam in medio relinquimus. Non eadem dubitandi ratio de recepto in Eccleſias Francicas Sacramentario GREGORII M. ſupereſt. Tranſmiſſum illud ab HADRIANO Pontifice CAROLO M. teſtatur ejus epiſtola ad CAROLUM directa, quæ in *Volumine Epiſtolarum Pontificum ab ipſo Carolo collectarum* numero LXXXII. legitur. Scribit in ea Pontifex: *De* SACRAMENTARIO *vero a ſancto Prædeceſſore noſtro, Deifluo* GREGORIO *Papa diſpoſito, jam pridem* PAULUS *Grammaticus a nobis eum pro vobis petiit, & ſecundum ſancta noſtra Eccleſia traditionem &* JOHANNEM *Monachum atque Abbatem civitatis Revennatium veſtra regalia emiſimus Excellentia*, vid. GRETSER. *in epiſt. Pontif. pag. 270.* Inde forte manavit CAROLI M. *Conſtitutio de emendatione Librorum & Officiorum Eccleſiaſticorum*, quæ apud BALUZ. *Tom. I. Capitular. Reg. Francor. pag. 203.* legitur: eoque referendum *cap. CCCLXXI. Capitul. libri V. Ut unusquisque Presbyter Miſſam ordine Romano cum ſandaliis celebret.* Ipſe SACRAMENTORUM liber citatur CAPITUL. *lib. V. cap. 116. Lib. VII. cap. 202.*

(g) Quanto ſtudio, quantisque artificiis Curia Romana jus deſiniendi ritus & Cæremonias in Eccleſia ſibi acquirere ſtuduerit, patet ex doctrinis, quibus homines olim imbuebantur. Ita Eccleſia Romana dicebatur Sola Apoſtolica *Diſt. 21. cap. Cler.* Mater omnium Eccleſiarum *Diſt. 12. cap. non decet:* Magiſtra omnium Eccleſiarum *Diſt. 21. cap. denique. & c. 3. X. de conſuet.* Eccleſiæ Romanæ ſubditæ ſunt omnes aliæ, etiam patriarchales *Diſt. 24. qu. 1. cap. Rogamus.* Eſt cuſtos paternarum traditionum JULIUS I. *epiſt. 3. cap. 35.* Speculum omnium aliarum GREGOR. VII. *epiſt. lib. 3. epiſt. 11.* non docet nova, ſed antiqua *Diſt. 12. cap. Præceptis.* Ejus conſuetudines ac diſciplinam omnes tenentur ſequi *Diſt. 19. cap. Ita Dominus.* Quid ex his

his principiis facilius erui potuit, quam *Ritus Eccleſiæ Romanæ ab omnibus obſervandos?* GELAS. *epiſt. 9.* Cumque ritus & cæremoniæ maximam religionis facerent partem, facile ſuſpicari licet, quam late ſe illa rituum & cæremoniarum diſciplina extenderit, & quam arcano conſilio per eam tacitum aliquod imperium introduci potuerit. Inde non mirandum, quod Romana Curia, jam imperio aſſueta, tot rituum & Cæremoniarum libros produxerit, & legum inſtar, emiſſis in omnem Eccleſiam edictis, promulgaverit. Prolixum nimis foret, id per omnes Eccleſiæ Romanæ libros demonſtrare: operæ tamen pretium erit unum alterumve exemplum adducere. Primum inter libros illos locum habet MISSALE ROMANUM, quod ex decreto Concilii Tridentini, juſſu Pii V. Pontificis, autoribus ÆGIDIO TOSCANO, LEONARDO MARINO & FRANCISCO FERERIO emendatum, rurſus ſub CLEMENTE VIII. recognitum, hodie proſtat. BREVIARIA ROMANA notiſſima ſunt, quorum origines nonnulli ab INNOCENTII III. temporibus repetunt: Illis enim condendis officium in Capella Lateranenſis Palatii compendioſius præ cæteris urbis Eccleſiis recitatum, & tunc temporis *Officium Capellare* appellatum, occaſionem dediſſe creditur, MACRUM *in Hierolexico pag. 89.* Reſtitutum fuit BREVIARIUM ROMANUM ex mente Concilii Tridentini, autoritate Pii V. qui etiam ſpeciali bulla An. MDLXVIII. data, abolevit: *quæcunque alia breviaria, vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus promulgata, omnemque illorum uſum de omnibus Orbis Eccleſiis, monaſteriis, conventibus, militiis, ordinibus &c. exceptis tantum iis, quæ ab ipſa prima inſtitutione a ſede Apoſtolica approbata, vel conſuetudine, vel quæ ipſa inſtitutio ducentos annos antecedat, aliis certis breviariis uſu fuiſſe conſtiterit.* v. BULLAR. MAGNUM *Tom. II. pag. 278.* Similem conſtitutionem A. MDCII. edidit CLEMENS VIII. in qua de uſu & præſtantia Breviarii Romani præfatus, *ut Deus in Eccleſia per univerſum orbem diffuſa, uno & eodem orandi & pſallendi ordine a Chriſti fidelibus ſemper laudetur & invocetur*, denuo recogniti Breviarii autoritatem graviſſima ſanctione munivit, v. BULLAR. *Tom. III. p. 150.* Succeſſerunt aliæ & recentiores

conſtitutiones URBANI VIII. de An. MDCXXXI. nec non *Decretum* CONGREGATIONIS S. RITUUM, quo inter alia declaratur: *non potuiſſe poſt Bullam* PII V. *de Breviario Romano, neque poſſe, locorum Ordinarios tam ſeculares, quam regulares, addere Kalendariis etiam propriis Sanctorum officia, niſi ea duntaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel ſacra rituum congregationis ſeu ſedis Apoſtolicæ licentia conceduntur, neque propria autoritate, quovis prætextu mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum: neque extendere officia de loco ad locum.* Cæterum in Pontificum arbitrio hactenus acquievit, officia Breviarii augere, cujus noviſſimum exemplum ætate noſtra vidimus, cum BENEDICTUS XIII. *officium S. Gregorii VII.* jam die 19. Aug. 1719. cum lectionibus ſecundi Noct. & Oratione propriis pro univerſo Ordine Benedictino reviſum & approbatum, nunc ab omnibus Chriſti fidelibus utriusque ſexus tam ſecularibus, quam regularibus die *25. Maji* ſub ritu duplici recitari, & in Breviario ac Miſſali Romano die *25. Sept.* MDCCXXVIII. apponi juberet, vid. BIBLIOT. ITALIQUE *Tom. VI. p. 205.* quamvis illis lectionibus varia continerentur in manifeſtam Imperatoris HENRICI IV. injuriam cedentia, prout ex ſequentibus, quæ *Lectione V.* leguntur, verbis conſtat: *Aliquot Provincias a ſimoniaca labe expurgavit. Contra* HENRICI *Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta & impavidus permanſit, ſeque pro muro domus Iſrael ponere non timuit, ac eundem* HENRICUM, *in profundum malorum prolapſum, fidelium communione, regnoque privavit, atque ſubditos populos fide ei data liberavit.* Breviaria exceperunt CÆREMONIALIA, inter quæ PONTIFICALE ROMANUM primo loco nominandum eſt, officia Epiſcoporum in inveſtituris, conſecrationibus, benedictionibus &c. uſurpanda exhibens, juſſu INNOCENTII VIII. CLEMENTIS VIII. URBANI VIII. recognitum, ſæpius recuſum fuit. De eo quædam *Tomo primo monumentorum pag. 507.* diximus. Officia Epiſcoporum, quæ ad ritus Miſſarum, Veſperarum, divinorum officiorum, aliarumque Eccleſiæ functionum ab Epiſcopis ac aliis Prælatis inferioribus obſervandos pertinent, tradit CÆREMONIALE EPISCO-

SCO

SCOPORUM. Reviſum illud fuit autoritate CLEMENTIS VIII. atque ſolenni bulla a. MDC. promulgatum, qua decrevit, *ut, qui in Romana Curia ſunt præſentes, lapſis duobus menſibus, qui vero ultra montes, octo, & qui ultra ubique locorum degunt, duodecim integre excurſis, vel alias ubi venalium hujus Ceremonialis voluminum notitiam & facultatem habuerint, Ceremonias & ritus in eodem Ceremoniali præſcriptos, juxta illius modum & normam, in quibuscunque actibus exercere & obſervare teneantur*. Sed novam ſub INNOCENTIO X. correctionem ſubiit liber, prout ex Bulla, qua reformatum hoc Cæremoniale, univerſali, ut loquitur, Eccleſiæ a. MDCL. obtulit, cognoſcimus. His denique acceſſit RITUALE ROMANUM, juſſu PAULI V. a nonnullis Cardinalibus, inprimis JULIO ANTONIO, S. R. E. *Cardinali Sanctæ Severinæ* nuncupato, anno MDCXIV. productum, in quo ritus in Sacramentorum adminiſtratione, aliisque eccleſiaſticis functionibus ab iis, qui animarum curam gerunt, obſervandi recenſentur: cujus noviſſima & ſplendidiſſima editio anno MDCCXXVI. *Urbini prodiit*. Hique ſunt inſigniores & noviſſimi Cæremoniarum libri, qui ſub Romanæ Eccleſiæ elogio prodierunt, magnamque in ea autoritatem habent. Silentio præterimus minores compilationes, vel ex majoribus operibus factæ, vel ad ſpeciales actus & negotia referendæ, in quorum numero ſunt BENEDICTIONALIA, SACERDOTALIA, PASTORALIA, PROCESSIONALIA, POENITENTIALIA & ſimiles. Dantur etiam a privatis ex propria obſervatione & ſtudio conſcripti Cæremoniarum libri, nunquam publica autoritate donati, inter quos PARIDIS CRASSI, *Bononienſis, tractatus de Ceremoniis Cardinalium & Epiſcoporum in eorum Diœceſibus, Romæ 1587.* editus, & NICOL. de BRALION *Ceremoniale Canonicorum, Pariſ. 1675.* impreſſus, notari merentur. Mittimus alios, qui proprie in hunc cenſum non referendi: cum nunquam ſolenniter approbati aut recepti legantur, quamvis res ipſa loquatur, pleroſque horum Scriptorum praxin Curiæ & Eccleſiæ Romanæ ante oculos habuiſſe. Cæterum Romana Curia probe gnara, quantum in his poteſtatis reſideat, tenaciſſima ſemper hujus juris fuit, eumque in finem SIXTUS V. celebrem

vantia introductum, (h) quid in illis rebus antiquitatem ſapiat, quid recentiori ævo immutatum aut additum, & tandem,

illam pro ſacris ritibus & cæremoniis Congregationem inſtituit, cujus munera definivit Bulla Sixti V. anno MDLXXXVIII. edita, & *Tom. III.* BULLARII MAGNI *p. 669.* inſerta, quæ in hunc modum diſponit: *Quinque itidem Cardinales delegimus, quibus hæc præcipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus ſacri ubivis locorum, in omnibus Urbis, orbisque Eccleſiis, etiam in capella noſtra Pontificia, in Miſſis, divinis officiis, Sacramentorum adminiſtratione, cæterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis perſonis diligenter obſerventur, Cæremoniæ ſi exoleverint, reſtituantur, ſi depravatæ fuerint, reformentur, libros de ſacris Cæremoniis, imprimis Pontificale, Rituale Cæremoniale, prout opus fuerit, reforment & emendent, officia divina de ſanctis Patronis examinent, & Nobis prius conſultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem, feſtorumque dierum celebritatem, ut omnia rite & recte, & ex Patrum traditione fiant, & ut Reges & Principes, eorumque Oratores, aliæque perſonæ etiam Eccleſiaſticæ ad Urbem Curiamque Romanam venientes, pro Sedis Apoſtolicæ dignitate ac benignitate honorifice more majorum excipiantur, cogitationem ſuſcipiant, ſeduloque provideant: Controverſias de præcedentia in proceſſionibus, aut alibi, cæteraſque in hujusmodi ſacris ritibus & Cæremoniis incidentes difficultates cognoſcant, ſummarie terminent & componant.* Hæc inclytæ Congregationis fuerunt initia, de qua legi etiam poterunt CARDINALIS LUCA *in relatione Romana Curiæ, diſcurſu XVIII.* JAC. COHELLIUS *in notitia Cardinalatus, cap. XV. p. 54.* LUNADORO *relatione della corte di Roma pag. 51.*

(h) Teſtantur illud pene innumeri libri rituum & cæremoniarum, in particularibus Eccleſiis recepti, certiſſimo argumento, olim Romanæ Curiæ uſum non apud omnes legis inſtar obſervatum fuiſſe. In Francico imperio, ante introductum in ſacris ordinem Romanum, peculiares ritus viguiſſe, communis eſt traditio, quamvis ſub judice lis ſit, utrum quævis Eccleſia ſuo vixerit ritu, propriosque

dem, quæ in PROTESTANTIUM ECCLESIIS de LITURGIA invaluerint ſententiæ atque opiniones. Aperiunt hæc ampliſſimum exſpatiandi campum; quem tamen jam ingredi, a ſcopo noſtro alienum. Excuſſerunt hanc materiam non pauci Virorum Doctorum, qui partim ſcripta ad illam rituum & cæremoniarum diſciplinam pertinentia recenſuerunt, partim etiam in ipſorum rituum & cæremoniarum receſſus atque myſteria multo ſtudio inquiſiverunt, quos conſulere poterunt, qui de his materiis inſtrui cupiunt.

§. III.

Sed ea Theologis, rerumque harum peritis examinanda relinquimus, ad id nos convertentes, quod in hac rituum & cæremoniarum diſciplina, ad ſtatum ſecularem, ut ita loqui liceat, referri poteſt. Qui enim vel obiter rituum atque cæremoniarum volumina inſpexerit, aut levem rerum illarum notitiam ſibi acquiſiverit, fatebitur, non pauca in illis inveniri, quæ prætextum religionis quidem præ ſe ferant, re ipſa vero ad cauſas & negotia pertineant, quibus proprie nullus eſt cum religionis myſteriis nexus. Neque mirandum,

que habuerit libros, an communis & univerſalis quædam obtinuerit Liturgia. Primus Miſſam antiquam in Francia receptam, priusquam Ordo Romanus introduceretur, ſibi inveniſſe viſus eſt MATTHIAS FLACIUS Illyricus, qui & eandem anno MDLVII. Argentinæ edidit, ſub titulo: *Miſſa latina, quæ olim ante Romanam circa ſeptingenteſimum Domini annum in uſu fuit; bona fide ex pervetuſto authenticoque Codice deſcripta &c.* v. MABILLON. *de liturgia Gallicana lib. 1. cap. III. §. IV. p. 17.* qui miſſam illam particularem fuiſſe & ad uſum monaſteri *S. Petri Hornbacenſis* concinnatam. Aliam produxit JOSEPHUS MARIA TOMMASIUS, Romæ Anno MDCLXXX. iterumque aliam JOAN. MABILLONIUS in opere, quod inſcripſit: *De Liturgia Gallicana libri III. Paris. MDCLXXXV. & MDCCXXIX.*

dum, quod hæc, quæ diverſiſſimæ ſunt naturæ, miſceri potuerint. Nam ex quo in Republica Chriſtiana perſonis quibusdam non tantum character quidam ſingularis, ſed vel ipſa ſanctitas & divinæ quaſi qualitates tributæ fuerunt: factum eſt, ut vel omnia negotia, quæ cum perſonis illis geruntur, & in quibus illorum præſentia ex antiqua traditione requiritur, ad religionem accedere credantur. Quem latet, hanc Curiæ Romanæ ſemper doctrinam fuiſſe? & ſi quis ignoraret, de ea non luculentius, quam ex libris rituum & cæremoniarum convinci poſſet, iis inprimis, quos præſenti volumine recenſuimus. Quid, inquam, ſedem Pontificiam ad tantum evexit ſplendorem, ut a ſummis Principibus vel tenuia miniſteria acceptare, & paulo poſt exigere non erubuerit? Quid quaſi arbitrium circa dignitates, prærogativas, imo ſanctiſſima Imperii jura in Pontificum manus devolvit, & per aliquot ſecula iis uſurpandum induſit? Quid inaugurationum, coronationum, ſimiliumque ſupremæ poteſtatis transferendæ inſignium adminiſtrationem in Clericorum manus mancipavit? Nonne hæc omnia præmiſſis innituntur principiis, & ad communem de Religione præconceptam recurrunt opinionem. Igitur quam maxime cauſa Curiæ Romanæ in ritibus atque cæremoniis olim receptis hodie defendendis verſatur. Hinc non miramur, quod AUTOR *hiſtoricæ narrationis litis cum Legato Cæſareo, Principe* EGGENBERGIO, *ob neglectos quosdam honores ortæ*, quam *pag.* 743. præſentis collectionis exhibuimus, internam mentis ſuæ ſententiam exponens, aperte afferat, CÆREMONIALE ROMANUM inſtar EVANGELII eſſe debere, quamvis quæſtio in eo tantum acquieſceret: *an Cardinales ipſi, an illorum familiæ, Legato adventanti obviam procedere debeant? & an Legato Cæſareo in præſentia Pontificis & Cardinalium ſella ad ſedendum exhiberi potuerit?*

§. IV.

§. IV.

Patet inde, cur, & quomodo in libros rituum & Cæremoniarum Eccleſiaſticos tot tranſierint actus, qui in ſe ſpectati nihil aut parum ad religionem pertinent. Tales libros habuit & ECCLESIA ORIENTALIS (i) & ECCLESIA

(i) In EUCHOLOGIO ſive RITUALI GRÆCORUM, cujus optimam editionem JACOBO GOAR, *Pariſino Theologo*, debemus, nuper anno MDCCXXX. *Venetiis* in typographia *Bartholomæi Javarinæ* recuſam, ſingularia quædam de coronationibus, unctionibus, inſignibus veſtibusque Imperatorum legimus. Plura huc ſpectantia continentur LIBRO PONTIFICALI ECCLESIÆ GRÆCÆ, quod cura ISAACI HABERTI, *Epiſcopi Vabrenſis, Doctoris Sorbonici*, prodiit Pariſiis anno MDCLXXVI. in quo electio & inveſtitura Patriarchæ, Ordinationes Metropolitanorum, Conſecrationes Epiſcoporum, Coronationes Imperatorum late deſcribuntur, additis variis literarum Patriarchalium & Pontificiarum formulis. Magis huc facit GEORGII CODINI CUROPALATÆ *de Officialibus Palatii Conſtantinopolitani & de officiis Magnæ Eccleſiæ*, liber, qui primum a FR. JUNIO, Lugduni a 1588. editus, poſtea *ex verſione* P. JAC. GRETSERI, *cum ejuſdem in Codinum commentariorum libris tribus, & de imaginibus non manufactis Opere, Pariſ. 1625.* ex officina *Seb. Cramoiſii* emendatior & auctior prodiit, denique opera JAC. GOAR, in ſplendidiſſima Pariſienſi editione a. 1648. pleniſſimæ luci reſtitutus eſt. In eo invenimus Catalogum officiorum & officialium magnæ Eccleſiæ, diſcurſum de ſingulis dignitatum & officiorum veſtibus, de miniſteriis ſingulis officiis incumbentibus, de ſacrorum feſtorum ordine & ritibus in eisdem obſervandis, de Menſa Imperatoris, de Coronatione Imperatoris, de Creatione Deſpotæ, de Sebaſtocratoris & Cæſaris, de electione & inauguratione Patriarchæ aliorumque Patriarcharum & Epiſcoporum, de lugubribus Imperatoris geſtaminibus, de futura ſponſa & Imperatrice. In fine acceſſerunt formulæ, quomodo Conſtantino-

SIA OCCIDENTALIS. De poſterioribus nobis hoc loco ſermo eſt, prioris generis ſcriptis aliorum inquiſitioni relictis. Sunt vero illi, qui Curiæ Romanæ ritus & cæremonias explicantes, quædam de politico & civili Pontificiæ ſedis ſtatu, aut aliis negotiis, proprie fidei & religionis capita haud attingentibus, protulerunt, nempe ORDINES ANTIQUI ROMANI, (k) PONTIFICALE ROMANUM,

tinopolitanus Patriarcha ad Papam, reliquos Patriarchas & Archiepiſcopos, ſed & Metropolitas, cunctosque ſeculares dignitates moderantes nunc ſcribat. Ineditum adhuc latet CÆREMONIALE CONSTANTINOPOLITANUM, quod hactenus Bibliotheca Viri illuſtris D. ZACH. CONR. AB UFFENBACH. aſſervavit, cujusque deſcriptionem accuratiorem dedit D. JO. ALB. FABRICIUS *Biblioth. Græca Vol. VI. pag. 599.* omnibus editionem præſtantiſſimi operis avide expectantibus.

(k) ORDO ROMANUS dicebatur liber, in quo ritus Eccleſiæ Romanæ conſignati erant. Diverſi fuerunt libelli hoc titulo inſigniti, prout docuit MABILLON: *Comment. in Ordinem Romanum pag 8.* Quædam de variis horum librorum editionibus delibavimus *præcedentis Voluminis pag. 392.* paucis jam ſupplenda. Produxit primus Ordinem Romanum GEORGIUS CASSANDER, *Colon 1559. 8.* recuſus in ejus Operibus, Pariſ. 1616. junctim editis, *pag. 97.* Excepit illum MELCHIOR HITTORPIUS, qui libros *de divinis Catholicæ Eccleſiæ Officiis ac Miniſteriis*, Coloniæ an. 1568. evulgavit. Secuta eſt *Hittorpianæ Collectionis* editio Romana an. 1591. & Pariſienſis an. 1610. in quibus acceſſerunt PETRI DAMIANI liber, qui inſcribitur: *Dominus vobiſcum:* RUPERTI *Tuitienſis* de divinis officiis libri XII. PETRI *Cluniacenſis* nucleus de ſacrificio Miſſæ: HONORII *Auguſtodunenſis* Gemma animæ, libris quatuor: HUGONIS *de* S. VICTORE ſpeculum de myſteriis Eccleſiæ: EJUSD. libri III. de Cæremoniis, Sacramentis, Officiis & Obſervationibus eccleſiaſticis, & in Canonem

nem Miſſæ libellus. Denique Vir de omni literarum genere meritiſſimus, JOH. MABILLONIUS, in tomo ſecundo Muſei Italici, qui Pariſiis 1689. & 1730. lucem vidit, *Quindecim* diverſos Codices, qui Ordinis Romani titulum præfixum habent, excuſſit: quos ſequenti ordine recenſuit:

I. ORDO ROMANUS a CASSANDRO & HITTORPIO editus, apud quos amplius, quam media pars libelli hujus deeſt, quam ex Codice Abbatiæ S. Galli ſupplevit Editor, eum ſeculo IX. ſuperiorem exiſtimans. Siſtit ille Ordinem Romanæ Eccleſiæ, qualiter Miſſa Pontificalis celebretur. Tertio loco hic ordo apud HITTORPIUM *pag. 9.* ponitur. Quæ *Num. XXIV.* de ritu per HADRIANUM Papam inſtituto, *ut flecteretur pro* CAROLO *Rege*, recentiori manu aſſuta videntur.

II. ORDO ROMANUS, primo loco a CASSANDRO & HITTORPIO editus, ONUFRIO PANVINIO credebatur, ſed falſo, *Ordinem Gelaſianum* exhibere. Explicavit illum per partes AMALARIUS, Egloga in ipſum Ordinem edita, quam STEPH. BALUZIUS in *Appendice Capitulariorum* vulgavit, & rurſus MABILLONIUS inter Probationes ritualium *pag. 549.* inſeruit.

III. ORDO ROMANUS incertæ ætatis, quarto loco apud HITTORIUM legitur, & ſuperioribus duobus fere reſpondet.

IV. FRAGMENTUM VETERIS ORDINIS ROMANI de Miſſa Pontificali ex MS. *Conſtantini Cajetani.*

V. ORDO ROMANUS multæ antiquitatis ex Codice vetuſtiſſimo *S. Galli* excerptus. Præmiſſa enumeratione ſacrarum veſtium Pontificis aliorumque miniſtrorum, exhibet ritum Miſſæ Epiſcopalis ſecundum morem tunc receptum in Eccleſia Romana; unde conjicitur, eum Romanæ Eccleſiæ fuiſſe.

VI. ORDO ROMANUS de Miſſa Epiſcopali, ſecundo numero ab HITTORPIO poſitus.

VII. ORDO ROMANUS, qui etiam in vulgato ordine Romano legitur, de *ritibus baptiſmi* agit.

VIII. ORDO ROMANUS de ordinatione Acoluthi & Epiſcopi.

IX. ORDO ROMANUS de gradibus Romanæ Eccleſiæ.

X. ORDO ROMANUS de triduo ante Paſcha & de ordine ad dandam pœnitentiam, ad ungendum & communicandum infirmos, atque ad Clericos ſepeliendos. Videtur ad XI. Seculum revocandus.

XI. BENEDICTI, *B. Petri Canonici, liber de Eccleſiaſtico ordine* totius anni ad *Guidonem de Caſtello, Cardinalem S. Marci*, poſtmodum Pontificem *Cœleſtinum II.* ante annum 1143. cum additione ex Codi. e Vallicellano; diplomate JOHANNIS XIX. quo facultatem episcopo *Silvæ Candidæ* divina officia certis diebus in Eccleſia S. Petri in Vaticano celebrandi, concedit: necnon excerptis ex libro PETRI MALLII, Canonici S. Petri, ad ALEXANDRUM III.

XII. CENCII de SABELLIS *Cardinalis* ROMANUS ORDO *de Conſuetudinibus & Obſervantiis, Presbyterio vel Scholari, & aliis Eccleſiæ Romanæ in præcipuis ſolennitatibus*. Autor ſub CŒLESTINO III. Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Orphæo & S. R. E. Camerarius fuit. Idem ſcripſit *Librum Cenſuum S. R. E.* cujus Præfationem BARONIUS ſub finem anni 1192. retulit. Ab eodem præſens Rituale deſcendit, quod ONUFRIUS PANVINIUS in breviorem formam contractum evulgare conſtituerat. Sed placuit MABILLONIO purum putum CENCII librum exhibere. Elegantiſſimum antiquitatis monumentum, ex quo uſitatas iſti ævo Curiæ Romanæ in ſacris ſolennitates ac Cæremonias ab ipſo Pontifice peragendas diſcimus, variorum miniſteriorum in Eccleſia Romana officia cognoſcimus, modumque eligendi Pontificem atque Ordinem ad benedicendum Imperatorem accipimus.

XIII. CÆREMONIALE ROMANUM, juſſu GREGORII X. confectum, quod in enarrandis cæremoniis electionis ac inaugurationis Pontificiæ primario occupatur.

XIV. JAC. CAJETANI *Cardinalis*, qui ſub CLEMENTE VI. vivere deſiit, ORDINARIUS S. R. E. citatus ab AUGUST. PATRICIO *in libro Cæremoniarum II. Sect. 1. cap. 6. pag. 629.* Inſtructiſſimus hic liber eſt in tradendis Curiæ Romanæ Cæremoniis non tantum in ſacro cultu obſervan-

NUM, (1) LIBER DIURNUS, LIBER RITUUM AC CAEREMONIARUM ROMANAE ECCLESIAE, quorum duos poſteriores, ob præſtantiam & raritatem, inſignemque ex illis hauriendam utilitatem, hic recudendos curavimus, nunc etiam pauca de illorum uſu dicturi.

ſervandis, verum etiam in electione Pontificis, ordine Conciliorum, benedictionibus ac coronationibus Imperatoris, Imperatricis, Regum, Reginarum, canoniſationibus, creatione Cardinalium, Legatorum & Nunciorum, tenendis.

XV. PETRI AMELII, *Pœnitentiarii ac Bibliothecarii* ſub GREGORIO XI. poſtea *Epiſcopi Senogallienſis, Archiepiſcopi Tarentini & Patriarchæ Gradenſis & Alexandrini*, quo titulo inter Cardinales Epiſcopos a. 1391. locum habuit LIBER de CÆREMONIIS S. R. E. in quo primario de ritibus & ſolennitatibus feſtorum & ſacrorum celebrandorum agitur, *admixtis paucis* aliis materiis. Provocavit ad hoc ſcriptum AUG. PATRICIUS loco ſuperius citato.

XVI. Adjicitur INDEX ſollennium Collectarum & ſtationum S. R. E. in appendice vero, præter jam memorata, JOAN. DIACONI *liber de Eccleſia Lateranenſi*, & *Conſtitutiones* PETRI *Cardinalis*, a GREGORIO Pontifice confirmatæ, conſpiciuntur.

(1) De PONTIFICALI ROMANO jam ſuperius locuti ſumus. Agit illud de Præſulum Eccleſiæ functionibus, quas in Confirmatione, Ordinatione Clericorum, Benedictionibus ac Conſecrationibus Epiſcopi obſervare jubentur. Inter illas vero hoc loco notandæ ſunt formulæ ac Cæremoniæ, quæ in benedictione & coronatione Regis, Reginæ, Reginæ ut regni Dominæ, Regis in conſortem electi, benedictione novi militis, creatione Militis Regularis, benedictione armorum, enſis, vexilli bellici, benedictione & impoſitione Crucis proficiſcentibus in ſubſidium & defenſionem fidei Chriſtianæ præſcriptæ leguntur.

§. V.

De LIBRO DIURNO pauca dicenda reſtant. Quis verus Libri autor ſit, hactenus ignoratur. Ceterum vetuſtatis certiſſima ſigna habet, autoritas vero inter alia ex eo patet, quod ab illuſtribus Scriptoribus IVONE CARNOTENSI, GRATIANO ANSELMO LUCENSI, Cardinali DEUSDEDIT frequenter citetur. Imo formulæ, quæ in Libro diurno referuntur, frequentius in probatiſſimis Romanæ Curiæ actis leguntur. Ita MABILLONIUS Vitam HADRIANI I. autore Monacho Nonantulenſi anonymo produxit, in qua formulæ in Diurno libro præſcriptæ, prout a Pontifice uſurpatæ ſunt, referuntur. *vid. Muſei Italici Tom. 1. p. 27.* (m) De ætate certa libri GARNERIUS non tantum in præfatione ſuæ editioni præmiſſa, verum etiam in Notis ad illum paſſim luculenter egit. Quo loco? oſtendet index præſenti volumini adjectus, ſub voce *Diurnus Liber.* Hinc ea hic repetere, ſuperfluum foret. De ſuppreſſa prima libri editio-

(m) Formulas in Libro Diurno expreſſas diu in Eccleſia adhibitas fuiſſe, multis probari poſſet exemplis. Eas imprimis in conceſſione pallii Seculo IX. & X. ex præſcripto libri diurni fuiſſe conceptas, oſtendit TENZEL. *l. cit. pag. 360.* Sed paulatim ab hoc ſcribendi genere ſequentibus ſeculis receſſit curia Romana. Patet illud ex formula, qua BENEDICTUS Pontifex POPPONI, *Archiepiſcopo Trevirenſi,* pallium & jus crucis ante ſe deferendæ circa annum 1017. conceſſit. Legimus illam *in Geſtis Archiepiſcoporum Trevirenſium,* quæ poſt ACHERII, LEIBNITII & ECCARDI mutilas editiones integra & emendata cura EDMUNDI, MARTENE, & URSINI DURAND *Tomo IV. veterum Scriptorum & Monumentorum* prodierunt: quo loco celeberrimi Editores etiam monuerunt, falſo pro annalium autore haberi GOLCHERUM, *S Matthiæ* Monachum, cum ille centum ante annis obierit, quam hæc acta ſcriptis mandari potuerint.

editione; (n) de diverſis ejus exemplaribus ſive Codicibus, de ſupplementis, quæ ex veteri Codice excerpſit MABILLONIUS, alibi diximus. Sed quamvis carcerem, ad quem condemnatus fuerat Romæ libellus, ope GARNERII effugerit: rarius tamen in noſtris terris occurrebat, dignus certe, ut in plurium manus veniret. Reduximus illum denuo in publicum, inſertis ſupplementis a MABILLONIO ſup-

(n) Vide *noſtram præfationem ad Paulli de Traſſe Diarium p. 301.* Graviſſime in libri ſuppreſſionem paſſim in epiſtolis ſuis invectus eſt JOAN. LAUNOJUS, ex quibus TENZELIUS *in ſchediaſm. de natalitiis epiſcop. exercitat. ſelect. pag. 353.* ſequentia excerpſit loca. Primum ex *part. 1. epiſt. 4. Concludit omnia Romanæ Eccleſiæ Diurnum vetus, quod non ita pridem Romæ editum eſt, & ibi, neſcio qua de cauſa, captivum detinetur. Utinam injuſta non ſit, nec cognitioni antiquitatis Eccleſiaſticæ inopportuna.* Secundum ex Epiſtola VIII. *Hæc in veteri Romanæ Eccleſiæ Diurno, quod editum eſt Romæ, & ibi captivum adhuc detinetur; non in Sede Apoſtolica, ſed in Curia, quæ nec priſcas ſedis illius traditiones, nec illarum defenſores pati poteſt: quo facto Romanam Eccleſiam apud eos, qui ſeorſum a nobis per religionem ſentiunt, pro ludibrio abire permittit, & una impedit, ne hi ad illius communionem accedant facilius.* Tertium Part III. epiſt. III. *Hactenus ex veteri Romanæ Eccleſiæ Diurno, quod Romæ annis ſuperioribus editum eſt, & captivum ibi detinetur a Curialibus Magiſtris & Inquiſitoribus: Nimirum antiquæ veritatis lucem ferre non poſſunt viri in ſedem Apoſtolicam contumelioſi.* Quintum P. VIII. Ep. III. *Hæc in diurno Romano, quod Romæ editum eſt, ſed ibi captivum detinetur, Pariſiis manuſcriptum habetur.* His teſtimoniis addit TENZELIUS *pag. 354. Opera,* inquit, *pretium faciet, qui librum præſtantiſſimum cum inſigni hoc augmento denuo publicæ luci exponet.* LAUNOJUS *exiguum fragmentum, duas nimirum fidei profesſiones, quas partim ipſe Papa, partim Epiſcopi ſuburbicarii edere tenebantur, nactus eſt, easque tam fortiter contra Curiæ Romanæ aſſeclas urſit, quid putas eum facturum, ſi integro libro potitus fuiſſet?*

peditatis. Unde DIURNI appellationem traxerit, æquenon liquet. Notum eſt, apud antiquos *Diurna* fuiſſe Ephemeridum ſpeciem, in quo acta & rationes quotidie conſignabantur. Rationaria etiam *Diurna* appellabantur. Inde in *l. 8. Cod. Theod. de Cohortal.* Diurnarii illi dicuntur, qui quod *dietim* fiebat vel decernebatur, in Diaria deſcribebant. Sed nulla harum notionum præſenti reſpondet libro diurno: interim non abſonum erit aliam & forte magis convenientem ſubſtituere, ex ipſa Libri diurni conditione petitam. Continet liber diurnus formulas (o) *ſuperſcriptionis & ſubſcriptionis* litera-

(o) Proſtant variæ *formularum* collectiones, quæ ex medio ævo ad noſtram pervenerunt ætatem. Magnus illarum olim non tantum in curiis & cancellariis, verum etiam inter privatos uſus, cum ſimilibus occurrentibus caſibus regulæ inſtar, paucis prorerum circumſtantiis mutatis, deſcribebantur. Idque non ſine ratione fiebat: cum admodum conveniens videretur, certa atque conſtanti formula in uno negotio uti, quod a ſimili non differre debebat. Pertinent huc ex CASSIODORI *Epiſtolarum Volumine liber ſextus & ſeptimus*, quibus formulæ Gothicæ dignitatum & magiſtratuum, in republica Romana vigentium, comprehenduntur. Habemus porro MARCULFI Monachi Formularum libros duos, quos LINDENBROGIUS, BIGNONIUS, BALUZIUS produxerunt, notisque & obſervationibus illuſtrarunt: quibus acceſſit *Autoris incerti formularum liber*, quem Baluziana editio *Appendicem Formularum Marculfi* appellat. Sequuntur FORMULÆ SIRMONDICÆ, i. e. ex Codice *Jacobi* SIRMONDI, cum BIGNONII notis editæ. Poſt has FORMULÆ BIGNONIANÆ ex veteri Codice *Petri Danielis* deſcriptæ leguntur. Addidit BALUZIUS novam ex vetertimis manuſcriptis formularum collectionem de rebus ad eccleſiaſticas cæremonias pertinentibus, de inſtitutionibus monaſticis, præcepta Regum, placita Comitum & Scabinorum, Miſſorum dominicorum,

literarum ad Imperatorem, Auguſtam, Patricium, Exarchum, Conſulem, Regem, Patriarcham &c. dirigendarum, formu- [illegible] las

rum, Vaſſorum regalium continentem. MABILLONIO debemus *Veteres formulas Andegavenſes*, DICTATOS inſcriptas, quas ex Codice Weingartenſi, ad ætatem Childerici III. accedentis, deſumptas, *tomo IV. veterum analectorum* inſeruit, in noviſſima analectorum editione *pag. 388.* occurrentes. Ex his Marculphi formulæ magna ex parte hauſtæ videntur. SCHILTER. *Exercitat. ad Pandect. pag. 27.* His jungendæ ſunt FORMULÆ ALSATICÆ, ætate filiorum LUDOVICI PII compilatæ, quas poſt MABILLONIUM edidit ECCARDUS, & commentario in Leges Salicas ſubjunxit, quo loco celeberrimus Editor monuit, eas accuratius SANGALLENSES nominandas eſſe. Neque dubitamus, plures ejuſmodi collectiones latere adhuc in Bibliothecis & Archivis, imo diſperſas hinc & inde comparere plures antiquioris ævi formulas, quæ facili negotio in corpus redigi poſſent. Nuper Vir eruditiſſimus, LUDOV. ANTON. MURATORIUS, *Parti Secundæ Tomi Primi Scriptorum rerum Italicarum* exactiſſimam & locupletem *Legum Longobardicarum* editionem dedit, quæ inter alia ornamenta exhibet varias Legibus appoſitas formulas, quibus veteres cauſarum Patroni, Longobardicum jus profeſſi, utebantur. Egregie de iis judicat Celeberrimus Editor: *Ut ut,* inquit, *quiſquiliæ riſu digna videre, & ſtomachum movere hæc poſſint acutiſſimis ac delicatulis noſtrorum temporum Leguleiis: attamen ſapientibus, ac eruditionis antiquæ amatoribus, ſi quid ominari licet, voluptatem hæc etiam allatura confido. Hinc enim deprehendas, quales Majorum noſtrorum eſſent artes in agitandis litibus, quave ſcientia: ipſaque proinde eorum, ſi ita velis, craſſa & enormis Minerva nobis objecta, qui tam longe diverſis moribus utimur, delectationem pariter & utilitatem ingeret. Neque parum ejuſmodi Formulæ conducent ad ipſarum Legum, veteriſque Hiſtoriæ intelligentiam, eo potiſſimum nomine, quod multam præferunt antiquitatem.* Agnoverunt ita Viri docti inſignem harum collectio-

les etiam in electione Epiſcopi, in collatione pallii, in decernendis ac expediendis variis præceptis concedendis privilegiis & ſimilibus adhibendas. Verſatur igitur circa negotia, quæ in Romana Curia quotidie fieri ſolebant, ita ut a quotidiano illo uſu titulum *Libri diurni* facile tueri potuerit.

§. VI.

---

lectionum utilitatem. Non ſpernenda igitur ſunt illa veteris ævi monumenta. Exhibebimus proxime, ſi Deus vitam viresque largitus fuerit, *tertio præſentis collectionis Volumine*, collectionem formularum, quibus ævo CAROLI IV. uſa fuit Imperialis Cancellaria, qua trecentæ formulæ diplomatum ad publica imperii negotia directorum continentur. Autor fuit JOHANNES, olim CUNRADUS dictus, RICHMUT de GEYLNHAUSEN, *Moguntinenſis diæceſis*, qui teſtante præfatione ALBERTO, *Duci Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ &c.* inſcripta, vivente CAROLO Supremus Cancellariæ Imperialis Regiſtrator fuit. Ipſe de ſuo opere hæc præfatur: Dum olim in aula Cæſarea beatæ memoriæ Divi KAROLI IV. Romanorum Imperatoris, & Bohemiæ Regis, Clariſſimi Avunculi veſtri, moratus ſum, & etiam ſtipendiatus de ſui gratia literarum Regiſtrator exiſtens; & in regiſtris litterarum tam Imperii ſacri, quam Regni Bohemiæ ſæpe delineantur, facta atque geſta ejus magnifica ſcrutans perlegerem, & multas formularias ſtyli Curiæ Imperialis inepte & incomplete compoſitas tam in Cancellaria, quam extra viderem, placuit mihi de gratia omnipotentis Dei, cœleſtis Cæſaris, ex omnibus regiſtris, tanquam ex pomerio poma ſapidiora, formas *ſtabiles & perpetuas præcipuo ſtudio colligere & in unum corpus redigere, ad commemorationem Divi Cæſaris ac omnium Notariorum notiſſimum & veriſſimum documentum.* Sed hæc ad commendationem formularum, quæ in Libro Diurno reperiuntur, dicta ſufficiant. Intellexit hæc optime GARNERIUS; hinc §. XIV. præfationis non ſine fundamento aſſerit, præſtare formulas Libri Diurni Marculfianis, licet ætate prioribus, dignitate ac gravitate illis omnino præferendas.

§. VI.

Superſedere igitur facile poſſemus ulteriori demonſtratione utilitatis, quam ex præſtantiſſimo hoc venerandæ antiquitatis monumento haurire queamus. Diu jam in Virorum Doctorum manibus verſatus eſt, diu expetitus & laudatus. Sed ne plane de illo ſileamus, cuivis vel leviter opuſculum inſpicienti, in oculos incurret, quantam lucem & JURI PUBLICO, & inprimis JURI ECCLESIASTICO fœnerari queat. Ad primum quod attinet, priora duo Capita egregie ad vindicanda Imperatoris & Imperii in ſedem Pontificiam faciunt. Legimus in illis ſimplices ac humiles formulas, quibus in literis ad Imperatorem, Imperatricem, Patricium, Exarchos &c. utebantur. Videmus, quantum juris in Pontificum electione exercuerint Imperatores: nunciandus erat Pontificis obitus Exarcho, in quem eligentes, poſt divinum auxilium, omnem ponebant fiduciam: obſervamus *pag. 32.* nondum ad ſolos Cardinales eligendi Pontificis poteſtatem perveniſſe: Laicorum *vota nondum* in electione excluſa, cum Decretum electionis a *toto* Clero, Optimatibus & Militibus ſeu Civibus ſubſcriberetur *pag. 33.* de electione facta ad Principem ſive Imperatorem referendum, ejusque approbationem expetendam fuiſſe, *ut ſervorum ſuorum obſecrationes dignanter exaudiat, & concessa pietatis ſuæ juſſione, petentium deſideria pro mercede imperii ſui ad effectum de ordinatione ipſius præcipiat pervenire pag. 36.* Similiter literas obſequii plenas ad Exarchos exaratas *pag. 37.* Neque in ordinatione & conſecratione Pontificum faſtum ſubſequentium temporum deprehendimus. *pag. 46.* Si ad ECCLESIASTICI JURIS capita reſpiciamus, ingentem meſſem obſervationum metiendam invenimus, quam formulæ profeſſionum fidei a Pontifice deponendarum; ritus in ordinatione Epiſcoporum peragendi; ſolennitates in pallii conceſſione obſervandæ, incognitis adhuc juramentorum formis, quæ ſub GREGORIO VII. cœperunt; formulæ præcepto-

ceptorum & Privilegiorum a Pontifice emanantium &c. ſuppeditant, quibus omnibus examinandis vix integer tractatus ſufficeret. Tacemus uſum, quem in variis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ argumentis, lectio hujus libri præbere poſſit, quod exemplis GARNERIUS in notis, CAVE in opere de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ad Seculum VIII. *pag. 708.* aliique docuerunt. Sed hæc de Libro Diurno in præſenti ſufficiant.

§. VII.

Progredimur ad alteram hujus voluminis partem, nempe RITUUM ECCLESIASTICORUM ſive SACRARUM CAEREMONIARUM libros tres, quos Archiepiſcopum Corcyrenſem, CHRISTOPHORUM MARCELLUM, non tam Autorem, quam Editorem operis fuiſſe, abunde, ni fallimur, præcedenti volumine *pag. 371.* adſtruximus. Indicavimus illo loco verum operis Autorem AUGUSTINUM PATRICIUM PICOLOMINEUM, Epiſcopum Pientinum, de quo nos minime dubitare ſinit, præfatio PATRICII huic libro præmiſſa, a MARCELLO Editore præterita, a MABILLONIO vero reſtituta, quam allegato loco integram inſeruimus. Imo in ipſo opere hujus Autoris luculenta deprehendimus veſtigia, quæ, ſi quis cognoſcere voluerit, inveniet in Voluminis indice, ſub PATRICII nomine annotata. De utroque jam ſatis diximus. Addi tamen poſſunt de MARCELLI ſcriptis, & Viri funeſta morte, quæ nuper *Vir S. Rever.* DN. JO. GERH. MEUSCHENIUS *in præfatione* ad novam *Cæremonialium Electionis & Coronationis Pontificis Romani* editionem, enarravit. Augeri autem poterit numerus ſcriptorum MARCELLI ex *Tomo Secundo Anecdotorum*, ab EDMUNDO MARTENE & URSINO DURAND productorum, ubi MARCELLI Oratio ad LEONEM X. *de ſumenda in Turcas provincia*, reperitur. Recenſuimus libri fata, & ſex diverſas libri editiones, quibus addimus ſeptimam, *anno 1573. ad ſignum Pavonis* per ÆGI-

DIUM

DIUM REGAZOLAM *Venetiis excuſam*, cujus notitiam debemus THEOPHILO SINCERO *part.* 5. **Nachrichten von lauter alten und raren Büchern**, *pag.* 275. Admodum vero illi falluntur, qui PARIDEM de GRASSIS libelli hujus Autorem faciunt, aut neſcio, quale CAEREMONIALE ROMANUM typis excuſum comminiſcuntur, quem errorem in citata præfatione excuſſimus. Confundi plerumque ſolet celebris illius Cæremoniarum Magiſtri, PARIDIS de GRASSIS, *Diarium Curiæ Romanæ*, (p) cujus

(p) Fragmenta DIARII, a PARIDE de GRASSIS compilati, plura legimus apud RAYNALD. *annal. eccleſ. tomo.* XX. Agunt illa de electione Julii II. a. 1503. facta, *pag.* 1. de creatione quatuor novorum Cardinalium *pag.* 5. de perſoluto cenſu Pontifici pro regno Neapolitano *pag.* 23. de creatione novem Cardinalium novorum a. 1505. *pag.* 32. de expeditione Pontificis contra Bentivolos & Balionios, anno 1506. ſuſcepta *pag.* 38. *ſeqq.* de *diſceſſu Pontificis* a Bononienſibus anno 1507. *pag.* 48. de *triumpho* Pontificis in die Palmarum acto *pag.* 49. de Cardinali Rothomagenſi Pontificatum ambiente. *ibid.* de creato Legato de Latere, MAXIMILIANO I. obviam ituro: *pag.* 50. de promotione novorum Cardinalium *pag.* 55. de ſolenni ſupplicatione, celebrata pro Indicis victoriis. *pag.* 59. de legatione ad Regem Galliæ decreta *pag.* 82. de creatione novorum Cardinalium *ibid.* de *Sixto Ruverio*, creato Equite Rhodio. *ibid.* de ſacris precationibus, pro expeditione Turcica inſtitutis *pag.* 67. de ortis litibus cum Rege Galliæ a. 1509. *pag.* 70. de cerimoniis, quibus Veneti cenſura ſoluti *pag.* 74. de diſſidii inter Pontificem & Ferrarienſes cauſis *pag.* 75. de portentis Romæ a. 1510. obſervatis *pag.* 77. de Gallis a Rege ex pontificia aula revocatis *pag.* 78. de publica lætitia, Romæ celebrata ob captam Tripolim *pag.* 85. Ad ann. MDXI. de privatione quatuor Cardinalium Schiſmaticorum *pag.* 97. de creatis novis Cardinalibus *pag.* 109. de legatione Cæſarea excepta *pag.* 101. geſtis cum illa *pag.* 102. Ad Ann. MDXII. de creato Legato in Lombardiam *pag.*

cujus fragmenta præcedenti volumine dedimus. Nam & Diariorum iſtorum ſumma eſt in curia Romana autoritas, & ad

pag. 109. de variis corruptelis e Curia ſublatis *pag. 113.* de ritibus in Concilio celebrando *pag. 113. ſeqq.* de Gallis Inſubria pulſis *pag. 119.* de Bononienſibus in gratiam receptis *pag. 121.* de Alfonſo, Ferrariæ Duce, veniam a Pontifice petente *pag. 122.* De Legato Daniæ obedientiam præſtante *pag. 123.* de Gurcenſi, Cardinalitia purpura donato *pag 125.* de revocatis actis Concilii Piſani a Maximiliano I. *ibid.* MDXIII. de ægrotatione & obitu Julii II. *pag. 132. 133.* de electione LEONIS X. *pag. 134.* de actis in Concilio Lateranenſi propter tollendum ſchiſma *pag. 138.* de Regis Poloniæ literis, ob victoriam a Ruſſis partam ſcriptis, publice prælectis *pag. 141.* ceremoniæ circa reſtitutionem duorum Cardinalium Schiſmaticorum *pag. 143.* Gratiæ non agendæ a Romana Eccleſia, niſi pro victoriis adverſus infideles *pag. 146.* de obitu Roberti Cardinalis *pag. 148.* de Legato in regna Pannoniæ, Bohemiæ &c. miſſo *ibid.* de Hiſpanorum victoria in Venetos reportata *pag. 152.* de litibus cum Gurcenſi Oratore Cæſareo *ibid.* de creatione novorum Cardinalium *pag. 153.* de revocatione Concilii Piſani, a Rege Galliæ peracta *pag. 155.* Lis Legato Galliæ ob titulum Ducis Mediolanenſis mota *ibid.* de publicis gratiis Deo ob Luſitanorum victoriam in Indos partam *pag. 165.* MDXIV. de Luſitanica legatione inſigni ad Concilium *pag. 166.* de litibus inter Cardinales & Præſulum ordinem *pag. 169.* de publica lætitia propter compoſitam inter Gallos & Anglos pacem *pag 177.* MDXV. de decima Concilii Lateranenſis Seſſione, & Epiſcoporum adverſus Cardinales & Monachos querelas *pag. 187.* de Eboracenſi creato Cardinali *pag. 192.* MDXVI. de actis Seſſione X. Concilii Lateranenſis *pag. 202.* de Laurentio Medicæo creato Urbini Duce *pag. 219.* MDXVII. de ultima Lateranenſis Concilii Seſſione *pag. 226.* de dimiſſione Synodi *pag. 230.* de conjuratione adverſus Leonem conflata *pag. 241. 242.* de *Alfonſo Petrucio*, Excardinali, laqueo præfocato, & Cardinali Oſtienſi atque Bandinello, priſtino ſtatui

ad ea in illuſtribus ſæpius provocatum fuit controverſiis: quare oriri facile potuit error, PARIDEM ſingulare ſcri-

ſtatus reſtitutis *ibid.* de aucto Cardinalium numero *pag. 245.* MDXVIII. de ſpina dominica cruorem fundente *pag. 249.* de Legatis a latere ad Reges miſſis *pag. 254.* de *Thoma e Vio*, miſſo in Germaniam Legato *pag. 256.* de Afro, ſacto baptiſmate initiato *pag. 316.* & *Monumentorum Tom. I. pag. 438.* MDXXI. de ſcripto Regis Angliæ contra Lutherum *pag. 334.* de obitu *Leonis X. pag. 343.* Hactenus RAYNALDUS, apud quem nulla amplius PARIDIS de GRASSIS occurrit mentio. Eum anno MDXXVIII. die *10. Junii* diem obiiſſe ſupremum, refert UGHELLI *Italia ſacra Tom II pag. 863.* Sed dubiam hanc narrationem reddunt ea, quæ MABILLON. *comment. in Ordin. Rom.* refert, ubi excerptum ex PARIDIS de GRASSIS Diario ad annum MDXXIX. recenſet. Agit illud de communione, CAROLO V. paulo ante ejus coronationem a CLEMENTE VII. data: quod integrum hic adſcribendum eſſe duximus, cum ad quæſtionem, *an Imperatori in die coronationis communio ſub utraque ſpecie concedatur?* pertineat: *In Natali*, inquit, *Domini an. MDXXIX. Cardinalis* FARNESIUS *aſſiſtens accepit pacem à Papa, diſtribuens aliis, oſculato prius altari, & Papa ipſo in facie & in pectore, tum Cæſare, quem, cum vellet oſculari Altare ad ſuaſionem Sacriſtæ, ego expreſſe*, inquit PARIS, *prohibui: quia neque Cæſari, neque Diaconibus Cardinalibus licet oſculari in tali caſu Altare, ſed ſolum Epiſcopis & Presbyteris Cardinalibus. His ſic peractis, Pontifex detecto capite ex Altari venit ad ſolium ſuum: ubi ſtans cum Sacramento expectavit Sacramentum. Cardinalis vero Evangelii in Altari genuflexus capiens Sacramenta cum patena, in altitudinem oculorum ſuorum gyravit circum Altare, & illud dedit Subdiacono epiſtolæ, in cornu Evangelii genuflexo expectanti, qui conſurgens ad Papam detulit, fimbrias altero magiſtro elevante, & ad ſiniſtram Papæ ſe firmavit, i. e. ſe ſtitit. Tum idem Cardinalis genuflexus calicem cum ſanguine accipiens, pari modo gyravit, & ipſe me fimbrias elevante,*

ptum, ſub titulo CAEREMONIALIS ROMANI (q) evulgaſſe. Ceterum ORDINEM aliquem ROMANUM nomen PARIDIS CRASSI præ ſe ferentem communicavit EDM. MARTENE *in tract. de antiqua Eccleſiæ diſciplina pag. 595.* GUILIELMO *Epiſcopo Albanenſi, S. R. E. Cardinali* inſcriptum, quem vero tractatum privatæ informationis cauſa tantum exaraſſe videtur. Certum igitur, nullum aliud CAEREMONIALE ROMANUM typis exſcriptum proſtare, quam illum CAEREMONIARUM LIBRUM, cujus novam editionem in præſenti curavimus.

§. VIII.

Nec defuerunt nobis cauſæ, novam hanc libri editionem ſuadentes. Non allegabimus operis raritatem, quam forte frequentes editiones ſuperius enumeratæ dubiam reddere poſſent: quamvis ingenue fateri cogamur, rarius libellum iſtum a nobis viſum & obſervatum fuiſſe: cujus certe rationem vix reddere poſſumus. Non autem ſola librum inveniendi

pormavit ad dexteram Papa, ubi ſe firmavit. Tum Pontifex, lectis orationibus, ut in libro, ſumpſit partem Sacramenti, inde partem ſanguinis ex calice, cum calamo aureo. Cæſar & alii Principes voluerunt communicare: Pontifex alteram partem Sacramenti fregit, & unam Cardinali CIBO, *aliam Subdiacono dedit, oſculata manu & facie Papa prius. Qui inde receſſerunt ad Altare, ubi partem ſanguinis quilibet eorum ſumpſit, cum particula intus poſita, ut moris eſt.* Adde pag. CXXIII. CXXIV. & CXLIII.

(q) Judicium de Cæremoniarum Romanarum ſtudio, & quantum in eo ex lectione Diariorum proficere liceat, legitur *pag. 774.* Univerſa rerum harum ſcientia abſolvitur lectione paucorum Diariorum, quæ ſub SIXTO IV. cœperunt. Qui in his verſatus eſt, eo peritior erit ipſis Cæremoniarum Magiſtris, quo plus memoria valebit. Princeps eorum, quem cæteri ſequuntur, fuit omnino GRASSIS, hoc magiſterio LEONIS X. tempore functus.

niendi difficultas nos ad novam moliendam editionem concitare potuit: verum potius libelli uſum, quem in interpretandis ritibus ac Cæremoniis Eccleſiæ Romanæ, illuſtrandisque antiquitatibus variis juris Eccleſiaſtici ac publici capitibus habere poteſt, perſpicientes, eum huic collectionis noſtræ Tomo ſecundo inſerere conſtituimus. In quo vero ex hoc opuſculo capienda utilitas acquieſcat, paucis declarabimus. Diviſit illud Autor in tres libros. *Primus* ad publicum Romanæ Eccleſiæ & Curiæ ſtatum pertinet, atque de electione, ordinatione, conſecratione, benedictione & coronatione PONTIFICIS ROMANI, (r) de adventu & coronatione ELECTI IN IMPERATOREM, (s) item de coronatione IMPERATRICIS,

(r) Quæ electionem Pontificis concernunt, per recentiores conſtitutiones in quibusdam capitibus mutata ſunt. Nam & peculiare & recentius habemus CÆREMONIALE, *ritus electionis Romani Pontificis* continens, GREGORII XV. juſſu *Romæ a. 1621.* editum. Poſtea aliquoties recuſum, novaque Bulla ab URBANO VIII. anno MDCXXV. auctum. Leguntur ea quoque in *Bullarii Magni Tom. III. pag. 444. & Tom. IV. pag. 95.* noviſſime vero procura V. R. MEUSCHENII, *Francof. ad Mœn. a. 1731.* prodierunt. Cæterum vix ulla res tot tantisque mutationibus obnoxia fuit, quam Romani Pontificis creatio. Evolvit ea, more ſuo, i. e. doctiſſime, MABILLON. *in comment. in ordinem Romanum num. XVII. pag. CIX.* ut reliquos, hanc materiam examinantes, quorum inſignis eſt numerus, ſilentio prætereamus.

(s) Excerpta quædam ex *Libri primi* CÆREMONIALIS ROMANI dedit MARQUARDUS FREHERUS *in notis ad* P. d. ANDLO *tractatum de Imperio Romano &c. vid. S. R. Imperii repræſentationem pag. 226.* Animus quidem fuit, *acta coronationis Imperatoris Romana* paulo accuratius excutere, & de his proſtantia monumenta & teſtimonia Hiſtoricorum inter ſe conferre: Sed cum hæc tractatio pertineat prima-

TRICIS, de Canonizatione Sanctorum, de variis benedictionibus ducis, militis, roſæ, enſis, vexilli benedicti, de creatione

primario ad JUS PUBLICUM, nosque in conſcribendis juris iſtius Principiis occupati, de nexu Sedis Pontificiæ cum Imperio ſingulari capite egerimus, ea rurſus deſcribere noluimus. Ceterum in indice Voluminis ſollicite ſub voce IMPERATOR, IMPERATRIX, PONTIFEX, IMPERIUM, REX &c. annotavimus, quæ in libris illis diſperſa leguntur. Id ex illorum inſpectione manifeſtum fiet: Pontificem uti ſe IMPERATOREM dignitate & poteſtate majorem geſſerit: ita IMPERATORI præ aliis Regibus & Principibus non leves prærogativas tribuiſſe. Faciunt hæc ad ſtabiliendam quorundam, inprimis B. LEIBNITII ſententiam: placuiſſe olim, ut quædam GENTIUM CHRISTIANARUM RESPUBLICA COMMUNIS intelligeretur, cujus capita eſſent in ſacris PONTIFEX MAXIMUS, in temporalibus IMPERATOR ROMANORUM, qui & de veteris Romanæ Monarchiæ jure retinuiſſe viſus eſt, quantum ad commune Chriſtianitatis bonum opus eſſet, ſalvo jure Regum & Principum libertate. *vid præfationem, Codici juris Gentium diplomatico* præmiſſam. Et hanc ſententiam in Veterum JCtorum aliorumque Scriptorum voluminibus traditam olim & propugnatam obſervabimus; quæ noſtris temporibus an aliqua ratione conveniat, aliis inquirendum relinquimus. De affectata a Romanis Pontificibus *Monarchia Univerſali*, ſive *ſuprema*, de quo Cæremoniale præſens *pag. 281.* aperte loquitur, quid ſentiat Proteſtantium Eccleſia, notum ſatis eſt, neque hic repetendum. Quæ IMPERATORIS in orbe Chriſtiano dignitas æque ac autoritas, prout illa in dubium vocari nequit, ita tamen per partes ire, & juris illius capita ſingulatim contemplari, jam minime ſuſcipimus. Doctrinam, quæ prioribus ſeculis, tempus reformatorum ſacrorum antecedentibus, confuſe admodum more iſtius ævi expoſuerunt, in compendiis quaſi repræſentavit D. LANCELOTTUS CONRADUS *Laudenſis in templo omnium*

tione Cardinalium, de Conſiſtoriis, de proviſionibus Eccleſiarum ſolemnibus, de confectione & conceſſione pallii, de ſolennibus publicationibus, de equitationibus, proceſſionibus & itinerationibus Pontificum, de receptione Principum, Imperatoris, Regum, Electorum, Ducum, imo & Oratorum & Legatorum, de forma Conciliorum, de morte & exequiis Cardinalium & ipſius Pontificis agit: ex quibus ſolis titulis dignitas & gravitas materiarum, quæ hoc libro tractantur, perſpici poteſt. Quamvis autem in his ſucceſſu temporis non pauca fuerint mutata, & forte ab uſu receſſerint; multa tamen ſunt, quæ vix pro obſoletis haberi poſſunt, & quorum conſtantem obſervantiam adhuc deprehendimus. Quicquid autem PARIS de GRASSIS contra hunc libellum declamaverit: *vid. Tom. I. monument. pag. 488.* non ea tamen obſtiterunt, quo minus hic liber in Curia & Eccleſia ſingularem nactus ſit autoritatem. Certe illuſtris illa cum *Principe* EGGENBERGIO controverſia, quam adjectus huic volumini faſciculus *p. 743.* recenſet, ſpectabat ad *Lib. 1. Sect. 13. cap. 8. pag. 454.* imo ad illud *Autor hiſtoricæ narrationis pag. 744.* reſpexit. Multa hic proferri potuiſſent ex Scriptoribus Hiſtoricis, inprimis Curiæ Romanæ Diariis, quorum inedita nonnulla in ſcriniis noſtris ſervamus, quæ illuſtrationi harum materiarum inſervire potuiſſent: ſed cum conſtitutum nobis ſit, diaria illa aliquando in

omnium Judicum Pontificia, Cæſarea, Regia, inferiorisque Poteſtatis, cujus editio, quæ Venetiis anno MDLXXIIII. prodiit, ad manus eſt. Sed hæc forte privatorum hominum ſomnia fuerunt. Ita videri poſſet, niſi liber hic Cæremoniarum doceret, Curiam Romanam hæc & ſimilia in totius Eccleſiæ conſpectu profeſſam fuiſſe.

in publicam emittere lucem, molesque hujus voluminis nimis excrevisset, ea opportuniori occaſioni reſervanda cenſuimus.

§. IX.

Liber SECUNDUS ad ea, quæ religionem penitius reſpiciunt, ſe convertit, docens, quo ritu in ſacris Pontifex Maximus utatur, qui dies illi peculiares, quibus divinis operetur. Initium facit *a prima dominica Adventus Domini*, & definit in anniverſariis & miſſis, quæ pro animabus imperatoris, Cardinalium & Regum dici conſueverunt. Inhæret hic liber veſtigiis ORDINUM ROMANORUM, quos ſuperius recenſuimus, atque inprimis JAC. CAIETANI & PETRI AMELII ſcriptis inſiſtit. Facile fuiſſet, & forte operæ pretium, ea, quæ hoc libro exponuntur, cum præcedentibus Cæremoniarum libris comparare. TERTIUS ſequitur liber, qui pene totus eſt in deſcribenda reverentia, quam omnes mortales Pontifici, cum in ſacris, tum extra illa verſanti, exhibere debent: *vid. pag. 660.* Ipſum vero Pontificem nemini mortalium reverentiam facere, clare pronunciat Cæremoniarum Liber *Sect. I. cap. 2. pag. 660.* Agitur in ſpecie de reverentia divina, celebrantibus exhibenda, de ordine ſedendi in capella Papæ, de habitu, veſtibus & ornamentis pontificiis, (t) Cardinalium, celebrantium, de miniſterio aſſiſtenti-

(t) Ut omnis Cæremoniarum diſciplina myſticas atque arcanas ſectatur rationes, ita inprimis veſtibus ac ornamentis ſecretas involvit cauſas. Fertiliſſima illarum ſemper fuit Curia Romana, quæ Clericos tot diverſis habitibus veſtivit. Non ultimum igitur in Cæremoniarum ac Rituum doctrina eſt, diſtinguere colores veſtium, eorumque diverſam formam & materiam. Abundat his obſervationibus LIBER CAEREMONIA- RUM

ſtentium, aliorumque Clericorum inferiorum, quorum functiones & officia deſcribuntur; de incenſatione Altaris & aliorum &c. Ex quibus abunde conſtat, quam multum hic liber faciat ad cognoſcendum Curiæ Romanæ ſtatum, cujus iſta ætate ſtudium omne & cura in eo vertebatur, ut Summos Principes in cultu & obſervantia ſedis Pontificiæ contineret. (u)

RUM, quod inſpicienti facile patet. Qui myſteriorum illorum interpretationem quærit, adeat Scriptores, qui in illis enodandis occupati fuerunt. Inſignem his rebus nuper accendit lucem DOMINICUS GEORGIUS, *Rhodiginus Præfectus Bibliothecæ* JOSEPHI RECANATI IMPERIALIS *Presbyteri Cardinalis*, in doctiſſimo tractatu *de Liturgia Romani Pontificis in ſolemni celebratione Miſſarum. Romæ 1731. 4.* Ut alios taceamus.

(u) *Eo usque* Romanam Curiam eſſe progreſſam, ut omnes Chriſtiani orbis provincias, reſpublicas, regna ad pendendum annuum tributum olim obſtringere voluerit, neminem in Hiſtoria Eccleſiaſticâ vel leviter verſatum latere poterit. Si proſtaret CENCII *de cenſibus Romanæ Eccleſiæ* tractatus, de quo ſuperius diximus, certiſſimum de his argumentum producere poſſemus. Incidit tamen in noſtras manus aliud ſcriptum, in Curia Romana tria forte ante ſecula compilatum, ex quo, quid Romani vindicare ſibi velint, optime innoteſcit. Pauca ex illo dabimus excerpta, cum rationes quædam nobis ſint, cur integrum tractatum typis exſcribendum jam committere nolimus. Sub prima *rubrica* legitur decantata illa donatio, quæ a *Conſtantino M.* Sylveſtro Papæ Romano facta perhibetur. *Sequitur Privilegium* HENRICI *ſuper eadem. Sequitur de denario B. Petri*, & quidem, IN FRANCIÆ REGNO *debet Eccleſia habere denarium unum annuatim a qua-*

libet

§. X.

In his Cæremoniarum Romanarum libri ſubſiſtunt, quorum editionem ad Colonienſem de an. 1572. & Venetam de an.

libet domo, unde GREGORIUS *Papa VII. ita ſcribit Legatis ſuis in Francia, prout habetur in libro Regiſtri* DN. GREGORII VIII. *cap.* 23 *&c.* Item REGNUM HUNGARIÆ *proprium eſt S. S. Eccleſiæ &c. prout ex pluribus argumentis authenticis poteſt ſciri &c.* Item *omnia* REGNA HISPANIÆ *ad jus & proprietatem pertinent S. S. R. Eccleſiæ, prout habetur in Regiſtro ejusdem Domini* GREGORII *Papæ VII. fol. 1. cap. 3. & lib. 4 cap. 28.* Item REGNUM ARAGONIÆ *fuit datum S. S. Romanæ Eccleſiæ ſub certo cenſu.* PETRUS *Rex Arragoniæ anno III.* INNOCENTII *Papæ IV. venit Romam perſonaliter ad dictum Dominum Papam* INNOCENTIUM, *& accepit militiam ab eodem &c.* Item FERDINANDUS *Rex dedit* R. E. *caſtrum Loruſa forma infra ſcripta n. 1210.* Item BERENGARIUS RAYMUNDUS, *Comes Barcinonenſis, dedit & obtulit Eccleſiæ Romanæ totum honorem ſuum, & ſpecialiter civitatem Tarraconenſem, & pro cenſu debet ſolvere per quinquennium XXV. libras argenti puriſſimi R. E. ſecundum formam infra ſcriptam &c.* Item REGNUM PORTUGALLIÆ *pertinet ad proprietatem Eccleſiæ Romanæ.* ALPHONSUS, *pro nunc Rex Portugalliæ, quam tunc habeat ſub cenſu quatuor Unciarum auri annuatim &c.* Item REGNUM BOHEMIÆ *eſt cenſuale & tributarium, legitur in quodam tumulo Lateranenſi inter alia, prout tunc Rex Bohemiæ impetravit a Domino* NICOLAO *Papa, quod poſſit portare mitram, & promiſit ſe daturum omni anno centum libras argenti ſub nomine cenſus &c.* Item REGNUM ANGLIÆ *ab antiquo fuit ſemper ſub tutela, & manu ac dominio S. S. R. E. &c.* Item REGNUM RUSCIÆ *vel Ruſſorum ad jus & dominium pertinent Eccleſiæ Romanæ; unde reperitur in Regiſtris Domini*

an. 1582. curavimus. Utraque graviſſimis ſcatebat nævis & vitiis, quæ, quantum fieri potuit, reſtitutis depravatis locis, correximus. Inſeruimus quoque ea, quæ in Veneta editione acceſſerant, & in aliis non leguntur. Pertinent illa ad ſolen-

Domini GREGORII *Papæ VII. quod idem* GREGORIUS *ſcripſit Reginæ & Regi ſub hanc formam ſequentem:* GREGORIUS *Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis,* DEMETRIO, *Regi Ruſſorum &c.* Item *Regna* CROATIÆ & DALMATIÆ *ad proprietatem & jus pertinent E. R. & Reges ipſorum regnorum debent fidelitatem facere Domino Papæ annuatim &c.* Item SAXONIA *ad proprietatem Eccleſiæ Romanæ pertinet. Legitur in Regiſtro Domini* GREGORII *Papæ VII.* quod CAROLUS M. *obtulit* Saxoniam *B. Petro, cujus eam devicit adjutorio, & poſuit ſignum ✠ devotionis & libertatis, prout ipſi Saxones habent ſcriptum, & prudentes eorum ſatis ſciunt.* Item REGNUM DACIÆ *tenetur ſolvere cenſum Eccleſiæ Romanæ &c.* Item *villa* MONTIS PESSULANI *pertinet ad Eccleſiam Romanam, & eſt cenſuaria & tributaria.* Item *Conſules & civitas* JANUÆ *pro medietate Inſulæ* CORSICÆ *debent facere fidelitatem & homagium Domino Papæ & Eccleſiæ Romanæ, & tenetur ſolvere pro cenſu annuatim unam libram auri.*

De Confirmatione donationis patrimonii Alpium Cottiarum B. P. facta.

Sequuntur PATRIMONIA *S. Petri vel Principum donationes.*

De Juriſdictione Romanæ Eccleſiæ ſuper Regnum Apuliæ & Siciliæ.

Sequitur *infeudatio Regni Siciliæ per Dominum* CLEMENTEM IV.

Incipit modus faciendi homagium Papæ de regno Siciliæ, quando confertur Regi.

nja Jubilæi, anno MDLXXV. celebrata. Indicem multa cura elaboratum adjecimus, in quem, locorum communium inſtar, primaria capitum contenta retulimus: inde ſupervacaneum eſſet, plura de rebus in hoc volumine occurrentibus diſſerere, cum in calce operis materiarum adjecta tabula nobis otium faciat.

§. XI.

Ultimo loco *Faſciculum Scriptorum, ad Hiſtoriam Curiæ Romanæ* ſpectantium, adjecimus. Ex his tria priora lites in Aula Romana ob neglectos quosdam honores, quos Princeps EGGENBERGIUS, *Dux Crumlavienſis*, ſibi deberi crediderat, exortas, concernunt, quæ ex Italico idiomate translata dedimus. Miſerat FERDINANDUS III. Cæſar anno MDCXXXVIII. EGGENBERGIUM Principem Romam, ut conſueto *Legati Obedientiæ* munere defungeretur. Admiſſus apud Papam die *8. (18.) Jun.* ad ſolennem audientiam, peracta ea, ſtatim conqueſtus fuit Legatus de ſibi non exhibitis debitis honoribus. Inde diuturna litium materia enata fuit, quæ demum menſe Novembris ejusdem anni ſublata dicitur. Summam actorum dedit LUDOLPH in der Schau-Bühne der Welt-Geſchichte *Tom. II. pag. 617.* Sonſten gab es zu Rom diß Jahr eine vortreffliche Geſandſchafft, welche Ihro Kayſerl. Majeſtät durch den Hertzog zu Crumlau, Fürſten von Eggenberg, als Ihren Extraordinair-Bothſchaffter, die gewöhnliche Obedienz, wie es genennet wird, dem Pabſt zu leiſten, abgehen laſſen. Der Geſandte war ſchon den 8. (18.) Junii unter Begleitung aller vom Hauſe Oeſterreich dependirenden Cardinäle, Geſandten und Herren-Stands-Perſonen eingeholet und zur Audienz begleitet worden. Es hatte ſich aber über dem Stehen und Sitzen eine Irrung erhoben, (welche nicht eigentlich angegeben wird) daß die Haupt-Audienz biß

in den

in den Winter-Monath verſchoben worden. Er hielte ſich biß auf den 7. Novembr. incognito, biß man der Ceremonien und anderer Umſtände halben durch hin und wieder ſchreiben nach Wien, und an den Nuncium daſelbſt, einig worden, da er dann endlich ſeinen öffentlichen Einzug mit allem erſinnlichen Pracht gehalten, und ſo bald zur Päbſtlichen Audienz in ſala Regia Vaticana gelaſſen wurde. Nani. *Hiſt. Ven. Lib. X. pag. 648. &c.* Denckwürdig war, daß der Pabſt den Fehler, welcher bey der erſten Audienz am 8. Junii bey dem Aufſtehen und Sitzen durch Unachtſamkeit der Bedienten, denen ſolches zu beobachten gezienet, vorgangen, entſchuldiget, und daß es zu keinem Præjudiz noch Conſequenz angezogen werden ſolte, ſich erkläret. Den 16. Novembr. hat er abermals Audienz bey dem Pabſte gehabt, da er ihm die Füſſe geküſſet, und Kayſerliche Schreiben überreichet: Hernach dem Pabſte, wie er zur Mahlzeit gangen, den Schweif ſeines Mantels nachgetragen, dem der andere ordinair Kayſerliche Geſandte in das Tafel-Gemach gefolget, allwo derſelbe Tafel gehalten: Da dann die beyden Kayſerlichen Bothſchaffter an einem beſondern etwas niedriger ſtehenden Tiſche neben ihm geſpeiſet worden.

§. XII.

Sed cum hactenus in obſcuro fuerit, in quonam controverſiæ cardo verteretur, ea ex præſentibus ſatis patent relationibus. Varia autem litis capita fuerunt: *Primo*, Legatus crediderat, ipſos Cardinales teneri, ut Legato advenienti obviam irent: his contra ſentientibus, ſufficere, ſi ex lege Cæremonialis Romani *Lib. I. Sect. 13. cap. 8.* familiam ſuam extra portas urbis obviam mitterent. *Secundo*, ægre ferebat Legatus, quod Cardinalis BARBERINUS

RINUS Legatum ad Pontificem iturum noluerit in domo ſua excipere atque expectare. *Tertio*, quod ipſi, Pontificem ſalutanti, ſedendi copia non facta fuerit: ſellam ipſi offerendam fuiſſe: Legato in genua coram Pontifice procumbenti, non datum fuiſſe ſe erigendi ſpatium: Pontificem paucis his verbis ſe expediviſſe: *Gratulamur adventum, & quia adveſperaſcit, differemus congreſſum in tempus magis opportunum.* His dictis, Pontificem ſurrexiſſe & abiiſſe. Accedebant aliæ querelæ, nempe, quod non ſine importunitate juſſus ſit exuere chirothecas, & quod Papa per longum tempus nihil ex eo de Imperatore quæſiverit. Quibus argumentis ab utraque parte diſputatum fuerit, docent uberius ſcripta hoc volumine communicata, quibus nihil addendum cenſemus.

F I N I S.

LIBER

LIBER DIURNUS ROMANORUM PONTIFICUM

EX ANTIQUISSIMO CODICE MS.

nunc primum

IN LUCEM EDITUS

OPERA ET STUDIO

JOANNIS GARNERII, Presbyteri

e Societate JESU,

qui notas Diſſertationesque addidit

PARISIIS

Apud Viduam EDMUNDI MARTINI & GABRIELEM MARTINUM, via Jacobæa, ſub aureo Sole & Abelis Sacrificio

MDCLXXX.

CUM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO JACOBO NICOLAO COLBERT,

ABBATI BECCENSI.

Joannes Garnerius, Presbyter e Societate JESU.

Offero tibi, ABBA ILLUSTRISSIME, Librum Diurnum Romanorum Pontificum, qui, poſtquam diu latuit in Bibliothecæ tenebris, emergit nunc in lucem, ab eruditis hactenus aut cupide expetitus, aut ſtudioſe conquiſitus.

Etſi vero latuit hominibus de vulgo tamdiu, non tamen antiquis Canonum Collectoribus: hunc enim vidit Ivo Carnotenſis; viderunt Anſelmus Lucenſis, Cardinalis Deusdedit, & Gratianus, imo & recentiores quidam, ſed minima particula; quæ nihilo-

minus

minus fecit tantum deſiderium totius, tantumque pretium, ut docti plures retineri tamdiu ægre ferrent, atque etiam indignarentur.

Ecce nunc prodit tot tantisque votis evocatus, nec aliud, ut ſecurus famæ prodeat, patrocinium quærit, quam tuum. Primum, quoniam ea es indole erga literas, qua Parens Illuſtriſſimus, cujus nomini propter effuſam in literatos beneficentiam, debetur tanquam tributum, quidquid eruditæ elucubrationis in lucem emittitur.

Deinde, quia cum ſis Eccleſiaſticæ antiquitatis amans, aſſiduusque & curioſus indagator, potes æſtimare pro merito vetera illa monumenta, quæ alii aut præ inſolentia minoris pendant, aut præ inanium novitatum amore faſtidiant. Quidquod ex eo Collegio procedit, in quo prima poſuiſti pietatis & doctrinæ tyrocinia, cuique grato animo favere pergis, atque ita acceptum habes, quidquid inde eruditionis ad Dei gloriam & Eccleſiæ bonum promovendum editur.

Accedat etiam, ſi quid tamen momenti habere queat, quod ab eo Notis Diſſertationibusque auctus ſit, qui te ſemper, tuamque Illuſtriſſimam Familiam ſingulari veneratione coluit.

EPISTOLA.

Hanc mihi Familiam animus non eſt ambitioſo præconiorum apparatu verboſe laudare. Quid enim opus, cum ipſam appellare, laudationem quamlibet antecellat? Hujuſmodi nempe eſt, cujus Patrem Ludovicus Regum Maximus & prudentiſſimus merito diligat, ſummiſque rebus præficiat, & victoriarum omnium, magnorumque conſiliorum, propter providentiam, adjutorem habeat.

Cujus Filius natu primus vincat ætatem virtute, Patriſque veſtigiis inſiſtens, majoribus Regni adminiſtris par ſit.

Cujus tu ſecundus Filius natu ea dignitate fulgeas in Eccleſia, quæ ad maximas certus ſit gradus; ſiquidem meritis innititur, quibus nihil non poſſit deberi. Familiæ enim decora, pietate, virtute, doctrina, humanitate ſic auges, ut magnam tui expectationem concites, &, quantum augurari licet, ſperaturus ſis.

Id vero facies, ſi meis precibus DEUS annuerit. Precor enim, ut eum te præſtet in Eccleſia, qui Pater in Regno, Miniſtrum ſcilicet fidelem, actuoſum, magnanimum, fortem, providum, amantem illius, cui ſervis; dignum viciſſim, qui redameris, & ampliſſimis honoribus juſte augearis.

JOAN-

JOANNIS GARNERII
PRÆFATIO
AD LECTOREM.

I.

Qui diu latuit LIBER DIURNUS ROMANORUM PONTIFICUM, in lucem *prodit*: cur enim latere pergeret, cum nihil eo ſit, aut opportunius ad ſtudioſorum cupiditatem explendam, aut utilius ad veterem Hiſtoriam Eccleſiaſticam, aut neceſſarium magis ad maledicorum ora obſtruenda, aut honorificentius ad ſedis Apoſtolicæ dignitatem adverſus Honorii calumniatores?

II. Romani Diurni nomine appellatur Codex, in quo, præter formulas ſcribendi, quibus ſexto, ſeptimoque & octavo ſæculo, atque etiam nono, ſummi Pontifices uti ſolerent: continentur inſuper ordinationes ſummi Pontificis & Epiſcopi ſuburbicarii, cum ſuis omnibus adjunctis; profeſſiones fidei, privilegia, præcepta, conceſſiones, aliaque hujuſcemodi non pauca.

III. Ignotus non fuit veteribus recentioribuſque, ſive Canonum collectoribus, ſive aliis illuſtribus Scriptoribus. Olim certe meminerunt YVO CARNOTENSIS, GRATIANUS, ANSELMUS LUCENSIS, CARDINA-

LIS DEUSDEDIT: meminerunt etiam noſtra patrumque ætate ANTONIUS, AUGUSTINUS, BARONIUS, LABBEUS, & qui ab ipſo acceperunt.

IV. Yvo Carnotenſis parte IV. ſui Decreti, capite CXXXII. quod inſcribitur *de octo univerſalibus Conciliis*, refert *ex libello Diurno* partem profeſſionis fidei Romani Pontificis: *Sancta octo univerſalia Concilia, id eſt, I. Nicænum, II. Conſtantinopolitanum, III. Epheſinum, IV. Calchedonenſe, V. item Conſtantinopolitanum, VI. item Nicænum, VII. & VIII. quoque Conſtantinopolitanum, ad unum uſque apicem immutilata ſervare, & pari honore & veneratione digna habere, & quæ prædicarunt & ſtatuerunt, omnimodis ſequi & prædicare; quæque comdemnaverunt, ore & corde condemnare, profiteor.*

V. Eadem habentur lib. II. PANORMIÆ capite CIII. atque etiam apud GRATIANUM diſtinctione XVI. ubi in notis legitur: *Integram profeſſionem fidei, quando quis in Romanum Pontificem promovebatur, refert Deusdedit Cardinalis in Collectione Canonum, quæ ſervatur in Bibliotheca Vaticana.*

VI. Hunc locum cum vocaret ad examen dial. 20. ANTONIUS AUGUSTINUS, hæc addit: *Is liber* (Diurnus Romanus) *non extat, quod ſciam, hoc titulo, profeſſionis tamen vidi aliquot exempla.* Quin etiam in Epitome Juris Pontificii veteris, libro V. tit. X. cap. 54. maximam ejusdem profeſſionis partem exhibet. Integram ex ejusdem Auguſtini chartis Baronius in Annales ad annum 869. contulit, multis tamen interpolatis, quibus etſi caret in Diurno, opus erat nihilominus, ut ad noni ſæculi uſum aptaretur.

VII. Vetuſtiſſimi Codicis quaternionem unum, aut alterum, viderat eruditus LABBEUS, fragmentumque inde cum illuſtriſſimo MARCA & JOANNE LAUNOIO communicaverat; eratque MARCA, quod acceperat, inſerturus Diſſertationi, quam de Honorio ſcribere meditabatur. LAUNOIUS accepto uſus eſt in Epiſtolis, aliisque paſſim ſcriptis.

VIII.

VIII. Jamdudum expetitus eſt ab eruditis, quamvis ex minima parte notus: pars nempe deſiderium totius fecit, & illud quidem eo majus, quod neque levi, neque temeraria opinione creditum eſt, ex monumento tanti momenti, tamque celebrato & antiquo, erui poſſe plura, quæ Eccleſiaſticam *Hiſtoriam* illuſtrent, remque Fidei juvare poſſint.

IX. Nunc primum in lucem noſtra qualicumque opera, integer, meo quidem judicio, producitur. Cur diu ſuppreſſus ſit, fecit vehemens aliunde occupatio, qua ſum impeditus: cur tandem prodeat, facit hæc una, vel ſola, vel potiſſima cauſa, ut motam de Honorio quæſtionem, magnaque animorum contentione non tam agitatam, quam vexatam oſtenderem, ita componi poſſe, vel ipſo centum fere ſummorum Pontificum judicio, ut neque ſedis Apoſtolicæ, cujus meum colendæ ſtudium nulli velim eſſe impar, fides unquam vitiata dicatur; neque incredibiles fingantur actorum ſextæ Synodi, aliorumque veterum monumentorum corruptiones, *quod ab hiſtorica* doctrina mirum quantum abhorret; neque *ſexta Synodus*, cui legati ſedis Apoſtolicæ præfuerint, erroris arguatur; neque Honorius, quamvis omnino fuerit purus Monotheliſmi, culpa caruiſſe putandus ſit.

X. Manuſcriptus porro Codex, unde accuratur editio, præterquam quod optimæ notæ eſt, ſuam inſuper nongentorum circiter annorum ætatem proprio Latini caracteris modo loquitur; & ut caracter ſileret, ſuadent tamen reliqua. Nam cum recenſentur ſummi Pontifices, Concilia, & Imperatores, in eo ſiſtitur, unde facile ætas innoteſcat. Inter Pontifices poſtremi appellantur Martinus I. & Agatho, ex quibus ille anno 655. iſte anno 682. obiit: inter generalia Concilia ultimum memoratur ſextum, quod habitum anno 680. etſi aliorum meminiſſe opus erat, vel maxime, ſi jam extitiſſent. Inter Imperatores Conſtantinus Pogonatus extremum locum occupat, diciturque nuper coegiſſe ſextum Concilium; Pogonatus vero obiit anno 685.

XI. Collectus eſt igitur Diurnus poſt annum 685. ſed quo tempore? cum de ordinatione ſummi Pontificis inter formulas numerentur duæ, quibus ad Exarchum ſcribebatur. Cumque Exarchi inſtituti ſint anno 567. pulſi anno 752. neceſſe eſt fateri, collectum eſſe eo temporis intervallo, quod ab anno 567. ad annum 752. effluxit.

XII. Si vera eſſent duo, quæ Baronius ex Anaſtaſio Bibliothecario prodit; alterum a Conſtantino Pogonato reſtitutam fuiſſe Eccleſiam Romanam in jus ſuum eligendi at ordinandi Pontificis, remiſſumque debitum petendæ ab Imperatore & Exarcho aſſenſionis: alterum, Joannem V. alioſque conſequentes ſucceſſores, ea libertate poſtmodum ad uſque tempora Caroli Magni conſecratos, affirmandum eſſet, collectionem hanc factam eſſe ante annum 685. quando quidem Joannes V. in ſedem Apoſtolicam aſcendit anno 685. die 22 aut 23. Julii. Verum quæ Baronius tradit, explicatione egent, & epocha inde collecta a veritate Hiſtoriæ abhorret: nam fidei profeſſiones duæ Conſtantini jam defuncti meminerunt. Defunctus vero eſt anno 685. menſe Septembri, duobus fere menſibus poſt Joannis ordinationem.

XIII. Nihil probabilius dici poſſe reor, nihil definiri certius, quam quod ad Gregorii II. primæ tempora pertineat, ſitque compoſitus paulo poſt annum 714. id enim ſi ponatur, congruent omnia, conſentientque tum inter ſe, tum Hiſtoriæ, ut in obſervationibus annotabitur, prout ſeſe res & temporis notæ offerent.

XIV. Eſt iſte porro Liber MARCULFI Formulis ætate poſterior, ſi modo vere affirmetur Marculfus anno 660. ſcripſiſſe; argumento tamen præſtat: nam formulas continet Marculfianis regalibus & pagenſibus eo commendabiliores, quod Eccleſiaſticæ ſint, quod Pontificiæ, quod ad Hiſtoriam conducibiliores, quod non contrahantur anguſtiis unius regni, quod Latinitatis magnam partem melioris, quod ex antiquioribus excerptæ. Plures enim deſumptæ ſunt ex Epiſtolis

Grego-

Gregorii Magni, aliorumque Pontificum, aliquando integræ, aut paucis immutatis, aliquando ex parte tantum: quod in notis indicabimus.

XV. Quod autem dixi de formulis, quoad locum unde hauſtæ ſunt, non perinde intelligi debet de profeſſionibus fidei, aliisque ad ordinationem, tum ſummi Pontificis, tum Epiſcopi pertinentibus: id enim aut fere totum, aut magnam partem, deſumptum videtur ex iis, quæ in ordinatione Pontificum, paulo poſt ſextam Synodum, contigerunt: nam profeſſiones fidei a ſuperioribus Pontificibus emiſſæ, cum Pontificatum capeſſerent, multum differunt ab iis, quas edimus, ut ex collatione patebit.

XVI. Quantum laboris poni debuerit in emendando Codice, quem imperita manus deſcribendo vitiaverat, vix ego ipſe mihi credo; religioſe tamen cavi, ne quid corrigerem, præter ſolœciſmos, ineptasque vocum, vel tranſpoſitiones, vel diſtractiones, vel conjunctiones, vel repetitiones, vel *etiam omiſſiones*: correxi vero, quoties licuit, non aliunde, quam *ex libris*, unde formulæ deſumptæ ſunt, præſertim ex Regeſto Gregorii M. aliorumque Pontificum Epiſtolis.

XVII. Notas addidi, quibus erat opus; quod nemo, qui legerit, non eſt facile faſſurus: eas vero non rejeci in alteram voluminis partem, quod quidam ſolent, doctus experientia, rejectas procul a textu, aut laborioſe legi, atque ita lectorem, vel exoptatum fructum non capere, vel cum obſcura offendit, faſtidioſe librum abjicere.

XVIII. Viſa ſunt autem tria in notis potiſſimum exponenda, Hiſtorica, Dogmatica, & quæ dicuntur, Critica. Hiſtorica dico, quæcumque ad afferendam Hiſtoriæ lucem conducunt; Dogmatica, quæ fidem Apoſtolicæ ſedis conceptis expreſſisque verbis exponunt; Critica, quæ ad intelligentiam vocum rituumque veterum conferunt.

XIX. Tam pretioſis tamque utilibus venerandæ antiquitatis monumentis auſus eſt, ut quidem ſuſpicor, interpo

lator aliquis recentiora quædam & vilia, aut inſerere, aut ſaltem addere. Hujuſmodi ſunt aliqua Apoſtolicæ autoritatis privilegia, non longe diſtantia ab iis, quæ eruditis non admodum probantur: nam interminationes damnationis, *cum Satana ejuſque Pompis, & proditore Juda,* factæ a ſummis Pontificibus, adverſus ipſos quoque ſedis Apoſtolicæ ſucceſſores, pro rebus non graviſſimis, vel ſuppoſititiæ ſunt, vel ſequioris ævi. Sed de ſingulis ſigillatim in notis.

XX. Complectitur Liber Diurnus, quem integrum, opinor, edimus, titulos omnino centum & quatuor. In Codice manuſcripto deſcribuntur illi continua ſerie, ſine ulla vel diviſione Operis in partes, vel diſtributione partium in capita, vel capitum diſtinctione pro diverſis argumentis. Id vero non mirum, ſiquidem veteribus ejuſmodi rebus non raro accidit: quis enim, ut ſileam confuſiſſimas plurimas Canonum collectiones, quis inquam, in Marculfianis Formulis ordo? quæ diſpoſitionis ratio?

XXI. Veruntamen qui videtur ordo deficere, facile poteſt ſuppleri, ſi Diurnus totus diviſus fuerit, ut revera eſt, quamvis non indicetur, in duas partes; parſque prior ſex capita complectatur; poſterior unum, ſed prolixum, atque ita ſeptem omnino capita exiſtant.

Primum: *De ſuperſcriptionibus & ſubſcriptionibus,* ſub quo duodecim tituli.

Secundum: *De ordinatione ſummi Pontificis,* ſub quo undecim tituli.

Tertium: *De ordinatione Epiſcopi a ſummo Pontifice,* ſub quo tituli novemdecim.

Quartum: *De uſu pallii,* ſub quo tituli quatuor.

Quintum: *De perſonis & locis ſacris,* ſub quo novemdecim pariter tituli.

Sextum: *de rebus Eccleſiæ procurandis & alienandis,* ſub quo tituli unus & viginti.

Septi-

Septimum: *De diverſis privilegiis Apoſtolicæ autoritatis, ſive de eximendis, dotandis, concedendis, confirmandis, adunandis Monaſteriis & locis piis, de præpoſitatu,* &c.

XXII. Ad id autem, quod dixi de continua ſerie, qua, ſine idonea partitione, formulæ in MS. Codice deſcribuntur, addendum eſt, magna etiam confuſione permiſceri plura, quæ quod nullam habeant affinitatem, ratio jubet ſeparari, ſuoque ordini reſtitui: id vero præſtare conatus ſum, nec ullus, opinor, improbabit factum, qui perturbationem fuerit intuitus: ea vero ut pateat, duos exhibeo diverſos pugnanteſque libri Diurni ſyllabos, alterum Romani Codicis, alterum noſtri.

XXIII. Apographum ex Urbe multis abhinc annis tranſmiſſum ſic ſe habet:

INDEX FORMULARUM CODICIS MS. ANTIQUISSIMI.

Principio quatuor folia corroſa perierunt; principium tamen in reliquiis adhuc agnoſcitur.

Indiculum epiſtolæ faciendæ . . . . .

Superſcriptio ad Princip . . . . . .

Domino piiſſimo, &c.

Victori ac triumphat . . . . .

Cæterorum capitum, aut formularum veſtigia nulla ſuperſunt.

Incipit deinde folium quintum ab hiſce verbis:

Ordines prætendentes nulla ratione ſuſcipiant, &c. quæ videtur eſſe forma vel indiculum de officio Epiſcopi.

Sequuntur deinde ordine hic infraſcripta capita.

Formata quam accipit Epiſcopus. *Illis Presbyteris Diaconibus,* &c.

Synodale, ut Epiſcopus alterius civitatis in alia Eccleſia poſſit incardinari.

Præceptum de adunandis Eccleſiis. *Poſtquam hoſtilis,* &c.

Petitio

Petitio dedicationis oratorii. *Domino ſancto & beatiſſimo*, &c.
Reſponſum oratorii dedicandi. *Ill. petitorii nobis inſinuatione*
Reſponſum de ſperando ſanctuaria. *Ill. ſanctuaria beati*, &c.
De levandis ſanctuariis. *Ill. in oratorio.*
De dando beneficia S. Angeli. *Ill. ut beneficia.*
Reſponſum de dedicando oratorio intra Monaſterium Monachorum. *Religioſis deſideriis.*
De condendis reliquiis intra Monaſterium. *Religioſis deſideriis*, &c.
De recondendis reliquiis intra Epiſcopium. *Quoniam dilectio tua.*
Petitio Epiſcopi. *Ad laudem ſummi certum eſt pertinere*, &c.
Reſponſum. *Baſilicam, quam dilectio tua*, &c.
Item reſponſum. *Oblationem dilectionis tuæ*, &c.
Epiſcopo de levandis ſanctuariis. *Noverit fraternitas tua*, &c.
Item reſponſum. *Baſilicam quam dilectio*, &c.
Item reſponſum. *Ill. & Ill. in ſolo ſibi conceſſo*, &c.
Item reſponſum. *Petitionem dilectionis tuæ*, &c.
De altari dedicando. *Relationis tuæ*, &c.
De recondendo corpore Sanctorum. *Ille filius noſter*, &c
Baſilica, quæ poſt incendium reparatur. *Baſilicam quam*, &c.
Baſilica, quæ poſt ruinam juxta ipſam alia conſtructa eſt. *Quoniam beati*, &c.
Petitio de dedicando Baptiſterio. *Votiva ſolennitas*, &c.
Reſponſum dedicandi Baptiſterium. *Ille filius noſter*, &c.
Item reſponſum. *Ille petitoria nobis*, &c.
Privilegium. *Quoniam ſemper ſunt concedenda*, &c.
Præceptum de commutando loco. *Quamquam rei commutatio*, &c.
Præceptum autoritatis de faciendis chartulis. *Quæcumque ad Eccleſiam*, &c.
Item aliud de facienda chartula. *Quamvis ea, quæ legaliter*, &c.
Præceptum de commutando mancipio. *Ille Abbas Monaſterii*, &c.

Præ-

Præceptum de donando puero. *Nihil ſibi ſubtrahit*, &c.
Præceptum libertatis. *Domino credimus Deo noſtro*, &c.
Epiſcopo de ordinando Presbytero. *Presbyter, qui Baſilicæ*, &c.
Item de ordinando Presbytero. *Filius ille noſter poſtulavit*, &c.
Invitatorium ad Epiſcopum in natale Papæ. *Dei noſtri miſericordiâ*, &c.
Excuſatoria. *Scripta fraternitatis tuæ*, &c.
Excuſatoria, quando Epiſcopus infirmatur. *Et natalis noſtri*, &c.
De uſu pallii. *Si paſtores ovium*, &c.
Item aliud. *Officium Sacerdotis adſumere*, &c.
Item aliud. *Pallii uſum, quem ad ſacerdotalis*, &c.
Item aliud Epiſcopis Siciliæ. *Apoſtolicæ ſedis benevolentia*, &c.
Tractoria. *Eccleſiaſticæ cauſæ non recepit*, &c.
Item Tractoria. *Præſentium latores pro ſua devotione*, &c.
Præceptum eunte Ordinatore in patrimonio. *Salubri providentia*, &c.
Item aliud eunte Rectore in patrimonio. *Quoniam in ordinando*, &c.
Colonis & familiæ maſſarum, ſive fundorum, in provincia illa conſtitutæ. *Ad ſolicitudinem vos illius ſedis noſtræ*, &c.
Præceptum commendaticium eunte Rectore in patrimonio, ad Judicem Provinciæ. *Qui in actione poſitus*, &c.
Item ad Patricium. *Qui illos protegit*, &c.
Item ad Epiſcopum. *Illi Notario ſanctæ noſtræ Eccleſiæ*, &c.
De ordinatione Pontificis. *Pſallunt ſecundum conſuetudinem*, &c.
De electione Pontificis ad Principem. *Cum non ſint divinæ*, &c.
Nuntius ad Exarchum de tranſitu. Superſcriptio. *Domino excellentiſſimo.* *Novit humanis rebus*, &c.
Judicibus Ravennæ. Superſcriptio. *Domino eminentiſſimo.* *Si beneficia*, &c.
Ad Apocriſiarium Ravennæ. Superſcriptio. *Dilectiſſimo fratri* . . . *Dudum obitum*, &c.
Præceptum de concedendo Monaſterio. *Convenit Apoſtolico*, &c.

Item aliud. *Semper in religioſis*, &c.

Præceptum de concedendo Xenodochio. *Petentium deſideriis*, &c.

Item aliud. *Qui in commiſſis ſibi*, &c.

Præceptum de Præpoſitatu. *Quantum nos fidelium*, &c.

Præceptum, quando fiet abſens Subregionarius ac Regionarius. *Qui in commiſſis*, &c.

Præceptum, quando laicus tonſuratur, & fit Regionarius. *Quos bonæ vitæ*, &c.

Præceptum de concedendo puero in Monaſterio. *Nihil credimus minui*, &c.

Præceptum de concedendo puero. *Exemplo paſtoralis benignit.* &c.

Promiſſio fidei Epiſcopi. *In nomine Domini*, &c. *Promitto*, &c. *Ego*, &c.

Cautio Epiſcopi. *In nomine Domini Dei ſalvatoris noſtri*, &c.

Indiculum Epiſcopi. *In nomine Domini. Imperante*, &c.

Indiculum Epiſcopi de Longobardia. *In nomine Domini*, &c.

Privilegium Monaſterii in alia provincia conſtituti. *Si ſemper ſunt*, &c.

Decretale, quod legit Diaconus, quando Epiſcopus diſcutitur. *Deſtitutis*, &c.

Item aliud, quod legit Diaconus. *Electio, in qua*, &c.

Item aliud ejusdem. *Deſideria venerandorum canonum*, &c.

Præceptum aliud de concedendo puero. *Credimus ad augmentum*, &c.

Decretum Pontificis. *Inter cætera, quæ ſublimius divinitus*, &c.

Indiculum Pontificis. *Ille miſericordia Dei Diaconus & electus*, &c.

Sub hoc capite continentur alia duo ſine titulo.

Primum continet profeſſionem fidei. *Ille Epiſcopus ſanctæ Catholicæ*, &c.

Ad hoc Apoſtolicæ ſedis officium, dilectiſſimi filii, &c.

Alterum continet ſermonem, ſive alloquium. *Ille Epiſcopus ſanctæ Catholicæ*, &c. *Hodierni*

Hodierni diei feſtiva jucunditas invitat nos, dilectiſſimi, &c.
Diverſa privilegia Apoſtolicæ autoritatis. *Ille Epiſcopus ſervus ſervorum,* &c.
Privilegium Monaſterii. *Creditæ ſpeculationis impellimur,* &c.
Privilegium. *Spiritalium præmiorum munificentia,* &c.
Privilegium. *Cum magna nobis ſolicitudine inſiſtit cura,* &c.
Privilegium. *Convenit Apoſtolico moderamini,* &c.
Item Privilegium. *Tanto plus Eccleſiaſticæ res,* &c.
Aliud Privilegium. *Divina nos ſaluberrima præcepta,* &c.
Privilegium. *Cum piæ deſiderium voluntatis,* &c.
Prologum judicatum Privilegii. *Dum pro exequendis juſtitiæ,* &c.
Privilegium de Diaconiis. *Dum pro adipiſcendis,* &c.
Privilegium. *Supernæ miſerationis reſpectu,* &c.
Privilegium. *Summam gerentes ſolicitudinem,* &c.
Privilegium confirmationis. *Quæque intuitu pietatis gerimus,* &c.
Privilegium. *Cum exarandis DEI laudibus,* &c. usque ad ea verba, *cum propriis congregationibus, quæ regulariter in Pſalmis.*
Cætera deſunt, nihil autem præter ultimum illud folium deeſſe videtur.

In codice noſtro MS. ſic legitur.

Incipit ſuperſcriptio ad Principem. *Domino piiſſimo,* &c.
Superſcriptio ad Auguſtam. *Dominæ piiſſimæ filiæ,* &c.
Superſcriptio ad Patritium. *Domino excellentiſſimo,* &c.
Subſcriptio ad Comitem Imperialis obſequii, & Exarchum. *Incolumem excellentiam,* &c.
Superſcriptio ad Conſulem. *Domino eminentiſſimo filio,* &c.
Superſcriptio ad Regem.
Superſcriptio ad Patriarcham. *Dilectiſſimo fratri,* &c.
Superſcriptio ad Epiſcopum forenſem. *Dilectiſſimo nobis,* &c.
Superſcriptio ad Archiepiſcopum Ravennæ. *Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri,* &c.
Superſcriptio ad Epiſcopum, *ut ſupra,* &c.

Superſcriptio ad Presbyterum, Diaconum, Primicerium, & Secundicerium. *Dilectiſſimo filio*, &c.

Subſcriptio conſtituti. *Ill. Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ*, &c.

Decretum de electo Epiſcopo, quod leget Notarius Regionarius. *Domino ſancto merito*, &c.

Decretale, quod legit Diaconus deſignato Epiſcopo. *Domino beatiſſimo Papæ*, &c.

Item aliud. *Deſiderio facile credimus*, &c.

Item aliud. *Paſchalis feſtivitas*, &c.

Synodale, quod accipit Epiſcopus. *Clero, Ordini & Plebi conſiſtenti*, &c.

Formata, quam accipit Epiſcopus. *Ill. Presbyteris, Diaconibus*, &c.

Synodale, ut Epiſcopus alterius civitatis in alia Eccleſia poſſit incardinari. *Clero, Ordini, & Plebi*, &c.

Præceptum de adunandis Eccleſiis. *Poſtquam hoſtilis impietas*, &c.

Petitio dedicationis oratorii. *Domino ſancto & beatiſſimo Patri Patrum*, &c.

Reſponſum oratorii dedicandi. *Petitoria Ill. nobis inſinuatione ſuggeſſit*, &c.

Reſponſum de ſperandis ſanctuariis. *Sanctuaria beati Ill. oblata petitione*, &c.

De dandis ſanctuariis. *In oratorio ab Ill. conſtructo*, &c.

De dando beneficio Angeli. *Beneficia ſancti Archangeli*, &c.

Reſponſio de dedicando oratorio intra Monaſterium Monachorum. *Religioſis deſideriis*, &c.

De recondendis reliquiis intra Monaſterium. *Religioſis deſideriis*, &c.

De recondendis reliquiis intra Epiſcopium. *Quoniam dilectio tua*, &c.

Petitio Epiſcopi. *Ad laudem ſummi certum eſt pertinere Pontificis*, &c.

Item reſponſum. *Baſilicam, quam dilectio tua*, &c.

Item reſponſum. *Ill. in Ill. ſolo ſibi conceſſo*, &c.
Item reſponſum. *Petitionem dilectionis tuæ*, &c.
De altari dedicando. *Relationis tuæ*, &c.
De recondendo corpore Sanctorum. *Ille filius noſter Ill.* &c.
Baſilica, quæ poſt incendium reparatur. *Baſilicam, quam in caſtro Ill.* &c.
Baſilica, quæ poſt ruinam juxta ipſam conſtructa eſt. *Quoniam beati Ill.* &c.
Petitio de dedicando Baptiſterio. *Votiva ſolemnitas animorum exigit*, &c.
Reſponſum dedicandi Baptiſterii. *Filius noſter in fundo Ill.* &c.
Item reſponſum. *Petitoria Ill. nobis ſuggeſſit inſinuatione*, &c.
Privilegium. *Quoniam ſemper ſunt*, &c.
Præceptio de ſancto mutando loco. *Quamquam rei commutatio*, &c.
Præceptum autoritatis de faciendis chartulis. *Quæcumque ad Eccleſiaſticarum rerum locationes*, &c.
Item aliud de faciendis chartulis. *Quamvis ea, quæ legaliter geruntur*, &c.
Præceptum de commutando mancipio. *Conſtat ſtrenuitatem tuam*, &c.
Item aliud de commutando mancipio. *Abbas Monaſterii Ill.* &c.
Præceptum de donando puero. *Nihil ſibi ſubtrahit*, &c.
Item præceptum de concedendo puero. *Exemplo paſtoralis benignitatis*, &c.
Item præceptum de concedendo puero. *Credimus ad augmentum*, &c.
Præceptum libertatis. *Domino credimus Deo noſtro*, &c.
Epiſcopo de ordinando Presbytero. *Presbyter qui Baſilicæ*, &c.
De ordinando Presbytero. *Filius noſter Ill. poſtulavit*, &c.
Invitatoria ad Epiſcopum in natali Papæ. *Dei noſtri miſericordia favente*, &c.
Excuſatoria. *Scripta fraternitatis tuæ*, &c.

Excuſatoria, quando Epiſcopus infirmatur. *Et natalis noſtri feſtivitas*, &c.

De Uſu pallii. *Si paſtores ovium*, &c.

Item aliud. *Officium Sacerdotis adſumere*, &c.

Item aliud. *Pallii uſum, quem*, &c.

Item aliud Epiſcopis Siciliæ. *Apoſtolicæ ſedis benevolentia*, &c.

Tractoria. *Eccleſiaſticæ cauſæ*, &c.

Item Tractoria. *Præſentium latores*, &c.

Præceptum eunte Ordinatore in patrimonium. *Salubri providentia*, &c.

Item aliud fundi Rectori. *Quoniam in ordinando*, &c.

Colonis & familiæ maſſarum, ſive fundorum, in provincia conſtitutæ. *Ad ſolicitudinem vos Ill.* &c.

Præceptum ad commendationem euntis Rectoris in patrimonium, ad Judicem provinciæ. *Qui in actione poſitus*, &c.

Ad Patricium provinciæ. *Qui illa protegit*, &c.

Item ad Epiſcopos. *Notario Ill. ſanctæ noſtræ Eccleſiæ*, &c.

De ordinatione Pontificis. *Pſallunt ſecundum conſuetudinem*, &c.

De electione Pontificis ad Principem. *Cum non ſine divinæ miſericordiæ nutu*, &c.

Nuntius ad Exarchum de tranſitu Pontificis. Superſcriptio. *Domino excellentiſſimo. Quamquam non ſine gravi gemitu*, &c.

De electione Pontificis ad Exarchum. Superſcriptio. *Domino excellentiſſimo. Novit humanis rebus*, &c.

Ad Archiepiſcopum Ravennæ. Superſcriptio. *Domino ſanctiſſimo. Inter cætera, quæ ſummæ divinitatis conſilio*, &c.

Judicibus Ravennæ. Superſcriptio, *Domino excellentiſſimo. Si benefacta*, &c.

Ad Apocriſiarium Ravennæ. Superſcriptio. *Dilectiſſimo fratri. Dudum obitum*, &c.

Incipit decretum de electione Pontificis. *Inter cætera, quæ ſummæ divinitatis*, &c.

Indiculum Pontificis. *In nomine Domini Dei Salvatoris noſtri*, &c.

Item

Item alia profeſſio fidei. *Ill. Epiſcopus. Hoc Apoſtolicæ ſedis officium,* &c.

Item alia. *Ill. Epiſcopus. Hodiernæ diei feſtiva jucunditas,* &c.

Promiſſio fidei Epiſcopi. *In nomine Domini,* &c. *promitto ego Ill. Epiſcopus,* &c.

Cautio Epiſcopi. *In nomine Domini,* &c. *Inter cætera ſalubris inſtituta doctrinæ,* &c.

Indiculum Epiſcopi. *In nomine Domini,* &c. *promitto ego, Ill. Epiſcopus,* &c.

Indiculum Epiſcopi de Longobardia. *In nomine Domini,* &c. *promitto ego Ill. Epiſcopus,* &c.

Diverſa privilegia Apoſtolicæ autoritatis. *Si quis autem, quod non optamus,* &c.

Privilegium Monaſterii. *Creditæ ſpeculationis impellimur cura,* &c.

Item privilegium. *Spiritualium præmiorum munificentiam,* &c.

Item privilegium. *Cum magna orbis ſolicitudine,* &c.

Item privilegium. *Convenit Apoſtolico moderamini,* &c.

Item privilegium. *Tanto plus Eccleſiaſticæ res,* &c.

Item privilegium. *Divina nos ac ſaluberrima præcepta,* &c.

Item privilegium. *Cum piæ deſiderium voluntatis,* &c.

Prologus in Judicatum. *Cum pro exequendis juſtitiæ,* &c.

Privilegium. *Convenit Apoſtolico moderamini,* &c.

Item aliud. *Semper religioſis,* &c.

Privilegium Monaſterii in alia provincia. *Si ſemper ſunt concedenda,* &c.

Præceptum de concedendo Xenodochio. *Petentium deſideriis,* &c.

Item aliud. *Qui in commiſſis ſibi,* &c.

Præceptum de Præpoſitura. *Quantum nobis fidelium,* &c.

Præceptum, quando Clericus fiet abſens. *Qui in commiſſis ſinceriter,* &c.

Præceptum, quando laicus tonſuratur, & fit Regionarius. *Quos bonæ vitæ opinio,* &c.

Præ-

Præceptum de concedendo puero in Monaſterio. *Nihil credimus minui*, &c.

Privilegium Diaconias. *Dum pro adipiſcendis*, &c.

Item privilegium. *Supernæ miſerationis reſpectu*, &c.

Item privilegium. *Summam gerentes ſolicitudinem*, &c.

Privilegium firmationis loci. *Quæcumque intuitu pietatis*, &c.

Privilegium, quando ſuo proprio loco conceditur. *Dum magna nobis cura*, &c.

Privilegium ad confirmationem Monaſterii. *Deſiderium, quod ad religioſum*, &c.

Privilegium, quando loca, quæ ablata ſunt a Monaſterio, in uſus priſtinos reſtituuntur. *Divina præceptiones monent*, &c.

Securitas. *Juſtitiæ conſentaneum*, &c.

Securitas. *Conſtat magnitudini*, &c.

Epiſtola ad Epiſcopum adhortandum. *Miratur nimis*, &c.

Epiſtola conſolatoria. *Apoſtolici ſermonis ſuminentes principium*, &c.

Epiſtola vocatoria. *Dilectiſſimis fratribus.*

Si tanta eſt, quanta hic exhibetur, utriusque exemplaris diſcrepantia, ſi tanta etiam utriusque propria perturbatio, fuit, opinor, neceſſe, ex ea confuſione evadere, & naturam ſequi ducem, quæ & ſingulis titulis ordinem tribuit, & ad quæ capita ſint quique revocandi, præmonſtrat: idque præſtitimus, niſi fallor, probabiliter, capitibus ſeptem, quæ expoſita ſunt, complexi.

Ea porro confuſio nihil detrahit de pretio libri, quandoquidem antiquæ omnes fere collectiones ejusmodi rerum hoc vitio laborant. Marculphi formulæ vix habent quidquam ordinis, vix codices Canonum, ſive qui Eccleſiæ univerſæ vulgo dicuntur, ſive qui Romanæ. In eo certe, qui nuper editus eſt, & pro antiquiſſimo ſuppoſitus, nullus fere eſt ordo temporis, non magnus rerum delectus, indocta nonnunquam titulorum ratio, ut videatur merito, quod ait Editor, pag. 670. II. tom. *Rudior imperiti conſarcinatoris opera.*

INDEX

LIBER DIURNUS ROMANORUM PONTIFICUM.

CAPUT I.

Indiculum ſcribendæ epiſtolæ.

ARGUMENTUM.

In epiſtolis, quas Summus Pontifex ſcribit, obſervanda ſunt tria: ſuperſcriptio, ſubſcriptio & compellatio. Superſcriptio præfigitur literis; ſubſcriptio ſubjungitur; compellatio inſeritur. Forma primæ & ſecundæ habetur in Diurno, deeſt tertia; ſed facile poteſt vel ex prioribus aliis duabus, vel ex literis Pontificum, præſertim Gregorii Magni, ſuppleri.

Epiſtolæ Summi Pontificis ſunt vel ad ſæculares, vel ad eccleſiaſticas perſonas. Inter ſæculares eminent Imperator, Auguſta, Rex, & qui primas in aula tenent, cujusmodi Patricii, Exarchi, Comites, Conſules. Inter eccleſiaſticas cenſebantur id ætatis Patriarcha, Archiepiſcopus Ravennæ, Epiſcopi tum forenſes, tam qui ordinationi ſedis Apoſtolicæ ſubjacebant, Presbyteri, Diaconi, Primicerii & Secundicerii. Ad hos, quorum numero ceteri comprehenduntur, ſcribendi formulæ ſunt undecim; accedit duodecima, qua ſubſcribitur conſtituto.

Quoad

Quoad iſtas voces, Indiculum ſcribendæ epiſtolæ; *obſerva veteres formulas inſcriptionum & ſubſcriptionum fruſtra ex edito Gregorii Magni Regeſto ſperari, unde tamen ſpes videri poterat aliqua eſſe: collector enim, prætermiſſis honorificis titulis, id unum fere epiſtolæ fronti inſcripſit, quis cui ſcriberet. Reperiuntur tamen veterum auctorum libris inſertæ Gregorii epiſtolæ, quæ integram & ſolemnem formulam præferant: ex quo apertum eſt, non a Pontifice omiſſam, quod ex Joanne Diacono intelligitur; ſed a collectore neglectam, non parvo antiquitatis hiſtoricæ diſpendio. Idipſum contigit epiſtolis Leonis Magni: quare non ſunt audiendi, qui non aliter inſcriptas utriusque Pontificis epiſtolas auſi ſunt aſſerere, quam quomodo in codicem collectæ ſunt.*

TITULUS I.

Ad Principem. (a)

SUPERSCRIPTIO. (b) Domino (c) piiſſimo (d) & ſereniſſimo, victori ac triumphatori filio, amatori Dei & Domini

(a) *Ad Principem*] Orientalis Imperii: jamdudum enim Occidentale a barbaris exciſum fuerat, & Roma tunc, cum Liber diurnus collectus eſt, pulſis barbaris, ſub Orientis imperio cum exarchatu & inſulis erat.

(b) *Superſcriptio*] Uſurpata eſt ante VI. Concilium a Leone Magno, ſcribente ad Theodoſium juniorem, a Gregorio Magno, a Martino I. ab Agathone, &c. & poſt Concilium VI. a Leone II. &c.

(c) *Domino*] Uſitata priſtinis temporibus compellatio circiter nonum ſeculum deſuevit. Joannes Diaconus lib. 4. vitæ S. Gregorii M. *Omnes Gregorius ſacerdotes* fratres & comminiſtros; *clericos autem diverſi ordinis* dilectiſſimos filios: *at vero laicos viros*, dominos, *& feminas* dominas, *in ſuis literis nominabat.*

(d) *Piiſſimo, &c.*] Ratio hujuſce appellationis, aliorumque occurrentium, ex eo petenda eſt, quod in Principe chriſtiano ſuſpiciatur, & digni-

Domini noſtri Jeſu Chriſti, Ill. (e) Auguſto, Ill. Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. (f)

Et subscriptio (g) ejus. Piiſſimum domini imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentilium colla (h) ſubſternat.

& dignitas, qua dicitur auguſtus; & poteſtas, qua dominus; & ſtudium religionis, quo dilector Dei & Chriſti; & affectus erga eccleſiam, quo filius; & potentia adverſus hoſtes, qua victor & triumphator, & amor in ſubditos, quo pius, quod idem ac pater patriæ; & gubernandi modus, quo ſerenus ſeu tranquillus, id eſt, pacificus, & tranquillitatis, quæ pacem conſequitur, largitor. Additur aliquando, a Deo dilectus & coronatus, atque etiam glorioſus, ut imperandi jus, vitæque modus prædicetur. Verum ſi conſideretur populorum affectus, omnibus nominibus præcellunt duo, piiſſimus nempe & ſereniſſimus: unde in nummis, tam crebra mentio patris patriæ, & tranquillitatis, pacisque.

(e) *Ill.*] Ita veteres pro eo, quod nunc N ponitur, cum locum nominis indicare placet.

(f) *Servus ſervorum Dei*] Hæc loquendi formula non fuit a ſummis Pontificibus, quod ſciam, uſurpata ante tempora Gregorii Magni, qui ea uſus eſt, cum vellet Conſtantinopolitani Epiſcopi ſe univerſalem Epiſcopum dicentis faſtum, humilitatis ſuæ exemplo comprimere. Ita Joannes Diaconus lib. 2. vitæ S. Greg. cap. 1.

(g) *Subſcriptio*] Hæc ipſa legitur in literis Martini I. Agathonis & Leonis II. ad Conſtantinum Pogonatum, &c. Obſervandum porro, ſubſcriptionem manu Pontificis, inſcriptionem & epiſtolam manu Notarii exaratam: quare ex ſubſcriptione magis, quam aliunde, conſtat, quæ foret Pontificis erga eum, cui ſcribebat, affectio; loco apprecationis, quæ ſubſcriptione olim continebatur, nunc nominis appoſitio ſubjicitur. Obſervandus etiam ſummorum Pontificum mos antiquus, ejus, cui ſcribebant, nomen præponendi ſuo, ſine diſcrimine perſonarum.

(h) *Gentilium colla*] Non erat tutum illis temporibus propter dominantes in Italia Reges, non gentilium tantum, ſed etiam hæreticorum aut hoſtium meminiſſe.

TITULUS II.

Ad Auguſtam. (i)

SUPERSCRIPTIO. Dominæ piiſſimæ filiæ Ill. Auguſtæ, Ill. Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.

ET SUBSCRIPTIO EJUS. Veſtræ pietatis imperium gratia ſuperna cuſtodiat, domina filia.

ITEM ALIA. Incolumem ſerenitatem veſtram divina conſervet majeſtas, domina filia.

TITULUS III.

Ad Patricium. (k)

SUPERSCRIPTIO. Domino excellentiſſimo, atque præcellentiſſimo filio Ill. Patricio, Ill. Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.

ITEM SUBSCRIPTIO EJUS. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

TITU-

(i) *Ad Auguſtam*] Inviderunt magna ex parte nobis collectores epiſtolarum SS. Leonis & Gregorii, formulam, qua inſcriberentur, ſubſcriberenturque literæ Pontificum ad Auguſtas; nullus tamen dubito, quin eadem foret, aut non admodum diſſimilis ei, quam colligo ex epiſtola Gregorii Magni ad Conſtantiam lib. 3. epiſt. 30. quæ incipit: *Serenitas veſtra pietatis.* Et poſtea: *Sed quia ſereniſſima domina religioſum deſiderium*, &c. vel quemadmodum eſt in 1. part. Conc. Calched. *Glorioſiſſima & humaniſſima filia Pulcheria Leo Epiſcopus.* Inde enim confici poteſt inſcriptio: Dominæ piiſſimæ ac ſereniſſimæ filiæ Auguſtæ Conſtantiæ.

(k) *Ad Patricium*] Eo nomine appellatur, non, ut olim, qui ex ſenatore parente ortus, ſed qui poſt magiſtratus illuſtriores geſtos vocaretur ad ſanctius Imperatoris conſilium.

TITULUS IV.
Ad Comitem (l) *imperialis obſequii, & Exarchum.* (m)

SUBSCRIPTIO. Incolumem excellentiam veſtràm gratia ſuperna cuſtodiat, domine fili.

(l) *Ad Comitem, &c.*] Una eademque eſt ſuperſcribendi formula in literis ad Patricium, Comitem imperialis obſequii, & Exarchum, propter dignitatis paritatem. Generali porro nomine Comitis imperialis obſequii, comprehenſi ſunt omnes, qui primas in aula dignitates tenerent, ut Magiſtri militum, Magiſtri officiorum, Comites S. L. & alii.

(m) *Ad Exarchum*] Præfectum Imperatoris Conſtantinopolitani in Italia; ea porro dignitas ducentis ferme annis manſit: Longinus enim primus a Juſtino juniore inſtitutus eſt Exarchus anno 567. Poſtremus Eutychius ab Aiſtulpho, Longobardorum Rege pulſus anno 752. Tanta fuit Exarchorum potentia, ut in tyrannidem aliquando evaſerit: quod ex literis ſancti Gregorii manifeſtum eſt. Ad eum certe, ſicut ad Imperatorem, Apocriſiarius a ſede Apoſtolica mittebatur, ut conſtat ex cap. 2. hujus Diurni, in quo eſt forma literarum ad Apocriſiarium Ravennæ, de electione Pontificis. Fuit vero tantæ potentiæ, tantæque ex potentia naſcentis arrogantiæ cauſa: 1. quod Exarchi longe abeſſent Conſtantinopoli ab urbe regia: 2. quod copioſum contra barbaros exercitum haberent in poteſtate: 3. quod facile poſſent, ſi modo aliquid ab Imperatore timerent, fœdus inire cum barbaris, eoque ſe tueri: 4. quod diuturnus eſſet ille magiſtratus, adeo ut Iſaacus, Exarchorum octavus, & ærarii eccleſiaſtici ſub Honorio Papa direptor, viginti quinque annos dominatus ſit; Theodorus Calliopas, ſancti Martini perſecutor, triginta quinque, aut etiam ſex. Spatio certe 185 annorum, quo exarchatus extitit, non plures quam decem & octo hoc magiſtratu functi ſunt, ut probabilior fert opinio.

TITULUS V.
Ad Conſulem. (n)

SUPERSCRIPTIO. Domino eminentiſſimo filio, Ill. Conſuli, Ill. Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.

ET SUBSCRIPTIO EJUS. Deus te incolumem cuſtodiat, domine fili.

TITULUS VI.
Ad Regem. (o)

TITULUS VII.
Ad Patriarcham. (p)

SUPERSCRIPTIO. Dilectiſſimo fratri Ill. Ill.

ET SUBSCRIPTIO EJUS. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime frater.

TITU-

(n) *Ad Conſulem*] Ea tempeſtate conſulatus, qui fuerat olim apex dignitatum, eo usque depreſſus erat, ut inanis fere titulus foret. Suppreſſus pene fuit a Juſtiniano; ſed a conſequentibus imperatoribus etſi quoquo modo reſtitutus eſt, priſtinum tamen ſplendorem non recuperavit.

(o) *Ad Regem*] Nulla vel inſcriptio, vel ſubſcriptio appoſita eſt: neque vero opus fuit, cum eadem foret, quæ ad patricium. Sic enim apud Bedam lib. 2 hiſt. Angl. cap. 17. Honorius Eduino, Regi Anglorum: *Domino excellentiſſimo, atque præcellentiſſimo filio Eduino Regi Anglorum Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.* Subſcriptio: *Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.* Et apud eumdem lib. 3. hiſt. cap. 24. Vitalianus *Ozuvio domino excellentiſſimo filio Regi Saxonum*, &c. & eadem ſubſcriptio. Leo II. eadem formula Ervigio Regi inſcribit & ſubſcribit epiſtolam. Hadrianus I. eadem fere utitur forma ad Carolum Magnum Regem.

(p) *Ad Patriarcham*] Eadem fuit a primis usque temporibus inſcribendi

TITULUS. VIII.

Ad Epiſcopum forenſem. (q)

SUPERSCRIPTIO. Dilectiſſimo nobis Ill. Ill.

ET SUBSCRIPTIO EJUS. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime nobis.

TITU-

---

bendi ſubſcribendique forma. Quinto certe ſeculo * Cæleſtinus datas Cyrillo Alexandrino, Joanni Antiocheno, & Neſtorio C. P. literas inſcripſit, *dilecto fratri:* ſubſcripſit vero poſteriores duas, *Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime,* vel *honorandiſſime.* Leo Magnus Flaviano Conſtantinopolitano: *Dilectiſſimo fratri, Flaviano, Leo Epiſcopus.* In eamdem formam Simplicius Acacio Conſtantinopolitano, Gelaſius Euphemio ejusdem urbis Epiſcopo, Gregorius Magnus Joanni Conſtantinopolitano, aliisque Patriarchis.

(q) *Ad Epiſcopum forenſem*] Quia hic Epiſcopus forenſis dicatur, dubitare poſſit quispiam. Conjicio partim ex originatione vocis, partim ex tituli ordine, quo forenſis collocatur Patriarcham inter & Archiepiſcopum Ravennæ, magnæ tunc, cum Liber diurnus fieret, auctoritatis intelligi vel Epiſcopum civitatis extra Italiam poſitæ, vel Exarchum, id eſt, Antiſtitem, qui nulli Epiſcopo ſit obnoxius, & jus tamen habeat in Epiſcopos, etiam metropolitas, cujusmodi Carthaginenſis in Africa, Cæſarienſis in Cappadocia, Epheſinus in Aſia, Theſſalonicenſis in Illyrico. Nam vox iſta *forenſis*, vel a foris ſive extra, vel a *foro* ſive jurisdictione deduci poteſt. In priorem conjecturam magis inclino, quia originatio vocis uſitatior eſt, & Ravenna Italiæ civitas eſt. Poſteriorem ſuadet ordo dignitatis, qui videtur ſervatus inter perſonas, quibus Pontifices ſcribunt. Conjecturam juvat aliquatenus, quod Leo literas ſuas ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem inſcribit, perinde ac Patriarchis datas, *dilectiſſimo fratri.* Verum nec hoc argumentum firmiſſimum eſt, cum & ad Epiſcopos eadem forma ſcriberet.

* 1. part. Conc. Epheſ. cap. 15. 18. 20.

TITULUS. IX.

Ad Archiepiſcopum Ravennæ. (r)

SUPERSCRIPTIO. Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri, Ill. Coepiſcopo, Ill. ſervus ſervorum Dei.

ET SUBSCRIPTIO EJUS. Deus te incolumem cuſtodiat, reverendiſſime & ſanctiſſime frater.

TITULUS. X.

Ad Epiſcopum. (s)

SUPERSCRIPTIO. *ut ſupra.*

ET SUBSCRIPTIO EJUS. Deus te incolumem cuſtodiat, reverendiſſime frater.

TITU-

(r) *Ad Archiepiſcopum Ravennæ*] Magnæ, ut dictum eſt, tunc, cum Diurnus liber fieret, autoritatis erat, partim propter ſedem Exarchi, Ravennæ poſitam: partim quoniam ipſiusmet Archiepiſcopi interceſſione in negotiis eccleſiaſticis promovendis apud Exarchum opus erat: partim denique, quia Exarchorum exemplum ſecuti Ravennæ Præſules, impune ſibi viſi ſunt, poſſe Romanis injuriam inferre, quippe quibus Exarchi impotenter dominabantur.

Porro autem obſervanda ſunt duo: alterum, Ravennæ Præſulem non dici Epiſcopum, ſed Archiepiſcopum: alterum, honorificentius quam ipſum etiam Patriarcham compellari, hic enim *dilectiſſimus frater*, ille *reverendiſſimus & ſanctiſſimus frater*. Utrumque fecit miſerabilis conditio temporum, quibus adulari prudentiæ fuit, & de rigore ſancti Gregorii nonnihil remittere, œconomicæ neceſſitatis. Inde vero urbis illius Præſules tantum ſibi aſſumpſerunt, ut præ arrogantia Romanis Pontificibus, Chriſti vicariis, Petri ſucceſſoribus, & eccleſiæ capitibus nollent ſubjici, vixque potuerint toto ſummorum Pontificum annisu ad officium reduci.

(s) *Ad Epiſcopum*] Formula hæc prioribus ſeculis inuſitata poſt editum

TITULUS. XI.

Ad Presbyterum, (t) *Diaconum, Primicerium & Secundicerium.*

Superscriptio. Dilectiſſimo filio Ill. Ill. ſervus ſervorum Dei.

Et subscriptio ejus. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime fili.

TITULUS XII.

Subſcriptio conſtituti.

Ill. Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ catholicæ atque apoſtolicæ, urbis Romæ, Ill. conſtituto (u) a nobis facto ſubſcripſi.

---

tum Diurnum ſolemnis fuit: ſic enim Gregorius ſecundus tertiusque, & Zacharias ſanctum Bonifacium Germanorum Apoſtolum compellant, imo & alios Epiſcopos.

(t) *Ad Presbyterum*] Sic Leo Magnus, & Eutychem epiſt. 6. & Fauſtum epiſt. 98. compellat; ſic Gregorius Magnus plures non Presbyteros tantum, ſed etiam Diaconos, Subdiaconos, Notarios, Defenſoresque & Curatores patrimonii.

(u) *Conſtituto*] Ita Gregorius Magnus anno 594. Gregorius ſecundus anno 721. Zacharias anno 743. in ſua quisque Synodo Romana ſubſcribunt.

CAPUT II.
De ordinatione Summi Pontificis.

ARGUMENTUM.

Sexto, ſeptimoque, & octavo ſeculo, in ordinatione Summi Pontificis hæc obſervabantur.

I. Ubi primum Summus Pontifex exceſſerat vita, nuntius ad Exarchum mittebatur ab iis, qui ſedis Apoſtolicæ vicem ſervabant.

II. Poſt juſta defuncto perſoluta, indictumque tridui jejunium, eligebatur Pontifex, convenientibus cleri, optimatum & populi votis, decretumque condebatur, quod ab eligentibus ſubſcriberetur.

III. De electione mox referebatur ad Principem, id eſt, Conſtantinopolitanum Imperatorem, poſtulabaturque electionis approbatio.

IV. Referebatur etiam ad Exarchum Ravennæ, cum precibus, ut electionem vel nomine Principis confirmaret, vel confirmandam curaret.

V. Scribebatur pariter ad Judices, Archiepiſcopum & Apocriſarium Ravennæ, & ut certum videtur, ad Patricium, Antiſtitem, & Apocriſiarium Conſtantinopolis, à paribus.

VI. Accepta confirmatione, electus ſolemni ritu deducebatur ad confeſſionem ſancti Petri.

VII. Illic nondum ordinatus ad corpus Apoſtolorum Principis profitebatur fidem.

VIII. Mox ordinatus eamdem iterum exponebat.

IX. Denique de fide concionem in urbe habebat, & ad univerſam Dei eccleſiam mittebat.

Singula hæc ſuas habent in Diurno formulas. Deſiderari poſſent duæ, altera Imperatoris reſcribentis; altera Exarchi: verum nuſpiam reperiuntur, quod quidem meminerim me legere.

Quæ

Quæ formulæ undecim hoc capite continentur, deſumptæ ſunt ex iis, quæ contigerunt in ordinationibus quatuor Pontificum, Bonifacii V. anno 617. Leonis II. anno 682. Cononis anno 686. & Gregorii II. anno 714. quantum conjectura aſſequi fas eſt.

TITULUS I.

Nuntius ad Exarchum (x) *de tranſitu Pontificis.* (y)

SUPERSCRIPTIO. Domino excellentiſſimo, atque præcellentiſſimo, & a Deo nobis longæviter in principalibus miniſteriis feliciter conſervando, Ill. Exconſuli, Patricio & Exarcho Italiæ, Ill. Archipresbyter, Ill. Archidiaconus, Ill. Primicerius Notariorum, ſervantes locum (z) ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

 Quam-

(x) *Ad Exarchum*] Si modo vera ſint, quæ dicturi ſumus ad conſequentes titulos, Exarchus ille, ad quem ſcripta eſt epiſtola, quæ evaſit in ſolemnem formulam, fuit Scholaſticus, cujus mentio fit in vita Conſtantini Papæ apud Anaſtaſium.

(y) *De tranſitu Pontificis*] Conſtantini, qui Gregorium II. præceſſit. Nam nuntius ille de obitu Pontificis, totus quantus eſt, reſpondet relationi ad Exarchum de electione. Relatio vero pertinet ad electionem Gregorii ſecundi, ut poſtea declarabitur. Accedat, quod ingens ille fletus funeri Conſtantini conveniat, ut qui fuerit, ſi Anaſtaſio Bibliothecario credimus, & mitiſſimus erga omnes, & adverſus Romanos liberalis.

(z) *Servantes locum ſedis Apoſtolicæ*] Obſerva, penes quos ea ætate fuerit, vacante ſede, rerum gerendarum poteſtas: fuit enim penes Archipresbyterum, Archidiaconum & Primicerium Notariorum; nunc aliis moribus vivitur. Non vacante tantum ſede, ſed etiam abſente ſummo Pontifice, ſumma rerum fuit penes illos tres, qui dicti ſunt. Id ſcimus, cum aliunde, tum ex epiſtola

Quamvis non ſine gravi gemitu & vere flebili voce, a Deo ſervatæ excellentiæ Domini noſtri, per has noſtras innoteſcimus humiles ſyllabas, Dei judicio, cujus diſpenſatione univerſus regitur orbis, ab hac luce fuiſſe ſubtractum Dominum Ill. ſanctiſſimum noſtrum Pontificem, cujus cuncti vere, & ſi dicendum eſt, etiam lapides ipſi, fleverunt exitum. Die enim Ill. inſtantis menſis (a) obiit, pro cujus conſternati, ut diximus, funere, omnes grandi triſtitiæ premimur mole, ad ſolam Chriſti Dei noſtri cordis oculos miſerationem attollentes,

ſtola 15. Martini I. ad Theodorum de ſuis calamitatibus ſcribentis, antequam in ipſius locum ſubrogatus eſſet Eugenius: *In abſentia Pontificis Archidiaconus, & Archipresbyter, & Primicerius locum præſentant Pontificis.* Animadverte, Archidiaconum priore loco a Martino appellatum, cum hic ſecundo tantum cenſeatur. Similis fere inſcriptio legitur inter epiſtolas Joannis IV. ad Epiſcopos & Presbyteros Scotiæ: *Dilectiſſimis & ſanctiſſimis, &c. Hilarius Archipresbyter ſervans locum ſedis Apoſtolicæ, Ioannes Diaconus, & in Dei nomine electus, item Ioannes Primicerius & ſervans locum ſedis Apoſtolicæ, &c.* Qua in inſcriptione nota, Joannem, licet electum in Romanum Pontificem, ſecundo tamen poſt Archipresbyterum loco inſcribi; unde quatuor conſtant: Primum, electo nihil fuiſſe juris ad res gerendas, donec ordinaretur. Alterum, quando ætate Exarchorum, atque etiam antea, cum Gothi regnarent, dicitur aliquamdiu vacaſſe Apoſtolica ſedes, tempus non ab obitu Pontificis ad electionem ſucceſſoris, ſed ad ipſius ordinationem computandum: vix enim electio poſt triduum protracta eſt, cum ſchiſmata non fuerunt. Tertium, peculiare fuiſſe privilegium Gregorii Magni & conſequentium nonnullorum, quod Clero annuente res adminiſtraverint ante ordinationem. Poſtremum, tunc electum in literis non ſe Pontificem Romanum inſcripſiſſe, ſed Electum.

(a) *Die Ill. inſtantis menſis*] Die nona Aprilis, ut conſtat ex Anaſtaſio Bibliothecario anno 713. indict. 13. Anaſtaſio ſeu Artemio imperante.

lentes, ut ipſe dignetur ſubvenire deſperatis, & ſuæ providere dignum rectorem eccleſiæ, a quo fundata eſt, qui etiam eſt pollicitus, *non ei prævalere portas inferni.* Poſt divinum auxilium ad veſtram excellentiam, Domine Ill. excellentiſſime, & Deo a nobis multis temporibus concedende, omnes habemus fiduciam. Ecce eventum lugubrem indicavimus, quia ad noſtram conſolationem humanum alibi non habemus confugium. *Marc. 16. v. 18.*

TITULUS. II.

Decretum de electione (b) *Pontificis.* (c)

INTER cætera, quæ ſummæ divinitatis conſilio diſponuntur, Pontificalis promotionis ſublimitas, ipſo, a quo procedit

omne

(b) *Decretum de electione*] Obſerva, qui dicantur decreto a ſe facto ſubſcripſiſſe, & inde æſtima, a quibus electio tunc temporis fieret. *Suntne hæ, aliæ*que ſubſcribendi formæ hominum laicorum, qui conſentiant tantum, laudentque electionem, an qui revera eligant cum Clericis?

(c) *Pontificis*] Si non temere accidit, ut ſub formulæ finem mentio fieret menſis & indictionis alicujus certæ ac definitæ: quod vix opiner, cum in aliis formulis non certus menſis certaque indictio, ſed pro more tantum, *menſ. Ill. indict. Ill.* apponatur. Si id, inquam, temere non accidit, in neminem aptius conjectura convenire poteſt, quam in Bonifacium V. qui ſedere cœpit anno 617. menſe Decembri, ut habet Baronius ex Anaſtaſio, poſtquam ſedes præceſſoris Deusdedit, vacaſſet menſem unum & dies 6. aut 16. Bonifacii enim V. ordinationi videntur congruere, quæ ſeptem memorantur. I. Quod Electus fuerit Presbyter. II. Quod virtutibus omnibus ornatus ac mitiſſimus. III. Quod concordi ſententia electus. IV. Quod poſt magnum defuncti deſiderium. V. Quod Sedes diu non vacaverit. VI. Quod menſe Novembri electio peracta ſit. VII. Quod indictione quarta. Nam Bonifacius ex Eccleſiæ Romanæ Presbytero

omne quod bonum eſt, prædeſtinante ac largiente, concedi-tur: nimirum novit humanis rebus (d) providentia divina ſuccurrere, & mœrentium fletus ac gemitus in exultationem convertere; ut, qui nuper conſternabantur afflicti, poſtmodum appareant nimium conſolati. Canentis enim Regis ſunt dicta, quæ Sanctus Spiritus de templo prophetalis cordis

Pſal. 29. v. 6. inſonuit. *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia,*

---

tero Pontifex factus eſt, vir mitiſſimus, miſericors & liberalis, nulla diſſenſione partium, poſt præceſſorem ſanctiſſimum, & cunctis cariſſimum, mox ab obitu prædeceſſoris ordinatus menſe Decembri, atque adeo electus menſe Novembri, die 14. aut 24. Decembris, indictione quidem quinta, ut eſt apud Anaſtaſium; verum facile fuit, ut in alterutrum locum error irreperet, & præſertim in Diurnum, inerudita manu deſcriptum. Quæ de Bonifacio V. diximus, conſtant ex vita ipſius, ab Anaſtaſio ſcripta, & epitaphio, quod Honorius ſuo præceſſori poſuit: ſic enim poſt ſex verſus doloris teſtes, ſequitur:

Hic vir ab exortu eſt Petri innutritus ovili,
Sed meruit ſancti Paſtor adeſſe gregis.
Pura fides hominis votis mundata benignis,
Exultat Chriſti cantibus hymniſonis,
Simplicitas ſapiens, vivax ſolertia, ſimplex.
Serpentina fuit ſimplicitate vigens.
Cumque quater denos compleret Presbyter annos,
Sera ſenectutis mens tamen alma fuit.
Culmen Apoſtolicum coluit tres ferme per annos,
Perfectum numerum terque quaterque gerens.
Hoc tibi pro meritis ſucceſſor Honorius amplis
Marmore conſtruxit munus epitaphii.

(d) *Novit humanis rebus, &c.*] Hæc & alia, quæ ſequuntur, ad ea usque, *ſubſcriptionibus confirmantes*, totidem verbis leguntur in relatione de electione Pontificis ad Exarchum, titulo IV. hoc uno diſcrimine, quod hic Presbyter, illic Archidiaconus electus dicitur.

lætitia. Qui & iterum gratias referens Deo, beneficiorum ejus magnificentiam canit & dicit: *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi, conciſdiſti ſaccum meum, & præcinxiſti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar, ipſi enim cura de nobis eſt,* ut vas electionis & veræ fidei monet integritas. Quippe quæ ſunt triſtitiæ, ad gaudium miſerando perducit, quod & nobis exiguis & peccatoribus opem de ejus miſericordia præſtolantibus dignatio cæleſtis exhibuit. Ibid. v. 2. 1. Petr. 5. 6. 7.

Etenim pontificalis memoriæ Domino Ill. Papa de præſentibus curis ad æternam requiem evocato, ut aſſolet humanis rebus accidere, magna nos triſtitiarum (e) moles obſtrinxerat proprio diſpenſatore deſtitutos: ſed non diu (f) in afflictione perſiſtere conſueta Dei noſtri benignitas ſperantes in ſe dereliquit. *Divina enim nobis* * in oratione manentibus, ut cæleſtis dignatio demonſtraret, quem dignum ad ſucceſſionem Apoſtolicæ vicis jubeat eligendum, ejus gratia ſuffragante, & omnium animis inſpirante, in unum convenientibus

(e) *Magna nos triſtitiarum mole, &c.*] Deusdedit, Bonifacii præceſſor, magnum ſui deſiderium reliquit, propter eximiam ſanctitatem etiam miraculis illuſtrem, effuſamque in Clericos liberalitatem. Fit ejus memoria in Martyrologio Romano die octava Novembris: qua die probabiliter creditur vita functus.

(f) *Non diu, &c*] Vacavit ſedes dumtaxat menſem unum & dies 6. aut 16. variant enim Anaſtaſii lectiones: unde conſtat, paucis poſt prædeceſſoris obitum diebus electum eſſe Bonifacium: modicum enim eſt breveque admodum illud vacationis tempus, ut Roma Conſtantinopolim decretum electionis, Romam Conſtantinopoli approbatio Principis deferretur.

* COD. ROM. pro verbis: *divina enim in oratione &c.* rectius: *divinitùs nobis in oratione manentibus, ut omnium mentibus cæleſtis dignatio &c.* MABILLON.

entibus nobis, ut moris eſt, (g) id eſt, cunctis Sacerdotibus ac Proceribus Eccleſiæ, & univerſo Clero atque Optimatibus, & univerſa militari præſentia, ſeu civibus honeſtis, & cuncta Generalitate populi iſtius a Deo ſervatæ Romanæ urbis, ſi *dici eſt*, * a parvo usque ad magnum, in perſonam Ill. ſanctiſſimi hujus ſanctæ Apoſtolicæ ſedis Romanæ Eccleſiæ *Presbyteri*, ** Deo cooperante, & beatorum Apoſtolorum anniſu concurrit, atque conſenſit electio.

Cujus Deo amabilis viri tantum meruit apud omnium conſcientias bonæ & pudicæ converſationis profectio, ut nullus in ejus electione diſſideret, nullus abeſſet, nullusve ſeipſum ſubtraheret, quem nempe ad hoc Apoſtolicæ vicis officium incomparabilis, atque indeficiens Dei noſtri providentia prædeſtinatum habuerat. Quomodo non & humanis mentibus unanimis conſonantia conveniret in id, quod procul dubio in Dei præſentia tenebatur adfixum?

Cujus & decretum ſolemniter facientes, & deſideria cordium circa ejus electionem manuum ſubſcriptionibus confirmantes, profitemur, ipſum Deo amabilem noſtrum Electum, caſtum, pudicum, ſobrium ac benignum, & in omnibus piis operibus eſſe perfectum, atque orthodoxæ fidei & ſanctorum Patrum traditionis defenſorem, & fortiſſimum obſervatorem.

Hunc omnes, ut profecto mitiſſimum (h) virum, pro ejus

(g) *Ut moris eſt*] Nondum ad ſolos Cardinales contracta fuerat poteſtas eligendi Pontificis, qui toti Eccleſiæ præeſſet: contracta eſt primum a Nicolao II. anno 1059. deinde ab Alexandro III. Gregorio X. & Clemente V.

(h) *Mitiſſimum*] Anaſtaſius: *Erat beatiſſimus Bonifacius mitiſſimus ſuper omnes homines, & miſericors.*

* COD. ROM. pro: *ſi dici eſt*, legit: *ſi dici licitum eſt*. MABILL.

** COD. ROM. pro *Presbyteri* habet *Diaconi*. MAB.

ejus ſuaviſſima ac bonæ voluntatis conſtantia unanimiter nobis elegimus Paſtorem atque Pontificem, unde ob ejus piæ converſationis integritatem immenſas Redemptori noſtro laudes referimus, conſona cum Propheta canentes voce: *Magnus es, Domine Deus noſter, & magna virtus tua. Quis enim loquetur potentias tuas, Domine, & auditas faciet omnes laudes clementiæ tuæ?* Quoniam vota petentium te exaudiens, pium nobis contuliſti Paſtorem, qui ſanctam tuam univerſalem Eccleſiam, & cunctas dominicas ac rationales ſibi commiſſas oves regere atque gubernare, te Domino Deo & Salvatore noſtro protegente, valeat. Pſal. 148. v. 5. Pſal. 105. v. 2.

Hoc vero decretum a nobis factum ſubter, ut præfatum eſt, manibus propriis roborantes, in archivo dominico noſtræ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſcilicet in ſacro Lateranenſi ſcrinio, (i) pro futurorum temporum cautela, recondi fecimus in menſe Novembrio, indictione quinta.

Ill. humilis Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ huic decreto a nobis *facto in ill. ſanctiſſimum Presbyterum conſenſi & ſubſcripſi:* * ſimiliter totus Clerus, Optimates, & Milites ſeu Cives ſubſcribunt.

TITU-

(i) *Lateranenſi ſcrinio*] In quo præ cæteris inſtrumentis eccleſiaſticis, electionum decreta, profeſſionesque fidei, ſive quæ a ſummis Pontificibus, ſive quæ ab aliis Epiſcopis edebantur in ordinatione, ſimulque cautiones ſponſionesque inferiorum Præſulum aſſervabantur: unde apud Anaſtaſium in vita Conſtantini Papæ de Felice, Ravennenſis Eccleſiæ Præſule. *Noluit, ſecundum conſuetudinem priorum ſuorum, ſolitas in ſcrinio cautiones facere, ſed per potentiam judicum expoſuit, ut voluit.*

* COD. ROM. *in illo ſanctiſſimo Diacono & Electo noſtro conſenſi & ſubſcripſi: Similiter totus Clerus cum optimatibus & militibus ſeu civibus ſubſcripſerunt.* MAB.

TITULUS. III.

Relatio de electione Pontificis ad Principem. (k)

Cum non ſine divinæ miſericordiæ nutu ſit, ita poſt mortem ſummi Pontificis, in unius electionem omnium vota concurrere, & convenire conſenſum, ut nullus penitus inveniretur, qui diſcors poſſet exiſtere. Neceſſarium eſt, ut ſereniſſimo ac piiſſimo Domino petitionis *unitæ* * famulanter debeamus preces effundere, quem certum eſt, & de ſubjectorum ſuorum gaudere concordia, & clementer unitati poſtulata concedere.

Obeunte itaque beatiſſimæ recordationis Papa noſtro Ill. in electionem Ill. (l) venerabilis Apoſtolicæ ſedis Archidiaconi

(k) *Ad Principem*] Imperatorem Conſtantinopolitanum, ut diximus in notis ad caput 1.

(l) *In electione Ill*] Non aberrabit procul a vero, ut quidem mihi videtur, qui formulam hanc conjecerit eſſe libellum a Romanis Anaſtaſio ſive Artemio Imperatori anno 714. oblatum, pro conſenſione in electionem Gregorii II. obtinenda: nam omnia electionis adjuncta huc apprime conveniunt.

Sunt illa autem ſex. 1. Qui electus dicitur, erat Archidiaconus. 2. Electus ille eſt, qui diu antea expetitus eſſet. 3. Summa fuit omnium in electione conſenſio. 4. Ab ineunte ætate Eccleſiæ Romanæ omnibus miniſteriis mancipatus eſt. 5. Adhæſit ſtudioſe prædeceſſori. 6. Fuit doctrinæ eximiæ atque etiam eloquentiæ.

Conſtans vero eſt ſcriptorum opinio, Gregorium ſecundum ex Archidiacono factum Pontificem, cum diu id omnes optarent, atque adeo propenſiſſime in electionem conſenſiſſent: fuit etiam, ſi Anaſtaſio credimus, *a parva ætate in Patriarchio nutritus,*

* COD. ROM. pro *unitæ* habet *noſtræ:* quod retinendum. MAB.

diaconi, omnium, Deo volente, declinavit aſſenſus, propterea quod ita ab ineunte ætate ſanctæ idem Eccleſiæ militavit,

tritus, ſub ſancta memoria Domino Sergio Papa Subdiaconus atque Sacellarius factus, bibliotheca præfectus, deinde ad Diaconatus ordinem provectus. Cum viro ſancto Conſtantino prædeceſſore ad regiam profectus eſt urbem. Erat vir caſtus, divinæ Scripturæ eruditus, facundus loquela, & conſtans animo, Eccleſiaſticarum rerum defenſor, & contrariorum fortiſſimus impugnator.

Videri poſſunt obſtare duo. Alterum, quod Anaſtaſius tradit in vita Benedicti II. *eum nempe ſuſcepiſſe divales juſſiones clementiſſimi Conſtantini magni Principis ad venerabilem Clerum, & populum, & feliciſſimum exercitum Romanæ civitatis, per quas conceſſit, ut perſona, quæ electa fuerit in ſedem Apoſtolicam, e veſtigio absque tarditate Pontifex ordinaretur.* Hinc enim concludi poteſt, ad Principem de Gregorio II. non fuiſſe relatum poſtulatumque ipſius in electionem conſenſum: ordinatus enim eſt Gregorius poſt trigeſimum ferme annum ab obitu Benedicti II. Verum Conſtantini Imperatoris conceſſio valuit tantum annos tres, quo temporis ſpatio Joannes V. & Conon ordinati ſunt; nam in ſchiſmate, obitum Cononis conſequente, tumultuatum eſt, resque ad Exarchum delata, qui non prius Pontificem ordinari permiſit, quam pecuniam extorſiſſet, ut ex Anaſtaſio colligitur. Inde vero, ad pulſos usque Exarchos, hoc eſt, usque ad annum 752. vexatio, quæ inducta fuerat a Gothis, remanſit; nec videtur Binius, cum totus eſſet in veſtigiis Baronii premendis, ad hiſtoriam rerum geſtarum attendiſſe, alioquin non ſcripſiſſet a temporibus Benedicti II. Eccleſiam Romanam ab hac tyrannide liberam fuiſſe.

Videtur pariter id alterum pugnare, quod in relatione fit mentio plurium Imperatorum: regnabat enim ſolus Anaſtaſius, cum creatus eſt Gregorius II. Sed obſervandum, Imperatorum nomine ipſos etiam filios Anaſtaſii appellatos. Quin etiam, poſt Imperatorem Juſtinianum, dominorum nomine, imo & Imperatorum, ipſæ quoque Auguſtæ comprehendebantur.

atque ſic ſe in omnibus ſolerter exhibuit, ut Eccleſiaſtico regimini non immerito, divina ſuffragante gratia, ſit præponendus; præſertim cum talis olim fuerit inſtituti, ut etiam prædicti beatiſſimi Ill. Pontificis aſſidua converſatione ſua ad tantorum meritorum inſignia, quibus isdem ſanctæ recordationis Antiſtes fuiſſe cognoſcitur adornatus, fecerit, Chriſto adjuvante, profectum, ut verbis ſuis deſiderantes ad ſuperna gaudia animos ſemper accenderit: ut, quidquid boni in illo amiſimus, in hoc nos invenire indubitabiliter confidamus.

Ideoque lacrymabiliter cuncti famuli ſupplicamus, ut dominorum pietas ſervorum ſuorum obſecrationes dignanter exaudiat; & conceſſa pietatis ſuæ juſſione, petentium deſideria, pro mercede imperii ſui, ad effectum de ordinatione ipſius præcipiat pervenire. Quatenus per ſacros (m) Clementiæ ſuæ apices, ſub Paſtore eodem conſtituti, pro vita imperioque ſereniſſimorum dominorum noſtrorum, omnipotentem Dominum, & *beatorum Apoſtolorum Principem*, * cujus Eccleſiæ dignum ordinari gubernatorem concedit, jugiter exoremus.

Subscriptio Sacerdotum. Ego Ill. (n) miſericordia Dei Presbyter ſanctæ Eccleſiæ Romanæ huic decreto a nobis

(m) *Per ſacros, &c.*] Quæ juſſio conceſſioque hic dicitur, a nonnullis conſenſio & approbatio tantum nominatur: quanquam Joannes Diaconus lib. 2. Vitæ S. Gregorii cap. 40. præceptionem vocat. Probabile eſt, ſolennem fuiſſe ea de re formulam, ſed neſcio, an extet uſpiam.

(n) *Ego Ill.*] Non ſubſcribebat Electus, imo nec privatas dabat literas, ne ſpeciem ambitionis præferret. Gregorius Magnus a Mauritio Imperatore, pro vetere amicitia petiit enixe, ne in electionem ſuam conſentiret: non obtinuit tamen.

* COD. ROM. legit; *Beatum Petrum, Apoſtolorum Principem*, MAB.

a nobis facto (o) in Ill. venerandum Archidiaconum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & Electum noſtrum conſentiens ſubſcripſi.

Et subscriptio laicorum. Ego Ill. pietatis veſtræ ſervus huic decreto a nobis facto in Ill. venerandum Archidiaconum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & Electum noſtrum conſentiens ſubſcripſi.

TITULUS IV.

De electione Pontificis ad Exarchum.

Superscriptio. Domino excellentiſſimo atque præcellentiſſimo, & a Deo nobis longæviter in principalibus miniſteriis feliciter conſervando, Ill. Exconſuli, Patricio & Exarcho Italiæ, Presbyteri, (p) Diaconi, & familiaris univerſus Clerus, Axiomati (q) etiam, ſeu exercitus & populus hujus Romanæ urbis ſupplices.

Novit humanis (r) rebus providentia divina ſuccurrere, & mœrentium fletus ac gemitus in exultationem convertere; ut

(o) *Decreto a nobis facto*] Eligebant igitur ipſi etiam laici: quid enim eſt facere decretum, niſi eligere eſt? Et vero non alia forma ſubſcribit laicus ille, quam Presbyter.

(p) *Presbyteri, &c.*] Non ſubſcribebat electus in ejusmodi literis, ne ambitionis vitio laborare videretur. Gregorius Magnus literas dedit Conſtantinopolim, quibus ab amicis (conciliaverat ſibi plurimos, cum apocriſiarii munere fungeretur apud Imperatorem) inſtantius peteret conſenſionem impediri. Dixi ejusmodi literis, nam de aliis ad res Eccleſiaſticas pertinentibus contrarium conſtat ex epiſtola Joannis IV. de qua dictum antea.

(q) *Axiomati*] In dignitate conſtituti, ſive Optimates, ut conſtat ex formula decreti electionis, atque innumeris ejusmodi inſcriptionibus. *Honoratos* vocat Leo Magnus epiſt. 84. Gregorius Magnus *Nobiles* lib. 4. epiſt. 47.

(r) *Novit humanis, &c.*] Verba hæc deſumpta ſunt usque ad iſta, *confirmantes*, ex formula decreti de electione Summi Pontificis,

ut qui nuper conſternabantur afflicti, poſtmodum appareant nimium conſolati. Canentis enim Regis ſunt dicta, quæ Sanctus Spiritus de templo prophetalis cordis inſonuit.
Pſal. 29. ℣. 6. *Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Qui & iterum gratias referens Deo, beneficiorum ejus magnifi-
Ibid. ℣. 11. centiam canit, & dicit: *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi, concidiſti ſaccum meum, & præcinxiſti me lætitia, ut cantet*
1. Petr. 5. ℣. 7. *tibi gloria mea, & non compungar. Ipſi* enim *cura de nobis eſt,* ut vas electionis & veræ fidei monet integritas, quippe quæ ſunt triſtitiæ, ad gaudium miſerando perducit: quod & nobis exiguis & peccatoribus opem de ejus miſericordia præſtolantibus, dignatio cæleſtis exhibuit.

Etenim pontificalis memoriæ Ill. de præſentibus curis ad æternam requiem evocato, ut aſſolet humanis rebus accidere, magna nos triſtitiarum moles obſtrinxerat, proprio diſpenſatore fruſtratos: ſed non diu in afflictione perſiſtere conſueta Dei noſtri benignitas ſperantes in ſe dereliquit: triduo enim (s) nobis exiguis in oratione manentibus, ut omnium mentibus cæleſtis dignatio demonſtraret, quem dignum ad ſucceſſionem Apoſtolicæ vicis jubeat eligendum, ejus gratia ſuffragante, & omnium animis inſpirante, in uno convenientibus (t) nobis, ut moris eſt, familiaribus Cleri

(s) *Triduo enim, &c.*] Bonifacius III. anno 606. ut refert Anaſtaſius, *fecit conſtitutum in Eccleſia S. Petri, in qua ſederunt Epiſcopi ſeptuaginta duo, Presbyteri Romani triginta quatuor, & Diaconi & omnis Clerus, ſub anathemate, ut nullus, Pontifice vivente, aut Epiſcopo civitatis ſuæ, præſumat loqui de ſucceſſore, aut partes ſibi facere, niſi tertio die depoſitionis ejus, adunato Clero & filiis Eccleſiæ, tunc electio fiat, & quem quiſque voluerit, habebit licentiam eligendi ſibi Sacerdotem.* Tridui porro tempore jejunio & precibus publicis vacabatur.

(t) *In uno convenientibus, &c.*] Eadem fere, quæ in relatione ad Principem, ut evidens ſit de uno eodemque Electo utramque relationem eſſe intelligendam, & proinde de Gregorio II.

Cleri (u) & plebis, Procerum etiam (x) & militaris præſentiæ, *ſi dici eſt*, * a parvo uſque ad magnum, in perſonam Ill. ſanctiſſimi hujus ſanctæ Apoſtolicæ ſedis Romanæ Eccleſiæ Archidiaconi, Deo cooperante, & beatorum Apoſtolorum anniſu, concurrit atque conſenſit electio.

Cujus Deo amabilis viri tantum meruit apud omnium conſcientias bonæ & pudicæ converſationis perfectio, ut nullus in ejus electione diſſideret, ac nullus abeſſet, nullusve ſeipſum ſubtraheret: quem enim ad hoc Apoſtolicæ vicis officium incomparabilis atque indeficiens Dei noſtri providentia deſtinatum habuerat, quomodo non & humanis mentibus conſonantia conveniret? Quod procul dubio in Dei præſentia tenebatur adfixum.

Cujus & decretum ſolemniter facientes, & deſideria cordium, circa ejus electionem, manuum ſubſcriptionibus confirmantes, per harum latores Ill. ſanctiſſimum Epiſcopum, Ill. venerabilem Preſbyterum, Ill. Notarium Regionarium, *Ill. adæque* Subdiaconum Regionarium, Ill. & Ill. Viros, honeſtos cives, & de florentiſſimo atque feliciſſimo Romano exercitu, Ill. eminentiſſimum Conſulem, ſeu Ill. & Ill. viros magnificos Tribunos militiæ conſamulos noſtros direximus, ſupplicantes atque communiter impenſiſſime exorantes,

(u) *Familiaribus Cleri*] Hos Bonifacius in conſtituto vocat *filios Eccleſiæ*.

(x) *Procerum etiam, &c.*] Inde conſtat, non ea tantum de cauſa conveniſſe tunc temporis proceres, alioſque laicos, cum Pontifex eligeretur, ut vel aſſenſum darent electoribus Clericis, vel teſtimonium ferrent de probitate eligendi, ſed ut vere eligerent. Unde Leo Magnus epiſt. 89. *Qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur.* Qua ſententia Gregorius Magnus uſus eſt non ſemel.

* COD. ROM. pro: *Si dici eſt*: legit: *ſi dici licitum eſt.*

tes a Deo conſervandæ præcellentiæ veſtræ conſuetam bonitatem, piis votis concurrere: quia talis a noſtro famulatu concorditer electus eſt, in quo, quantum ad hominum ſcientiam reſpicit, nullius macula reprehenſionis apparebit.

Et ideo ſupplicantes quæſumus, ut inſpirante Deo celſæ ejus dominationi, nos famulos voti compotes celeriter fieri præcipiat: præſertim cum plura ſint capitula, & alia ex aliis quotidie procreentur, quæ curæ ſolicitudinem & Pontificalis favoris expectant remedium. Provinciales vero curæ, vel quæcumque ſunt ſubinde cauſarum utilitates, perfectæ autoritatis cenſuram expectant. *Propinquantium quoque* (y) *inimicorum ferocitas, quam niſi ſola Dei atque Apoſtolorum Principis per ſuum Vicarium, hoc eſt, Romanæ urbis Pontificem, virtus aliquando vero flectit & morigerat hortatu,* * ſingulari interventu indiget, cum hujus ſolius Pontificalibus monitis, (z) ob

(y) *Propinquantium quoque, &c.*] Longobardos intelligit, urbi inſidiantes, a quibus ut Romam tueretur Gregorius, initio Pontificatus ſui muros reficiendos curavit, *decoctis*, ut ait Anaſtaſius, *calcariis*. Reſtitutus eſt porro a nobis locus tam perturbatus, ut ſenſu careret. Sic enim ſe habebat: *Propinquantium quoque inimicorum ferocitatem, quam niſi ſola Dei virtus, atque Apoſtolorum Principis, per ſuum Vicarium, hoc eſt, urbis Pontificem, ut omnibus aliquando vero & flectit ac morigerat hortatu, ſingulari interventu indigeant, cujus ſolius, &c.*

(z) *Pontificalibus monitis, &c.*] Quantum ſedi Apoſtolicæ cultum exhiberent Longobardi, quamvis Romani Imperii hoſtes, idque propter reverentiam erga S. Petrum, conſtat pluribus ex Hiſtoria Longobardorum exemplis.

* Hæc ex CODICE ROMANO ita reſtituenda: Propinquantium quoque inimicorum ferocitas, quam niſi ſola Dei virtus atque Apoſtolorum Principis per ſuum Vicarium, hoc eſt, Romanum Pontificem, ut omnibus notum eſt, aliquando monitis comprimit, aliquando vero flectit ac modigerat hortatu. MAB.

ob reverentiam Apoſtolorum Principis, parentiam offerant voluntariam, & quos non virtus armorum humiliat, pontificalis increpatio cum *obſervatione* * inclinat.

1 Cum hæc ita ſint, iterum atque iterum impenſius, præcelſe, & a Deo ſervate Domine, ſupplicamus, ut celerius, Deo operante, veſtrisque præcordiis inſpirante, Apoſtolicam ſedem de perfecta ejusdem noſtri Patris atque Paſtoris ordinatione adornare præcipiatis, (a) utpote per gratiam Chriſti miniſterium Imperialis faſtigii feliciter atque fideliter peragentes: quatenus & nos exigui famuli deſiderium noſtrum maturius expleri cernentes, inceſſabiles Deo & Imperiali clementiæ, atque eximiæ ac Deo placitæ Dominationi veſtræ gratiarum actiones valeamus exolvere, & cum promoto Apoſtolicæ ſedis Pontifice, ſpiritali noſtro Paſtori juges preces effundere pro vita atque incolumitate, perfectisque victoriis tranquilliſſimorum atque Chriſtianiſſimorum Dominorum noſtrorum, Ill. & Ill. magnorum, victorum, Imperatorum, *ut regalibus eorum virtutibus miſericors Deus multiplices concedat victorias*, & de ſubjectione omnium gentium Chriſtianam rempublicam faciat triumphare, deque reſtituta plenius Romani Imperii priſca devotione lætitiam cordis impertiat.

Scimus

(a) *Præcipiatis, &c.*] Videntur preces Exarcho ferri, perinde ac ſi res tota ex ipſius unius nutu penderet, totaque in ipſum Imperialis poteſtas traducta eſſet: nec enim fit ulla, niſi obſcura, mentio hoc in libello precum, vel de Imperatoria conſenſione, vel de Exarchi apud Imperatorem interceſſione ac inſtantia. Crediderim facile temporibus Gregorii ſecundi Exarchos tyrannide quadam ſuam Imperatoris nomine conſenſionem pecunia vendidiſſe, ideoque humilibus precibus quaſi rei dominos exoratos fuiſſe.

* Pro *obſervatione*, habet *obſecratione* COD. ROM.

Scimus enim, quod oratio ejus, quem ad Pontificalis dignitatis culmen Dei nutu eligimus, divinam omnipotentiam ſuis precibus flectet atque complacabit, & optatæ felicitatis incrementa Romano Imperio præparabit, veſtramque a Deo cuſtodiendam poteſtatem, ad diſpenſationem hujus ſervilis (b) Italicæ Provinciæ, noſtrumque omnium famulorum præſidium & ſubventum longævis armorum actis conſervabit.

SUBSCRIPTIO SACERDOTUM. Ego Ill. humilis Archipresbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ huic decreto in Ill. ſanctiſſimum Archidiaconum & Electum noſtrum conſentiens ſubſcripſi.

SUBSCRIPTIO LAICORUM. Ego Ill. in Dei nomine Conſul huic decreto a nobis facto in Ill. ſanctiſſimum Archidiaconum & Electum noſtrum conſentiens ſubſcripſi.

TITULUS V.

De electione Pontificis ad Archiepiſcopum (c) Ravennæ.

SUPERSCRIPTIO. Domino ſanctiſſimo nobis ſpirituali Patri, Ill. Archiepiſcopo, Ill. Archipresbyter, Ill. Archidiaconus, & Ill. Primicerius Notariorum, ſervantes locum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

Inter

(b) *Servilis*] Id eſt, & tibi obſequentis, & magna ex parte ſervitutem ſub Longobardorum dominatu patientis. Eodem voce utitur Agatho Papa in epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum, ubi de Legatis ait, *ſe inquiſiviſſe perſonas, quales ſecundum temporis hujus defectum, & ſervilis Provinciæ qualitatem poterant inveniri.*

(c) *Ad Archiepiſcopum, &c.*] Eodem tempore, de ejuſdem electione utramque epiſtolam, ad Exarchum ſcilicet & Archiepiſcopum, imo & conſequentes duas eſſe ſcriptas, nemo inficias ierit, qui omnes vel leviter legerit.

Inter cætera, quæ ſummæ divinitatis conſilio diſponuntur, Pontificalis promotionis ſublimitas, ipſo, a quo procedit omne bonum, prædeſtinante ac largiente conceditur. Quod quia ita dubium non eſt, ſanctæ & paternæ Beatitudini veſtræ indicare curavimus, quod Pontificalis memoriæ Domino Ill. de præſentibus curis ad æternam requiem evocato, conſueta Dei benignitas triſtitiarum molem, quæ nos de præteriti diſpenſatoris fruſtratu ad paululum obſtrinxerat, abſterſit atque inlinivit. Etenim ne diu ictus afflictionis nos ſauciaret, providum ac Deo placitum Apoſtolicæ vicis ſucceſſorem condonare dignata eſt.

In unum quippe poſt triduum, ut moris eſt, (d) convenientibus nobis, id eſt, Sacerdotibus, & reliquo omni Clero, eminentiſſimis Conſulibus & glorioſis Judicibus, ac Univerſitate civium & florentis Romani exercitus, in perſonam amatoris veſtri ac oratoris, Domini noſtri Ill. ſanctiſſimi hujus Apoſtolicæ *ſedis* Archidiaconi, electionis vota contuſimus. *In cujus Deo dedit*æ electionis, nullus, gratia Sancti Spiritus illuſtrante, defuit, ſed omnium vota concorditer convenerunt: inque ejus ſanctitatis perſona decreta ſolemniter facientes, per harum portitores, ſanctiſſimum Epiſcopum (e) Ill.

(d) *Poſt triduum, ut moris eſt, &c.*] Mos ille initium accepit, aut certe confirmationem, a decreto Bonifacii III. ante annos 1281 edito. Cum autem obierit Conſtantinus Papa die 9. Aprilis, neceſſe eſt, ut Gregorii facta ſit quidem poſt triduum electio, ſed ordinatio in diem 22. Maji protracta, donec conſenſio Principis ac Exarchi adveniſſet. Nam Gregorius dicitur die 22. Maji ſedere cœpiſſe.

(e) *Sanctiſſimum Epiſcopum, &c.*] Obſervanda legationis amplitudo: non ſolum enim propter dignitatem illius, ad quem mitteretur, ſed etiam, vel maxime, ad autoritatem fidemque electioni concordi faciendam, dirigebatur, Epiſcopus nempe, Provinciæ; Presbyter, Cleri; Honeſti viri, civitatis. Conſul & Tribuni, Militiæ legatione fungebantur.

Ill. venerabilem Presbyterum, Ill. Notarium, Ill. Regionarium, Ill. adæque Subdiaconum Regionarium, Ill. & Ill. Viros honeſtos cives, & de exercitali gradu, Ill. eminentiſſimum Conſulem, Ill. & Ill. magnificos Tribunos, ad præcelſi & a Deo ſervati filii veſtri Exarchi veſtigia demandavimus: impenſius obſecrantes, ut celerius, Deo hujus animum inſpirante, hanc Apoſtolorum Principis ſedem, præſertim pro diverſis imminentibus, & ad ſubventum Provinciæ exigentibus, ſimul & ad Imperiale ſervitium reſpicientibus, de perfecta ordinatione Electi Apoſtolicam ſedem adornet, quatenus inſit in Apoſtolicæ ſedis ſpecula, qui & Chriſti regat Eccleſiam, gregemque rationabilium ſalubriter diſpenſet ovium, & pro ſtabilitate a Deo decreti Romani Imperii, longævaque ſoſpitate ac temporum proſperitate prædicti eximii Domini Exarchi indeſinenti prece exoret.

Elabora itaque, quæſumus, ſanctiſſime ac beatiſſime Pater, ut cum harum portitoribus, veneratoribus & filiis veſtris, apud præfatum Dominum Exarchum impigrius intervenias, vicem gratiæ propriæ beato Petro, fautori tuo, reddens, totisque niſibus imminens, ut optatæ ordinationis, Deo jubente, acceleretur negotium, quatenus de præſularibus paternæ veſtræ beatitudinis adminiculis, & hæc Apoſtolica lætetur ac exultet eccleſia, & nos gratiarum actiones agamus, & caritas denominati Domini noſtri Electi, futurique Apoſtolici Pontificis opulentius erga veſtram præſularem Sanctitatem dilatetur.

TITULUS VI.

De electione Pontificis ad Judices (f) *Ravennæ.*

SUPERSCRIPTIO. Domino eminentiſſimo & nobis in Chriſto fratri, Ill. Conſuli, Ill. Archipresbyter, & Ill. Archi-

(f) *Ad Judices*] Aut emendandus titulus, ut conſentiat inſcriptioni, ſingu-

Archidiaconus, Ill. Primicerius Notariorum, ſervantes locum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

Si benefacta ſæcularibus impenſa negotiis digna minime viciſſitudine defraudantur, nullus profecto eſt, qui dubitet, quin ea, quæ pio intuitu peraguntur, æternæ vitæ remuneratione rependantur.

Quæ cum ita ſint, licet inclytæ Eminentiæ veſtræ propoſitum documentis pluribus agnoſcamus, totis niſibus ſpirituali matri huic ſacroſanctæ Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ utilitatibus ad concurrendum ſuffragari: fraterna tamen dulcedine hortari atque poſcere, congruum duximus, ut convenientibus harum portitoribus Ill. & Ill. quos cum decretalibus paginis, (g) & cum impenſa ſupplicatione, pro celeri promotione oratoris veſtri, ac amatoris, Domini noſtri Ill. Archidiaconi & Electi, apud præcelſum & a Deo ſervatum Dominum Exarchum deſtinavimus, cum eis conveniat, & ad precandum Deo optatis apud denominatum Dominum Exarchum ſubveniat; ut cum effectu, Deo propitio, eis, qui miſſi ſunt, remeantibus, & de veſtræ a Deo ſervatæ Eminentiæ bonitate proſpera præfato Domino noſtro Electo nuntiantibus, non ſolum affectiorem ejus Sanctitatem erga veſtram Eminentiam efficiant; verum & boni miniſterii merces atque viciſſitudo ab ipſo Apoſtolorum Principe, cui ſpecialiter concurritis, & in præſenti vita multiplicetur, & in regnis cæleſtibus rependatur.

ſingularique numero legendum, *Judici*; Aut pluribus *a pari* ſcriptum eſt: aut, quod magis reor, toti Judicum conſeſſui directa epiſtola, appellato eo tantum, qui præſideret, nempe Conſule.

(g) *Cum decretalibus paginis, &c.*] Inde collige, decretum electionis Exarcho miſſum, atque etiam Imperatori, ut ſubſcriberetur: quæ fuit approbationis nota.

TITULUS VII.

De electione Pontificis ad Apocriſiarum Ravennæ.

SUPERSCRIPTIO. Dilectiſſimo fratri, Ill. Presbytero & Apocriſiario, Ill. Archipresbyter, Ill. Archidiaconus, & Ill. Primicerius Notariorum, ſervantes locum ſanctæ ſedis Apoſtolicæ.

Dudum dilectiſſimam fraternitatem veſtram obitum ſanctæ memoriæ Domini Ill. agnoviſſe Pontificis, ſatis ſcimus: cui poſt tranſitum, ut moris eſt, die tertia convenientibus nobis, id eſt, Clero, Axiomaticis etiam, & generalis militiæ ac civium Univerſitate, in perſonam Domini Ill. ſanctiſſimi Archidiaconi, Dei gratia ſuffragante, electionis vota contuliſſe nos, indicamus. Cujus & ſolemne decretum facientes ſubſcriptione omnium roboratum apud eximium & a Deo ſervatum Dominum Exarchum, per harum portitores Ill. & Ill. direximus, cum quibus dilectiſſima fraternitas veſtra conveniat, & pro celeri promotione Pontificalis ordinationis depoſcenda apud denominatum Dominum Exarchum interveniat, ut valeant ii, qui miſſi ſunt, Chriſto comite, cum effectu ad nos repedare, & de proſperis nuntiis Apoſtolicam Chriſti Eccleſiam, omniumque noſtrum animos magnanimiter relevare.

TITULUS VIII.

Ritus ordinandi (h) *Pontificis.*

PSALLUNT ſecundum conſuetudinem. (i) Procedit Electus

(h) *Ritus ordinandi*] Tota hæc formula, ſi tamen formula eſt, & non potius rubrica, continetur iiſdem verbis in vetuſtiſſimo Ordine Romano Bibliothecæ Corbeienſis, teſte D. Hugone Menardo Benedictino. Legitur etiam, paucis additis, in Ordine Romano edito.

(i) *Pſallunt ſecundum conſuetudinem*] Quæ nempe, cum agitur de ordi-

ſus de ſecretario, cum cereoſtatis (k) ſeptem, & venit ad confeſſionem, (l) & poſt litaniam (m) aſcendunt ad ſedem, (n) ſimul Epiſcopi & Presbyteri. Tunc Epiſcopus Albanenſis dat orationem primam; (o) deinde Epiſcopus Portuenſis dat orationem ſecundam: (p) poſtmodum adducuntur Evangelia, & aperiuntur, (q) & tenentur ſuper caput Electi

---

ordinatione Epiſcopi, habetur in Ordine Romano: *Poſt proceſſionem a Secretario ad ordinationis locum Schola Introitum, ut loquuntur, decantat:* Elegit te Dominus ſibi in Pontificem magnum, & aperiens theſaurum ſuum optimum, abundare te faciet omnibus bonis. *Pſal.* Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob.

(k) *Cum cereoſtatis ſeptem*] Sunt qui myſterium in ſeptenario numero latere putant, cum tamen ex Ordine Romano diſcamus, ſeptem fuiſſe ceroferarios, pro numero regionum Urbis.

(l) *Ad confeſſionem*] Ubi ad corpus S. Petri profeſſio fidei prima emittitur, peragiturque tota ordinatio: quæ prærogativa ſummi Pontificis, ex decreto Gregorii Magni.

(m) *Et poſt litaniam*] Id eſt, poſt Introitum Miſſæ a Schola decantatum, dictumque de more *Kyrie eleiſon*, fit ordinatio Pontificis; qua peracta, Pontifex dicit: *Gloria in excelſis Deo*, Miſſæque cætera abſolvit.

(n) *Aſcendunt ad ſedem*] Non ſummi Pontificis propriam, ſed ordinatoris Antiſtitis, ad quem ſcilicet Epiſcopi Albanenſis & Portuenſis, Presbyterique ordinandum more ſolito deducunt.

(o) *Orationem primam*] Addit Ordo Romanus: *Super Pontificem: Adeſto ſupplicationibus noſtris, omnipotens Deus,* & cætera, quæ habentur in ordinatione Epiſcopi, ut & aliæ duæ orationes ſequentes.

(p) *Orationem ſecundam*] Addit Ordo Romanus: *Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris,* &c.

(q) *Poſtmodum aperiuntur Evangelia*] In ordinatione Epiſcopi, non a Diaconis, ſed ab Epiſcopis duobus teneri Evangelia ſuper caput Electi, Ordo Romanus tradit, quem ad locum Alcuinus: *Quod*

Electi a Diaconibus. Tunc Epiſcopus Oſtienſis (r) conſecrat eum Pontificem. (s) Poſt hæc (t) Archidiaconus annectit ei pallium, deinde aſcendit ad ſedem, (u) & dat pacem omnibus Sacerdotibus, & dicit: *Gloria* (x) *in excelſis Deo.*

TITU-

Quod duo Epiſcopi tenent codicem Evangeliorum ſuper caput ejus, & uno fundente ſuper eum benedictionem, reliqui qui adſunt Epiſcopi, manibus ſuis ſuper caput ejus tangunt, non reperitur in autoritate veteri neque nova, ſed neque in Romana traditione.

(r) *Epiſcopus Oſtienſis*] Erat hoc Eccleſiæ Oſtienſis privilegium, antequam ulli Epiſcopi in numero Cardinalium cenſerentur; nunc vero, cum inter eos plures ſint Epiſcopi, qui tres aliis ætate præeunt, conſecrandi Pontificis jure gaudent. Oſtienſis porro, quo die Pontificem ordinabat, utebatur pallio, ex decreto Marci Papæ.

(s) *Conſecrat Pontificem*] Ordo R. *Deus bonorum omnium*, &c. In qua oratione hæc addi debent ad locum: *Et ideirco famulo tuo N. quem Apoſtolicæ ſedis Præſulem, & Primatem omnium, qui in orbe terrarum ſunt, Sacerdotum, ac univerſalis Eccleſiæ Doctorem dediſti, & ad Summi Sacerdotii miniſterium elegiſti, hanc, quæſumus, Domine, gratiam largiaris.* Item poſt pauca: *Tribuas ei cathedram Pontificalem ad regendam Eccleſiam univerſam, &c.*

(t) *Poſt hæc, &c.*] Si Diaconus electus ſit, conſecratur in Presbyterum: hujuſce enim conſecrationis ſunt hæc, quæ leguntur. In libro rituum ſacrorum Auguſtini Patritii, (per errorem Chriſtophoro Marcello tribuitur) ritus ille deſcribitur: *Dictis orationibus, Papa etiam ſine mitra accedit ad altare, & prior Diaconorum, ſecundo adjuvante, capit pallium de altari, & imponit Pontifici, dicens: Accipe pallium, &c.*

(u) *Et aſcendit ad ſedem*] Summi Pontificis propriam, atque Eccleſiæ univerſæ Thronum, indeque tum ad peragendum Miſſæ officium, tum in actionem gratiarum hymnum angelicum inchoat.

(x) *Et dicit: Gloria*] Innocentius III. Cap. *Quod ſicut. De Elect. §. Super eo. Cum ſolus Pontifex Romanus, (qui ante hymnum angelicum conſecratur, & poſtmodum ipſe Miſſarum ſolemnia incipit & perficit conſecratus) in die conſecrationis ſuæ valeat ordines celebrare, &c.*

TITULUS IX.

Quod Indiculum hoc in loco dicitur, profeſſionem fidei vocant Ivo, Gratianus, Antonius Auguſtinus, & Baronius, locis in præfatione citatis. Eam omnes illi profeſſionem acceptam tradunt ex libro diurno, *ſed nemo tamen refert puram, ut hic eſt, ſed ad uſum noni ſæculi auctam atque interpolatam. Viſum eſt operæ pretium, utramque* παραλλήλως *exhibere, ut quisque facilius & varietatem obſervet, & quæ ex ambarum collatione concludi debeant, minore negotio intelligat.*

Indiculum Pontificis. (y)

IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, &c. Indictione Ill. menſe Ill. Ego Ill. miſericordia Dei *Pres-*

Profeſſio Pontificia. †

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego N. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, vel Presbyter, vel Epiſcopus

(y) *Pontificis*] Cononis opinor, qui poſt Conſtantini Pogonati obitum creatus eſt; aut Sergii, qui Cononem excepit: uterque enim electus eſt, & cum foret Presbyter, & poſt Conſtantini mortem, qui duo characteres in Indiculo habentur. Quod hæc porro fides edita ſit poſt Gregorii Magni ætatem, inde liquet, quod aliam longe diverſam, quam Joannes Diaconus Symbolum vocat, in conſecratione ſua emiſerit.

† *Profeſſio Pontificia*] Etſi refertur a Cardinale Baronio ad annum 869. non fuit tamen eodem modo, quo refertur, uſurpata, niſi decimo ſæculo jam provecto: fit enim mentio *Epiſcopi Cardinalis*, qui electus in Summum Pontificem foret, & id quidem communi quodam jure. At Epiſcopum in Summum Pontificem provehi jus non ſivit, niſi diu poſt tempora Formoſi, cui ſui nefario crimini datum, quod ex Epiſcopatu Portuenſi ad ſummam ſedem tranſiiſſet: obiit vero Formoſus, nono ſæculo pene incipiente.

Preſbyter, (z) * & Electus, (a) futuruſque per Dei gratiam humilis Apoſtolicæ ſedis Antiſtes, tibi profiteor, beate Petre, Apoſtolorum Princeps, (cui claves (b) regni cælorum ad ligandum atque ſolvendum in cælo & in terra, creator atque redemptor omnium, Dominus Jeſus Chriſtus, tradidit, inquiens: *Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcum-*

pus Cardinalis electus, ut fiam per Dei gratiam hujus ſanctæ Apoſtolicæ ſedis humilis miniſter: profiteor tibi, beate Petre, Apoſtolorum Princeps, (cui claves regni cæleſtis ad ligandum atque ſolvendum in cælo & in terra creator & redemptor Dominus noſter tradidit, inquiens: Quæcumque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in

(z) *Preſbyter*] Nondum Cardinalis nomen ad eminentiam dignitatis oſtentandam aſſumebatur: aſſumptum vero eſt nono ſæculo, ut ex collata profeſſione conſtat: nam prius in Eccleſia non alius Cardinalis nomine appellabatur, quam qui addictus eſſet uni loco pio curando, ut dicemus in notis ad caput tertium, ubi ſermo erit de incardinando Epiſcopo; & ad caput quintum, cum de præficiendo Presbytero Cardinali agetur.

(a) *Electus*] Nempe profitebatur orthodoxam fidem, velut unus fidelium, antequam in cathedra Petri docturus Eccleſiam ſederet. Profeſſio hæc videtur fuiſſe totius ceremoniæ initium. Brevior porro eſt, quam quæ edebatur ab ordinato: fuit enim hæc profitentis, altera docentis.

(b) *Cui claves, &c*] Prolixa parentheſis, niſi attendatur, perturbat ſenſum, quemadmodum & conſequens, etſi brevior: in altera vero profeſſione verba hæc, quæ uncinis duobus includuntur, vel delenda ſunt, vel reſtituendum verbum, quod deſit, v. g. *profiteor*, ne peccetur in leges grammaticæ. Quid enim ſibi vult infinitivus modus, *cuſtodire*, poſt conjunctionem, *quod*, & ſubjunctivum, *non deſerum?*

* COD ROM. legit *Diaconus*.

cumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis) ſanctæque tuæ Eccleſiæ, quam hodie tuo præſidio regendam ſuſcepi.

in cælis) *ſanctæque tuæ Eccleſiæ, quam hodie tuo præſidio regendam ſuſcipio, quod quamdiu in hac miſera vita* † *conſtitutus fuero, ipſam non deſeram, non relinquam, non abnegabo, non abdicabo aliquatenus, nec ex quacumque cauſa, cujuscumque metus vel periculi occaſione dimittam, nec me ſegregabo ab ipſa.* Matth. 16. v. 19.

Hanc veræ fidei rectitudinem (quam Chriſto autore tradente, per ſucceſſores tuos atque diſcipulos, usque ad exiguitatem meam perlatam, in tua ſancta Eccleſia reperi, totis conatibus meis, usque ad animam & ſanguinem cuſtodire, temporumque difficultates, cum tuo adjutorio, toleranter ſufferre.)

Sed veræ fidei rectitudinem, (quam Chriſto autore tradente per te, & beatiſſimum tuum coapoſtolum Paulum, & per diſcipulos ſucceſſores veſtros, usque ad exiguitatem meam prolatam in tua ſancta Eccleſia reperi, totis conatibus usque ad ſanguinem cuſtodire.)

Tam de ſanctæ & individuæ Trinitatis myſterio, quæ unus eſt Deus; quam de diſpenſatione, quæ ſecundum carnem facta eſt, Unigeniti Filii

Tam de ſanctæ & individuæ Trinitatis myſterio, quæ eſt unus Deus, quam de diſpenſatione, quæ ſecundum carnem facta eſt, Unigeniti Filii Dei, Domini

† *Quod quamdiu in hac miſera vita*] Promiſſio tam expreſſa de Eccleſia non dimittenda, quæcumque tandem cauſa extiterit, & & quantuscumque injiciatur metus, pertinet, ut manifeſtum eſt, ad ea tempora, quibus ſummi Pontifices a potentioribus Italiæ Tyrannis & intrudebantur & extrudebantur.

Filii Dei, Domini noſtri Jeſu Chriſti, & de cæteris Eccleſiæ dogmatibus, ſicut in univerſalibus Conciliis, (c) & Conſtitutis Apoſtolicorum Pontificum probatiſſimorum, atque Doctorum Eccleſiæ ſcriptis ſunt commendata; item quæcumque (d) ad rectitudinem veſtræ noſtræque orthodoxæ fidei, a te traditæ, reſpiciunt, conſervare.

Domini noſtri Jeſu Chriſti, & de cæteris Eccleſiæ dogmatibus, ſicut in univerſalibus Conciliis, & Conſtitutionibus Apoſtolicorum Pontificum, probatiſſimorumque Eccleſiæ Doctorum ſcriptis ſunt commendata, id eſt, quæ ad rectitudinem noſtræ veſtræque orthodoxæ fidei, a te traditæ, reſpiciunt, conſervare.

Sancta quoque univerſalia Concilia, (e) Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum, Calchedonenſe, & ſecundum Conſtantinopolitanum, quod Juſtiniani piæ memoriæ Principis temporibus celebratum eſt, usque ad

Sanctaque octo univerſalia Concilia, id eſt, Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Epheſinum primum, Calchedonenſe, quintum quoque & ſextum item Conſtantinopolitana, & ſeptimum item Nicænum, octavum quoque Conſtantinopolitanum † usque

(c) *Univerſalibus Conciliis*] Adverte ordinem regularum fidei, a Summis Pontificibus coram Eccleſia conſtitutum.

(d) *Item quæcumque, &c.*] Videtur probatior alterius lectio, id eſt, *quæ*, &c.

(e) *Sancta quoque Concilia*] Gregorius Magnus recens ordinatus, epiſtola ſynodica ad alios quatuor Eccleſiæ Patriarchas, idem fere habet de univerſalibus quinque Conciliis, ante ſuam ordinationem habitis.

† *Octavum quoque Conſtantinopolitanum*] Celebratum eſt ann. 869. ſedente Adriano II. in cauſa Ignatii & Photii. Vide Baronium ad annum jam dictum, & Raderum in notis ad iſtud Concilium: ex quibus diſces, quam neceſſe fuerit conſequentibus tempori-

ad unum apicem, (f) immutilata ſervare.

Et una cum eis pari honore & veneratione ſanctum ſextum Concilium, quod nuper (g) Conſtantino (h) piæ memoriæ Principe, Agathone, Apoſtolico prædeceſſore meo, convenit, medullitus & plenius conſervare, quæque vero prædicaverunt, prædicare; quæque condemnaverunt, ore & corde condemnare.

Dili-

usque ad unum apicem, immutilate ſervare.

Et pari honore & veneratione digna habere, & quæ prædicaverunt & ſtatuerunt, omnimode ſequi & prædicare, quæque condemnaverunt, condemnare ore & corde.

Dili-

poribus, ad laudem orthodoxiæ, octavam hanc œcumenicam Synodum recipere: œcumenicam dico: fuerunt enim aliæ duæ a *Schiſmaticis* habitæ, quæ nomen octavæ Synodi ementiri conatæ ſunt.

(f) *Usque ad unum apicem*] Omnes igitur canones quintæ Synodi, atque adeo undecimum, qui adverſus Theodoreti ſcripta editus eſt, Pontifices, priusquam ordinentur, ſe conſervaturos ſine ulla mutilatione, ſpondebant: qua ratione igitur Theodoretus purus erroris ſemper fuiſſe, probari queat?

(g) *Nuper*] Id eſt, quod ultimum habitum, & quidem ante annos quinque, ſi modo hæc profeſſio Cononis ſit: nam ordinatus eſt Conon anno 686. die 20. Octobris: Conſtantinus Pogonatus, cujus defuncti mentio ſit, obiit anno 685. menſe Septembri: Sexto Concilio datum initium die 10. Novembris anni 680. Finis impoſitus die 16. Septembris anni 681.

(h) *Conſtantino piæ memoriæ, &c.*] Edita igitur profeſſio eſt ab Electo, poſt defunctum Conſtantinum Pogonatum, hoc eſt, poſt anni 685. menſem Septembrem, atque ita vel a Conone, qui primus poſt Conſtantinum electus eſt, vel a Sergio, aut altero non longe poſt conſequente.

Diligentius autem & vivacius omnia decreta prædeceſſorum (i) Apoſtolicorum noſtrorum Pontificum, quæque ſynodaliter ſtatuerunt, & probata ſunt, confirmare, & indiminute ſervare, & ſicut ab eis ſtatuta ſunt, in ſui vigoris ſtabilitate cuſtodire; quæque vel quosque ſimili autoritatis ſententia condemnaverunt, vel abdicaverunt, ſimili autoritatis ſententia condemnare.

Diſciplinam & ritum Eccleſiæ, (k) ſicut inveni, & a ſanctis prædeceſſoribus meis traditum reperi, inlibatum cuſtodire.

Et indiminutas res Eccleſiæ conſervare, & ut indiminutæ cuſtodiantur, operam dare.

Nihil

Diligentius autem & vivacius, quamdiu vixero, omnia decreta canonica prædeceſſorum Apoſtolicorum noſtrorum Pontificum, quæcumque ipſi Synodaliter ſtatuerunt, & probata ſunt, confirmare, & indiminuta ſervare, & ſicut ab eis ſtatuta ſunt, in ſui vigoris ſtabilitate cuſtodire; quæque vel quoscumque condemnaverunt, vel abdicaverunt, ſimili ſententia condemnare vel abdicare.

Diſciplinam & ritum, ſicut invenimus a ſanctis prædeceſſoribus meis canonice traditum, quamdiu vita in iſtis comes fuerit, illibate cuſtodire.

Et indiminutas res Eccleſiæ conſervare, neque alienare, ſeu in feudum, cenſum vel emphyteuſim dare, quomodolibet, ex quacumque cauſa, & ut indiminutæ cuſtodiantur, operam dare.

Nihil

(i) *Decreta prædeceſſorum*] De fide ſcilicet ac moribus, ut ipſe contextus docet; nam quæ ad diſciplinam pertinent, ut alia aliis temporibus conveniunt, ita ſubinde mutantur.

(k) *Diſciplinam & ritum Eccleſiæ*] Utroque nomine intelligitur ratio univerſalis ſacrorum, de qua in ſequentibus profeſſionibus; non item forma vivendi, judicandi, &c.

Nihil de Traditione, (l) quod a probatiſſimis prædeceſſoribus meis ſervatum reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere; ſed ferventer, ut vere eorum diſcipulus & ſequipeda, (m) totis viribus meis conatibusque tradita conſervare ac venerari.

Si

Nihil de Traditione, quam a probatiſſimis prædeceſſoribus meis canonice traditam & ſervatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere; ſed ferventer, ut eorum diſcipulus & ſequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice reperio, ſervare & venerari.

Si

(l) *Nihil de Traditione*] Non ea intelligitur, quæ a Chriſto vel Apoſtolis, ſed quæ ab hominibus profecta eſt, aliudque nihil eſt, præter laudabiles conſuetudines & conſtituta.

Totam hanc porro περικοπὴν Ivo Carnotenſis refert his verbis. *In libro quoque Pontificum, qui dicitur Diurnus, ita continetur de profeſſione Romani Pontificis.* Nihil de Traditione, quam a probatiſſimis prædeceſſoribus meis traditam & ſervatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, ſed ferventer, ut eorum diſcipulus & ſequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice comperio, obſervare ac venerari profiteor. *Beatus quoque Gregorius, &c.*

Ejusdem loci meminit epiſt. 57. ad Bernardum, Majoris Monaſterii Abbatem. *Ipſe enim,* inquit, *Summus Pontifex, antequam conſecrationis gratiam conſequatur, conſuetudines Romanæ Eccleſiæ, & conſtituta prædeceſſorum ſuorum ſe inviolabiliter ſervaturum profitetur.* Ex his duobus locis apertum eſt, Summos Pontifices, ipſa etiam Ivonis ætate, id eſt, circiter anno 1115. profeſſionem fidei, quæ prima in Diurno ponitur, ante conſecrationem emiſiſſe.

(m) *Ut diſcipulus & ſequipeda*] Forma loquendi illis temporibus uſitata. Leo II. ad Conſtantinum Imperatorem; *Ut eorum pediſequum,* &c. Agatho in epiſtola ad Conſtantinum Imper. *Quorum præceſſorum puſillitas mea pediſequa cupit exiſtere.*

Si qua vero emerſerint contra diſciplinam canonicam, emendare; ſacroſque Canones & Conſtituta Pontificum noſtrorum, ut divina & cæleſtia mandata, (n) cuſtodire, utpote tibi redditurum me ſciens de omnibus, quæ profiteor, diſtrictam in divino judicio rationem; cujus locum divina dignatione perago, & vicem interceſſionibus tuis adjutus impleo.

Si qua vero emerſerint contra canonicam diſciplinam, communicatione filiorum meorum † ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, cum quorum conſilio, directione, & rememoratione miniſterium meum geram & peragam, emendare, aut patienter, excepta fidei & chriſtianæ Religionis gravi offenſione, tuâ & beatiſſimi tui coapoſtoli Pauli †† procurante interceſſione, tolerare; ſacroſque canones & ſacrorum Pontificum decreta, ut divina & cæleſtia mandata, Deo auxiliante, cuſtodire: utpote Deo & tibi ſciens me redditurum de omnibus, quæ profiteor, & quamdiu vixero, egero, vel oblivifcar, diſtrictam in divino judicio rationem, cujus ſanctiſſimæ ſedi divina dignatione, te patrocinante, præſideo, & vicem interceſſionibus tuis adimpleo.

Si præter hæc aliquid agere præſumpſero, vel ut præſumatur, permiſero, eris mihi, in illa terribili die divini judicii, depropitius. Hæc

Eris autem mihi in illa terribili die hæc conanti & diligenter ſervare conanti propitius.

Adju-

(n) *Ut divina & cæleſtia mandata*] Spiritus ſancti, Eccleſiam regentis, afflatu conſtituta.

† *Filiorum meorum, &c*] Scribendum videtur *fratrum*, partim quia ſic Pontifices loqui ſolent, partim quoniam tunc temporis inter Cardinales nonnulli Epiſcopi cenſebantur.

†† *Coapoſtoli Pauli*] Sapit id poſteriora tempora, prioribus enim ſolius Petri mentio fiebat.

Hæc conanti, & diligenter ſervare curanti, in hac vita corruptibili conſtituto, adjutorium quoque ut præbeas obſecro, ut irreprehenſibilis appaream ante conſpectum judicis omnium, Domini noſtri Jeſu Chriſti, dum terribiliter de commiſſis advenerit judicare, ut ſaciat me dextræ partis compotem, & inter fideles diſcipulos ac ſucceſſores tuos eſſe conſortem.

Adjutorium quoque ut præbeas obſecro in hac corruptibili vita conſtituto, ut irreprehenſibilis appaream ante conſpectum judicis omnium Domini noſtri Jeſu Chriſti, dum terribiliter de commiſſis advenerit judicare, ut faciat me dexteræ partis participem, & inter fideles diſcipulos & ſucceſſores tuos eſſe conſortem.

Quam profeſſionem meam, ut ſupra continetur, per Ill. Notarium & Scriniarium me mandante conſcriptam, propria manu ſubſcripſi, & tibi, beate Petre Apoſtole, & Apoſtolorum omnium Princeps, pura mente & conſcientia devota, corporali jurejurando ſinceriter obtuli.

Hanc autem profeſſionem meam, per Notarium & Scriniarium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, me jubente, ſcriptam, propria manu ſubſcripſi, & tibi, Apoſtole Petre, & Apoſtolorum omnium Principi, pura mente & devota conſcientia, ſuper ſanctum corpus tuum, & altare tuum ſinceriter obtuli. Actum, &c.

Subscriptio. Ego, qui ſupra Ill. indignus *Presbyter* * Dei gratia electus hujus Apoſtolicæ ſedis Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, hanc profeſſionem meam, ſicut ſupra continet, faciens jusjurandum corporaliter, tibi, beate Petre, Apoſtolorum Princeps, pura mente & conſcientia obtuli.

* COD. ROM. habet *Diaconus*.

Secunda Profeſſio (o) fidei.

ILL. Epiſcopus (p) ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ urbis

(o) *Secunda Profeſſio*] Præfert illa tres characteres, quibus non improbabiliter autor dignoſcatur. I. Qui profitetur, electus eſt *concurrentibus votis*. II. Profeſſio admodum erudita eſt, fidemque catholicam in Conciliis traditam, ita dilucide exponit, ut vix ulla par reperiatur in veteribus monumentis. III. Edita eſt poſt obitum Conſtantini Pogonati, & ante collectum Diurnum. Obitus Conſtantini contigit ſub finem anni 685. collectio Diurni ann. 715. Ab obitu igitur Conſtantini ad collectionem usque Diurni effluxerunt anni triginta, quo temporis intervallo, conſtituti ſunt in ſede Apoſtolica Pontifices omnino ſeptem, Conon, Sergius I. Joannes VI. Joannes VII. Siſinnius, Conſtantinus, & Gregorius II. Primus character oſtendit, uni de ſeptem Pontificibus profeſſionem tribuendam eſſe; eam ſecundus Cononi & Sergio abjudicat, quorum ſiquidem electionem atrox ſchiſma præceſſit: tertius non improbabiliter Gregorium II. facit autorem. Nam, & poſt Conſtantini Pogonati mortem anno, 714. & convenientibus votis, ordinatus eſt, & ſingularis doctrinæ facundiæque laude præ aliis quatuor celebratur. Adde, quod epiſtolæ Gregorii, præſertim quæ ad Leonem Imperatorem ſcriptæ, proprias quasdam voces, quæ hic reperiuntur, eumdemque ſtylum, & quaſi ſpiritum habeant.

Habet hæc porro formula partes duas: alteram, quæ concio; alteram, quæ fides. In priore Pontifex ſuam fatetur tantæ dignitati imparem virtutem, gratias agit Deo ac electoribus, & ſe precibus poſtulat adjuvari, ad implendum officium.

Sanctus Leo in ipſo ſuæ aſſumptionis die ſermonem huic concioni ſimilem fecit, niſi quod fidem ſermoni non perinde ſubjunxit; fortaſſe tunc nondum uſu receptum erat, alteram profeſſionem edere, quam quæ ad corpus S. Petri fiebat: fortaſſe, quod magis reor, fides omiſſa fuit a collectore ſermonum Leonis, propterea quod forma communis erat, & a Symbolo Apoſtolicæ Romano non diverſa. Verum de Sermone S. Leonis vide appendicem notarum.

(p) *Ill. Epiſcopus*] Cum iſta profeſſio fidei habeat formam, & concionis,

urbis Romæ, reverendiſſimis fratribus, & dilectiſſimis filiis, ſeu univerſæ plebi.

Apoſtolicæ ſedis officium, dilectiſſimi, ad quod, ſuperna gratia ita providente ac ſuffragante, pervenimus, cum tanto cordis ſtupore ac humilitate nos ſuſcipere debere perpendimus, quantum ad ejus acceſſum noſtram puſillitatem incomparabiliter imparem eſſe cognoſcimus: quia neque pro meritis præcedentibus hoc nobis collatum advertimus, neque propter ſolertiam gubernandi commiſſum fuiſſe permittimus. Sed clementiſſimi Dei noſtri miſericorditer inclinata ſublimitas hoc fieri, veſtris obſecrationibus annuit, & eligentium nos atque concurrentium ſententiam, tanquam jugum piæ nobis diſpenſationis, impreſſit.

Idcirco, cariſſimi, puſillanimitatem, quam in nobis aſpicitis, crebris orationibus adjuvate, pro nobis apud Dei clementiam cum fletibus intercedite, ut impotentiam, quæ in nobis eſt, *Dei noſtri* omnipotentia roboret, & qui omnes filii *ſui pretioſo ſanguine* dignatus eſt redimere, etiam noſtræ *fragilitatis* officium placatus dignetur aſpicere.

Verum etſi virtutum indoles nequaquam in nobis eſt, Evangelicæ tamen atque Apoſtolicæ fidei ſalutaris integritas inlibata atque perfecta, Chriſto annuente, & nunc in nobis eſt, & eadem ſine tenus permanebit.

Quamquam ergo merita Pontificum prædeceſſorum nec imitari poſſumus, nec condigne penſare; horum tamen ſpiritales regulas medullitus conſervamus, & ſalutiferis ſanctorum

cionis, quod initium oſtendit; & epiſtolæ, quod ex inſcriptione clauſulaque apparet: videri poteſt ita ſe habuiſſe, quomodo homiliæ Paſchales Alexandrinorum Pontificum: nimirum pro concione primum editâ eſt in Romana Eccleſia, deinde ſcripto transmiſſa ad Eccleſias omnes, ſaltem ordinationi Sedis Apoſtolicæ ſubjectas.

I i

ctorum Patrum doctrinis innitimur, hisque tanquam inexpugnabili muro præcincti, confidimus, (q) cuncta inimicorum fidei tela deſtruere, & veritatem oppugnantes mentes, eorum & præſidio & autoritate proſternere.

Horum traditionibus juxta capacitatem inſtructi, devota mente omni Eccleſiæ (r) profitemur, & coram Deo, conſcientiarum teſte, ſatisfacimus, quæcumque ad ſtabilitatem Chriſtianæ religionis, & rectitudinem Catholicæ fidei congruunt, quod & fidelium de nobis expectat optatus, & audire deſignat (s) intuitus, nos facturos.

Cognoſcat itaque veſtra dilectio, & integra nos ſatisfactione prædicare, tenere, ac defendere, prædicaturosque eſſe confidat fidem Chriſti, quam Apoſtoli tradiderunt, Apoſtolorum diſcipuli docuerunt, eorumque ſucceſſores Apoſtolici noſtri ac probatiſſimi prædeceſſores immutabiliter (t) ſervaverunt ac defenderunt.

Etenim

(q) *Confidimus, &c.*] Confidentia ejuſmodi non fuit temeritatis, ſed fiduciæ in Chriſto, qua factum eſt, ut Leoni Iſauro ſcriberet zelo incenſus adverſus Iconomachum, cui cum ſanctos Patres commemoraſſet veritatis catholicæ teſtes, exprobraſſetque tantorum teſtium contemptum: *Audi*, inquit, *humilitatem noſtram, Imperator, & ceſſa. Sanctam fidem ſequere, prout inveniſti atque accepiſti. Non ſunt Imperatorum dogmata, ſed Pontificum; quoniam* Chriſti ſenſum nos habemus. *Alia eſt Eccleſiaſticarum conſtitutionum inſtitutio, & alius ſenſus ſæcularium, &c.* 1. Corinth. 2. 2.

(r) *Omni Eccleſiæ*] Pelagius I. cum ſuam fidem vellet omni Eccleſiæ probare, ſcripſit *ad univerſum populum Dei* epiſtolam, iſti, quem edimus, ſermoni non abſimilem, ut ex mutua duorum collatione conſtare poteſt.

(s) *Audire deſignat intuitus*] Inde conſtat, profeſſionem hanc fidei, etſi videatur habere formam epiſtolæ, in Eccleſia tamen dictam: neque enim hæc verba ad alios pertinere poſſunt, quam auditores, qui præſenti ſuum teſtentur nutu deſiderium.

(t) *Immutabiliter, &c.*] Obſervandum eſt, id dictum, primo poſt Honorii

Etenim hujus Apoſtolicæ traditionis normam inviolabiliter cuſtodiemus, quam venerandum ſanctorum trecentorum decem & octo Patrum Concilium, quod in Nicæa, ſub magno Principe Conſtantino, convenit, Dei gratia revelante; redegit in Symbolum, & conſubſtantialem Patri Filium prædicavit, & Verbum Dei Deum verum eſſe confirmans Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Arium deitatem blaſphemantem, cum ſuis conſortibus expulit, & ut diaboli miniſtros æterno anathemate condemnavit.

Dehinc ſecundum Conſtantinopolitanum adæque ſanctum, centum quoque quinquaginta Patrum, Concilium, ſub Imperialis memoriæ majore Theodoſio, in Regiam urbem concurrens, quod Symbolo (u) deeſſe putabatur, expoſuit, & gratia Spiritus Sancti inluſtrante, Deum eſſe Spiritum Sanctum, Patrique & Filio utpote conſubſtantialem, coadorandum annexit: unde Macedonium rebellem Spiritus Sancti, & Apollinarem cum ſuis ſacrilegis complicibus, perpetui anathematis cenſura proſtravit.

Honorii obitum, deinde in eo ſermone, quo recipitur ſexta Synodus, denique cum expreſſis verbis Honorius dicitur *pravis hæreticorum aſſertionibus fomentum impendiſſe.* Non igitur tantus Pontifex velut Monothelita, quod imperite a quibusdam occinitur, ſed tanquam Monothelitarum fautor perſtringitur: fautor, inquam, non ut qui adjuverit, ſed ut qui non repreſſerit, ut par erat; id eſt, non qui approbatione, ſed qui diſſimulatione & imprudente œconomia uſus ſit.

(u) *Quod Symbolo deeſſe putabatur*] De Spiritu Sancto dixerunt Niceni Patres id unum, & *in Spiritum Sanctum*. Aliquid amplius exponendum fuit adverſus Macedonium, & Apollinarem cum Macedonio conſentientem. Hanc porro expoſitionem, quaſi innovatio foret fidei, atque additio, & non explicatio mera, exprobraverunt Ariani Catholicis, ut eſt in dialogo 1. Theodoreti adverſus Macedonianum.

Per hæc duo ſacra Concilia ſanctam & inſeparabilem Trinitatem, (x) unum Deum, unamque Trinitatis ſubſtantiam eſſe cognoſcimus, Trinitatemque in unitate, & unitatem in Trinitate palam prædicare didicimus, ut unum Deum, propter unitatem eſſentiæ, fateamur, & Trinitatem inſeparabilem, propter ſubſtantiarum atque perſonarum differentiam, doceamus; dum de Patre Filius æternaliter naſcitur, Spiritus Sanctus de Patre procedere confirmatur; eumdem Dei Filius *de ſuo accipere* perhibet, & in nomine ſuo mitti a Patre Spiritum Sanctum manifeſtat, & inſufflando diſcipulis, *Accipite Spiritum Sanctum*, utpote de ſe procedentem, (y) adnuntiat: & in cælos aſcendens, ut promiſerat, Paraclitum ad diſcipulos mittit.

Joan. 16. v. 14.

Ex hoc ergo vivaciter edocemur, & unicam divinitatis eſſentiam, & propter inconfuſas ſubſiſtentiarum proprietates, Trinitatem prædicare perfectam. Patris igitur, & Filii, & Spiritus Sancti, ſicut una vere eſt divinitas; ita una eſt gloria, impe-

(x) *Sanctam & inſeparabilem Trinitatem, &c.*] Nuſpiam reperire eſt pleniorem dilucidioremque myſterii Trinitatis expoſitionem; ut merito Anaſtaſius Bibliothecarius Gregorium noſtrum dixerit, *divina Scriptura eruditum, & facundum loquela.*

(y) *De ſe procedentem*] Quod in hac profeſſione minus expreſſe dicitur, in conſequente clarius explicatur, *Spiritum Sanctum nec genitum, nec ingenitum, ſed de Patre Filioque procedentem.* Quæ verba ſunt in Symbolo Gregorii Magni, non item in Fide Pelagii. Porro autem in utraque Diurni profeſſione continetur traditio, quam *ab Apoſtolicis & probatiſſimis prædeceſſoribus immutabiliter ſervatam ac defenſam* Summi Pontifices VII. ſæculo docebant. In Ordine Romano, ubi agitur de ordinandi Epiſcopi interrogatione: *Credis etiam in Spiritum Sanctum, plenum & perfectum, verumque Deum, a Patre & Filio procedentem, &c.* Idem habetur in ſermone de fide, qui interrogationem conſequitur in eodem Ordine.

imperium, majeſtas, virtus, atque potentia; una quoque eorum naturalis voluntas, & una eſt operatio.

Quibus duobus univerſalibus venerandisque Conciliis Tertium generale ducentorum (z) ſanctorum Patrum acceſſit Concilium, quod ſub principalis quidem memoriæ, Theodoſio Auguſto, (a) factum eſt, ex autoritate tamen Cæleſtini, (b) Apoſtolicæ ſedis Antiſtitis, cum beato Cyrillo, Alexandrinæ Eccleſiæ Præſule, prius in Epheſinam urbem convenit; in quo unitio in Chriſto convenientium naturarum, id eſt, deitatis atque humanitatis in Chriſto connexio ſecundum ſubſiſtentiam, ſalubriter prædicata eſt, & profanus hominicola (c) Neſtorius dominicæ diſpenſationi infeſtus, utpote qui adorandæ Incarnationis arcanum, Deum ab homine ſeparando, disjunxerat, & ſanctam virginem Mariam, Dei genitricem, blaſphemis vocibus objurgabat, per duodecim veneranda capitula, (d) multiplici anathemate in perpetuam conde-

---

(z) *Ducentorum*] Marius Mercator ducentos ſeptuaginta quatuor numerat, habetque aſtipulatorem S. Cyrillum, qui amplius quam ducentos extitiſſe ſcribit. Poſitus eſt igitur, ut vulgo ſolet, numerus plenus, omiſſis additamentis.

(a) *Theodoſio Auguſto*] Auguſtum dicit, ut a Magno diſtinguat, id eſt, juniorem a ſeniore, nepotem ab avo.

(b) *Et autoritate tamen Cæleſtini, &c.*] Non indixit Cæleſtinus Concilium, ſed indictionem approbavit: indictum enim eſt ab Imperatore Theodoſio, artibus Neſtorii declinare ſedis Apoſtolicæ ſententiam volentis deluſo. Cæleſtinus vero, etſi neſcierit indictionem Concilii, ut conſtat ex literis Neſtorii ad ipſum; dici tamen poteſt approbaſſe, partim literis ad Theodoſium & Synodum datis, partim miſſis Legatis tribus, Arcadio & Projecto Epiſcopis, ac Philippo Presbytero.

(c) *Hominicola*] Idem objicit paſſim Cyrillus Neſtorio.

(d) *Per duodecim capitula, &c.*] De his iſta obſerva. I. Juſſione Cæleſtini

condemnationem cum ſociis ſuis dejectus eſt, confiteri veraciter nolens, quod *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis,* (*Joan. 1. v. 14.*) id eſt, Deus Verbum, idemque Filius Dei pro nobis factus eſt homo, id quod erat manens, (e) factus eſt, quod non erat; & quia ſimul caro, *ſimul Verbi caro animata anima rationali,* * in Verbo quippe hoc ipſum ſubſiſtere habuit.

Pro hujusmodi ergo de incarnatione Dei Verbi regulis explanandis, etiam Quartum ſanctum ſexcentorum triginta Patrum ſanctorum Concilium, ſub auguſtæ memoriæ Marciano Imperatore, in Calchedona concurrit, cui Apoſtolicus Papa

Cæleſtini Summi Pontificis edita eſſe a S. Cyrillo in Ægyptiaca Synodo, miſſaque per quatuor Epiſcopos Conſtantinopolim ad Neſtorium, cum epiſtolis Synodorum Romanæ & Ægyptiacæ, quibus jubebatur ſubſcribere intra decem dies, niſi vellet deponi. II. Neſtorii artibus, imo precibus, impugnata ab Andrea Samoſateno, & Theodoreto Cyrenſi. III. Relecta poſtmodum in Epheſino Concilio & approbata. IV. Poſt Dionyſii Exigui tempora pro definitione Synodi Epheſinæ recepta. V. Cum de fide S. Cyrilli ageretur, nec in Calchedonenſi, in V. Synodo, aliave altera conſequente, lecta eſſe, ſed alias dumtaxat epiſtolas duas, ſecundam nimirum ad Neſtorium, & pacificam ad Joannem Antiochenum.

(e) *Id quod erat manens, &c.*] Hanc Catholicorum ſententiam maligne carpit Eutherius ille Neſtorianus Tyanorum Epiſcopus, qui cum a Concilio Maximiani exautoratus eſſet, non potuit in ſedem reſtitui, quamvis Paulus Emeſenus, inter gerendum pacis Eccleſiarum negotium, totis viribus anniteretur. Huic Eutherio tribuendi ſunt Sermones de variis propoſitionibus, qui inter Opera S. Athanaſii tomo 2. editi ſunt, ut oſtendimus in Auctario Operum Theodoreti: communis enim opinionis tribuentis, vel Athanaſio, vel Maximo Monacho, falſitatem demonſtrat M. Mercator.

* COD. ROM. habet: *Simul Verbi caro, ſimul caro animata, rationalis.*

Papa Leo per Legatos & Vicarios præfuit, cujus, Dei gratia referante, venerabili tomo (f) firmati Patres ſententialiter promulgaverunt, ex duabus & in duabus naturis, ſive ſubſtantiis, id eſt, deitate atque humanitate, unum eundemque Filium Dei, Dominum Jeſum Chriſtum; & quod in nullo perempta ſit differentia naturarum, magis autem, ſalva proprietate, utraque natura in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrerit: etenim ex quibus eum veraciter ſubſiſtere credimus, in eisdem inconfuſe, inſeparabiliter, & indiviſe, & eſſe, & contemplari nihilominus prædicamus. Quibus acquieſcere nolentes blaſphemus Dioſcorus, ſimul & delirus Eutyches, anathematis juſti cenſura, cum fautoribus ſuis, (g) percuſſi ſunt.

Hæc igitur ſancta atque univerſalia quatuor Concilia, etiam ſanctum Quintum Concilium venerandum aſſecutum eſt, & ſub piæ memoriæ Juſtiniano Principe, apud Conſtantinopolitanam urbem eſt congregatum, cujus ſalutari conſultu, unus eſſe de ſancta Trinitate (h) Dominus noſter Jeſus Chriſtus

(f) *Venerabili tomo*] Epiſtola dogmatica ad Flavianum adverſus errores deliri Eutychetis.

(g) *Fautoribus ſuis*] Sequebatur in MS. codice: *Cum his & epiſtola, quæ Ibæ dicitur ad Marim Perſam, & ſcripta Theodoreti adverſus beatiſſimum Cyrillum cum condemnatione projecta ſunt.* Sed rejecta eſt in ſuum locum iſta *παρένθεσις*, unde per incuriam Notariorum dimota fuerat: pertinet enim ad locum, ubi fit mentio de V. Concilio.

(h) *Unus de ſancta Trinitate*] Spectant hæc verba canonem IV. quintæ Synodi: *Si quis non confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationabili & intellectuali, ſecundum compoſitionem, ſive ſecundum ſubſiſtentiam, factam eſſe, ſicut ſancti Patres docuerunt; & ideo unam ejus ſubſiſtentiam compoſitam, qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, unus de ſancta Trinitate, talis anathema ſit.*

Chriſtus veraciter prædicatus eſt: & confundentes ac dividentes ſacræ ejus incarnationis arcanum, iſtius vocis ſpirituali mucrone proſtrati ſunt.

In hoc Origenes, (i) cum impiis diſcipulis & ſequacibus, Didymo & Evagrio, & qui creatorem omnium Deum, & omnem rationalem ejus creaturam gentilibus fabulis proſecuti ſunt, æternæ ſunt condemnationi ſubmiſſi.

In eo Theodorus Mopſueſtenus, autor Neſtorii, pariterque Diodorus, & omnes execrandæ diviſionis diſcipuli, qui & Semini-Neſtoriani vocati ſunt, ſub anathematis æterna cenſura ab Eccleſia Dei projecti ſunt. Cum his & epiſtola, quæ Ibæ dicitur ad Marim Perſam, & ſcripta Theodoriti adverſus beatiſſimum Cyrillum, cum condemnatione projecta ſunt.

In hoc Severus Acephalus, cum Petro & Zoara, cæteriſque eorum impiæ confuſionis conſortibus atque ſequacibus, perpetua condemnatione proſtrati ſunt, & omnes, qui ex duabus & in duabus naturis ſive ſubſtantiis, cum earum proprietatibus, unum eumdemque Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium Dei cognoſcere renuunt. Qui cum Deus ſit (k) conſubſtantialis Patri atque coæternus, propter nos noſtramque ſalutem deſcendit de cælo, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto, id eſt, operatione Sancti Spiritus virgo Dei filium concepit, carne animam habente rationalem atque intellectualem: in qua carne & crucifixus eſt, & mortuus eſt,

& tertia

(i) *In hoc Origenes, &c.*] Vide Diſſertationem de Quinta Synodo, ſubjunctam Liberati Breviario a nobis edito.

(k) *Qui cum Deus ſit, &c.*] Locus hic reſpondet canoni II. Concilii Lateranenſis ſub Martino I. Obſervandum vero, hanc & conſequentem confeſſionem, quemadmodum & quæ ab Epiſcopo editur, acceptas eſſe ex Synodis Quinta Lateranenſi & Sexta, atque ex epiſtola Agathonis.

& tertia die, ſicut voluit, reſurrexit a mortuis, mortis noſtræ diſſolvens imperium; in quam carnem quam ex nobis aſſumpſit, abſque ſolo peccato, ſedet ad dexteram Patris, in ea venturus judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis.

Inter hæc veneranda (l) univerſalia quinque Concilia, etiam ſanctum Sextum Concilium univerſale centum ſeptuaginta quinque venerabilium Præſulum prædicamus, quod favente Deo, & votum piæ memoriæ (m) magni Principis noſtri, Domini Conſtantini, clementer implente, in Urbe regia, eo præſidente, (n) celebratum eſt, cui Apoſtolicæ recordationis Agatho Papa per Legatos ſuos & Reſponſales (o) præfuit

(l) *Inter hæc veneranda, &c.*] Locum hunc usque ad iſta verba, *nexu perpetui anathematis devinxerunt*, Launoius cum accepiſſet a Patre Labbeo ex Diurno noſtro, inſeruit epiſtolæ ad Raymundum Formentinum, qua contra Cardinalem Cajetanum de Summi Pontificis dignitate diſputat.

(m) *Piæ memoriæ*] Poſt obitum igitur Conſtantini Pogonati profeſſio hæc edita eſt.

(n) *Eo præſidente*] Id eſt, principalem locum tenente & moderante, inſtar ſupremi ejuſdem Concilii [illegible], quomodo Gregorius II. Imperatorem [illegible] ſcribit in literis ad Leonem Iſauricum. In veteri Breviario Eccleſiæ Romanæ legitur *reſidente*, in novo, *præſente*. Albertus Pighius, vir cæteroquin bene meritus de Eccleſia, Sextam Synodum contendit fuiſſe [illegible] conventum, cui præfuit Imperator Conſtantinus. Verum refellitur egregie a controverſiarum fidei tractatoribus, ut non ſit neceſſe, nos pugnam jam dudum confectam redintegrare.

(o) *Per Legatos & Reſponſales ſuos*] De his ita S. Agatho ad Conſtantinum Imperatorem: *Secundum piiſſimam juſſionem manſuetudinis veſtræ, pro obedientia quam debuimus, non pro confidentia eorum ſcientiæ dirigimus præſentes conſamulos noſtros, Abundantium, Joannem, & Joannem, reverendiſſimos fratres noſtros Epiſcopos; Theodorum & Georgium, dilectiſſimos filios noſtros Presbyteros,*

præfuit, cujus venerabilem tomum celebriter aſſequentes, eos, qui novo & hæretico dogmate immaculatam Dei Eccleſiam [illegible] polluere

teros, cum dilectiſſimo filio noſtro, Joanne, Diacono, & Conſtantino, Subdiacono, ſanctæ hujus ſpiritalis matris Apoſtolicæ ſedis; nec non & Theodorum Presbyterum, Legatum ſanctæ Ravennatis Eccleſiæ, & religioſos ſervos Dei, Monachos, &c.

Circa hunc locum obſervanda quinque. I. Theodorum & Georgium, Presbyteros, Joannemque Diaconum, tenuiſſe locum Agathonis, Summi Pontificis; Abundantium vero & utrumque Joannem, Epiſcopos Occidentalis Concilii, legatione functos eſſe: unde illi ante Patriarchas, isti poſt Patriarchas cenſentur. Sic enim habent acta: *Conveniente ſancta & univerſali Synodo, &c. id eſt, Theodoro & Georgio, venerabilibus Presbyteris, & Joanne, venerabili Diacono, vicem agentibus Agathonis, ſanctiſſimi & beatiſſimi Archiepiſcopi antiquæ Romæ, & Georgio, venerabili ac ſanctiſſimo Archiepiſcopo magnæ Conſtantinopoleos novæ Romæ, & Petro, Deo amabili Presbytero & Monacho, locum ſervante ſedis magnæ civitatis Alexandriæ, & Macario, venerabili Archiepiſcopo Theopoleos Antiochiæ, & Georgio, religioſo Presbytero Monacho, & Apocriſiario Theodori, venerabilis Vicarii ſedis Hieroſolymitanæ; Joanne, Epiſcopo Portuenſi, Abundantio, Epiſcopo civitatis Paternenſis, Joanne, Epiſcopo civitatis Rheginæ, locum præſentantibus centum viginti quinque venerabilium Epiſcoporum ſancti Concilii antiquæ Romæ.*

II. Conſtare inde, quarum civitatum Epiſcopi fuerint Abundantius & uterque Joannes: quarum vero Eccleſiarum Cardinales Presbyteri fuerint Theodorus & Georgius: cujus Diaconiæ Joannes, ignotum eſt. Joannes autem quinque abhinc annis ſucceſſit Benedicto II. cum Agathonem Leo II. Leonem Benedictus excepiſſet.

III. Monachos, quorum mentio fit a Pontifice, recenſeri in actis. Sunt autem illi: *Theophanius, Presbyter & Abbas venerabilis Monaſterii Siciliæ, quod cognominatur ad Bajas; Georgius, Presbyter & Monachus Monaſterii Renati, poſiti in antiqua Roma;*

Conon

polluere nitebantur, & erraſſe manifeſtius probaverunt, & cum ſui erroris autoribus, atque fautoribus, (p) perpetuo anathemate damnaverunt.

Rectè atque veraciter ſtatuentes, ſicut duas unius Domini noſtri Jeſu Chriſti naturas, id eſt, deitatem & humanitatem, cujus duas nativitates eſſe cognoſcimus, de Patre videlicet, ex æterno; de matre, de qua humanitas ei acceſſit, ex tempore: ita duas quoque ſubſtantias unius ejuſdemque perſonæ confiteremur, juxta ſubſiſtentiam unitas, ex quibus, & in quibus, idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Filius Dei, & adnuntiatur, & creditur: quia totus Deus totus factus eſt homo, & in ſuis integer manens, etiam in noſtris perfectus apparuit, abſque ſolo peccato, quia in ſe ſalvare totum hominem venerat; ita quoque & duas naturales habere voluntates,

Conon & Stephanus, Presbyteri & Monachi Monaſterii, quod cognominatur Domus Arſicia, poſiti ſimiliter in ſeniore Roma.

IV. Nullam fieri Conſtantini Subdiaconi mentionem in actis, quoniam in Conciliis nullus erat, niſi Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis, locus.

V. Ex his, qui miſſi ſunt, Pontificatum geſſiſſe tres, Joannem, Cononem, & Conſtantinum, quamquam de Conone Monacho ſubdubito. Theodorum bis fuiſſe ſchiſmatis cauſam, ſemel cum electus Conon, iterum cum Sergius.

(p) *Autoribus atque fautoribus*] Ipſis etiam, ſi licet ita loqui, negativis, qui nempe ſilent ubi vociferandum, & ſe per ignavam prudentia continent, cum perrumpenda eſt, Deo jubente, iniquitas. Innocentius I. *Non multum intereſſe arbitror inter conniventis animum, & conſentientis favorem.* Et poſt ea: *Perſpiciendum eſt, ne permittendo lupos, mercenarii magis videamur eſſe, quam paſtores.* Epiſt. ad Conc. Milevit. Cæleſtinus I. ad Epiſcopos Galliæ: *In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, qui occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret: merito namque cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori.*

tates, duasque naturales operationes, ſecundum ſanctorum Patrum doctrinam, decreverunt.

Autores vero novi hæretici dogmatis, (q) Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Conſtantinopolitanos, una cum Honorio, (r) qui pravis eorum aſſertionibus fomentum impendit; pariterque & Theodorum Pharanitanum, & Cyrum Alexandrinum, cum eorum imitatoribus, ſimulque & hos, qui hæretica dogmata contra veritatem fidei ſynodaliter declaratam atque prædicatam, pertinaciter defendebant.

Peſſi-

(q) *Autoris novi dogmatis, &c.*] Dogma intelligit de unica voluntate Chriſti, quod licet reipſa non differret ab Eutychiano, ſe tamen aliena ſub forma diſſimulabat.

(r) *Una cum Honorio*] De Honorio ita Hadrianus II. in Synodo Romana, quæ refertur in VIII. Conc. Gener. act. 7. *Intolerabilis eſt iſta præſumptio, & hanc præcordiorum aures ferre non poſſunt. Quis unquam veſtrum tale quid audivit? vel quis hujus temeritatis, ſaltem lectione, immenſitatem invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus; de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio poſt mortem anathema ſit dictum ab Orientalibus, ſciendum tamen eſt; quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus libere reſpuendi. Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Præſulum cuipiam de eo, quamlibet fas fuerit proferendi ſententiam, niſi ejuſdem primæ ſedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet autoritas.* Sic ſe habet Anaſtaſii verſio; Græcus textus paulo aliter.

Obſervandum Hadrianum II. Pontificatum iniviſſe anno 867. atque adeo hanc ipſam profeſſionem fidei edidiſſe, cum primum ſedere cœpit.

Obſervandum pariter ex Hadriani verbis poſſe componi altercationes omnes, hac de re moveri ſolitas: quis enim Papam aſſerat, aut tantæ cauſæ ignarum fuiſſe, aut temere ſententiam dixiſſe?

Peſſimum etiam, & Deo odibilem Macarium (s) (cum ejus diſcipulo, & magiſtro impietatis, Stephano, (t) & Polychronio deliro (u) ſene, novo Simone) (x) cum omnibus hære-

(s) *Macarium*] Antiochenum Epiſcopum, adverſus quem act. 8. Sexta Synodus exclamavit: *Novo Dioſcoro anathema, hujusmodi deponatur: novum Dioſcorum foras mitte: novo Apollinario malos annos: merito ab Epiſcopo alienetur, nudetur circumpoſito ei pallio.*

(t) *Stephano*] Fuit ille Monachus & Antiochenus Presbyter, Macarii diſcipulus & Syncellus, pertinax in errore, adverſus quem conclamavit Synodus act. 9. *Hæreticum foras mitte: novo Eutycheti malos annos: novo Apollinario malos annos: hæreticum foras mitte; & impulſus eſt Stephanus, diſcipulus Macarii, & foras miſſus.* Habuit porro & ipſe diſcipulum Tyrannum Bardanem, ut eſt in peroratione Agathonis Diaconi.

(u) *Et Polychronio deliro ſene*] Delirus dicitur, non tantum propter nomen, quod multæ ætatis hominem ſignificat; ſed etiam propter ætatem: erat enim tunc octagenario major. Senex porrò dicitur, & quidem delirus: nam in ſua ad Imperatorem epiſtola narrat viſa, deliriis & ſomniis ſimilia.

(x) *Novo Simone*] Inde corrigas vetus Breviarium Romanum, in feſto S. Leonis II. in quarta Lectione, ubi legitur: *& Polychronius, Novus, & Simon,* quaſi tres fuerint homines, & non tres tantum voces uni convenientes. Porro dictus eſt a populo novus Simon, Magus ſcilicet, poſt detectam impoſturam, qua tentavit, velut ille antiquus Simon Magus, prodigio fidem ſuam probare: ſed utrumque ſua ſpes fefellit. Neque enim Simon volavit illæſus, quod promiſerat, ad ſuam divinitatem conteſtandam; neque Polychronius mortuum ſuſcitavit, quod ſuæ fidei ſpoponderat teſtimonium. Res ita refertur act. 16. Synodi Sextæ: *Egredientibus tam glorioſiſſimis judicibus & ſancto Concilio, & plurimo populo congregato in atrio publici lavacri, quod dicitur Zeuxippus, appoſitus eſt ei in argenteo exequiali feretro mortuus, ſimiliter coram glorioſiſſimis judicibus, & his, qui erant ex ſancto Concilio,*

hæreticis ſcriptis atque ſequacibus, nexu perpetui anathematis, devinxerunt, qui unam execrabiliter aſſerebant voluntatem, & unam operationem in Chriſto; quam neque divinam, neque humanam, neque inconditam, neque conditam poterant demonſtrare, ſed velut confuſam atque congregatam. Sicut de naturis impius Eutyches, ita de naturalibus voluntatibus atque operationibus Chriſti, juxta hæreticorum præſtigias, nitebantur defendere.

Sed & eos, qui unam ſimul & duas voluntates & operationes in Chriſto dicere præſumebant, ſive nec unam, nec duas; vel qui proprietates naturarum Chriſti confundere vel extinguere niſi ſunt, vel nituntur, pari cum eis anathemate multaverunt.

Propterea quoſquos, vel quæque ſancta ſex univerſalia Concilia abjecerunt, ſimili etiam nos condemnatione percellimus anathematis.

Cum ſupra fatis hæreticis, Sabellium, Paulum Samoſatenum, Marim Perſam, (y) Montanum, Donatum, Eunomium, Novatum, Sabbatium, Acacium, Anthimum, Julianum,

Concilio, plurimoque Chriſto amabili populo ibidem invento, ſuperaſſiſtens idem Polychronius poſuit ſupra ipſum mortuum hujuſmodi fidei ſuæ chartulam, perque plures horas perſeverans, & inſuſurrans ei, nihil horum, quæ ab eo ſtolide ac blaſpheme promiſſa fuerunt, valens peragere idem Polychronius dixit, nullatenus ſe poſſe mortuum ſuſcitare. Populus itaque, qui ibidem aderat, exclamavit, dicens: Novo Simoni anathema, Polychronio ſeductori populi anathema. Miſſi porro ab Imperatore Macarius, Stephanus, Polychronius Romam ad Leonem II. cum errorem pertinaciter retinerent, detruſi ſunt in Monaſteria, & impœnitentes interierunt.

(y) *Marim Perſam*] In Synodo Lateranenſi ſub Martino I. can. 18. dicitur, Theodulus Perſa, quem opinor eumdem eſſe cum Theodolo Theodori commentatoris, id eſt, Mopſueſteni diſcipulo, cujus meminit Hebed Jeſu in Catalogo.

num (z) Halicarnaſſeum, Theodoſium, Gaianum, Priſcillianum, Pelagium, Cæleſtium, & Julianum eorum diſcipulum, & cum eis ſimul omnes hæreticos, eorumque ſimul ſequaces, execramur ac condemnamus.

Quosque vero, vel quæque eadem ſex ſancta Concilia ſuſceperunt, ut rectæ fidei conſortes ſuſcipimus, & cum eadem reverentia, ore & corde veneramur.

Sed & hoc veſtræ caritati, Chriſto annuente, pollicemur, cuncta, quæ hujus Apoſtolicæ ſedis præfati Pontifices, Apoſtolici prædeceſſores noſtri, *ſynodaliter* * ſtatuerunt, cum toto mentis ſtudio & puritate nos eſſe conſervaturos, & ad defendendam rectæ fidei puritatem, eorumdem præſidio, coram hominibus eſſe ſequipedam.

Unde & diſtricti anathematis interdictioni ſubjicimus, ſi quis unquam, ſeu nos, ſive eſt alius, qui novum aliquid præſumat contra hujusmodi evangelicam traditionem, & orthodoxæ fidei Chriſtianæque religionis integritatem, vel quidquam contrarium annitendo immutare, ſive ſubtrahere de integritate fidei noſtræ tentaverit, vel auſu ſacrilego hoc præſumentibus conſentire.

Ut ſinceritas perfectæ noſtræ fidei veſtræ caritati manifeſtius clareat, præſentem noſtræ profeſſionis paginam per III. Notarium ſcriptam, cum noſtræ manus ſubſcriptione, coram

(z) *Julianum, &c.*] Eclanenſem Epiſcopum, qui a Cæleſtio, quem Pelagius corruperat, hæreſim didicit, factus poſtmodum ex diſcipulo magiſter totius factionis. Marius Mercator de ipſo tradit, quæ nullus alius diſtincte. Vide noſtras ad primam partem Marii Mercatoris Operum notas, & diſſertationem de primis autoribus, & defenſoribus hæreſis Pelagianæ.

* COD. ROM. poſt *ſynodaliter* addit, *atque decretaliter*.

ram omnibus relectam, in confeſſione beati Petri Apoſtolorum Principis, depoſuimus, tanquam ipſo teſtificante de puritate conſcientiæ noſtræ, cui claves ligandi atque ſolvendi in terra & in cælo omnium Salvator & Dominus tradidit.

Ill. gratia Dei Epiſcopus ſanctæ catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ urbis Romæ huic profeſſioni rectæ & orthodoxæ fidei, ſicut ſuperius legitur, ſubſcripſi, eamque ad corpus tuum, beate Petre Apoſtole, obtuli conſolidandam.

Tertia Profeſſio fidei, poſt ordinationem.

Ill. Epiſcopus (a) ſanctæ catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ

(a) *Ill. Epiſcopus, &c.*] Ipſa per ſe profeſſio fidei videtur dicere, a quo ſit primum, & quo tempore edita: habet enim quatuor notas, quibus utrumque dignoſcatur. I. Fit in ea mentio Sextæ Synodi, cujus definitio recipitur. II. Appellatur nomen Conſtantini Imperatoris, qui Synodum coegit. III. Imperatoris nomini non additur, quod ſolet poſt mortem, quodque in aliis duabus non omittitur, *pia memoria*, ſed illud potius, quod *a Deo coronatus*. IV. Exordium ducitur ab exhortatione ad concordiam, mutuamque injuriarum condonationem. Innoteſcit, ex prima quidem & ſecunda nota, fidem eſſe editam poſt ſolutam VI. Synodum: ex tertia vero, non fuiſſe editam poſt mortem Conſtantini, alioquin *pia memoria* dictus fuiſſet: ex poſtrema denique, editam poſt diſſenſiones in electione alicujus Pontificis exortas. Atqui Sexta Synodus abſoluta eſt anno 681. die 16. Septembris. Obiit Conſtantinus anno 685. menſe Septembri, quatuor annis poſt Synodum ſolutam. Hoc intervallo temporis creati ſunt tres omnino Summi Pontifices, Leo II. Benedictus II. Joannes V. E' tribus illis duo, Benedictus & Joannes, ſtatim electi narrantur, Leo non item, ſed Agathoni ſucceſſit, poſtquam vacaſſet diu ſedes. Nec dubium, quin potiſſima vacationis cauſa extiterit diſſidentium in eligendo Pontifice animorum pugna. Neceſſe eſt igitur fateri, profeſſionem hanc a Leone

cleſiæ urbis Romæ, dilectiſſimis & dulciſſimis filiis (b) in Domino ſalutem.

Hodiernæ diei (c) feſtiva jucunditas invitat nos, dilectiſſimi, veſtram in Chriſto fraternam humili voce exhortari concordiam. Quatenus tam alacer veſtræ devotionis concurſus, non ad favorem hominum, ſed ad laudem potentiſſimi proficiat Creatoris, qui dum votis vota ubertim accumulat, gaudiis cæleſtibus noſtræ humilitatis gaudia amplificare dignabitur.

Quis namque, ut ait Propheta, *loquetur potentias Domini?* *Pſal. 105. v. 2.* *aut quis omnes ejus auditas valebit facere laudes?* vel quis digne *poterit magna & mirabilia ejus opera enarrare.* Neque enim *Eccleſ. 1. 8. 7. 8.* hoc mea merita, cariſſimi, quæ nulla ſunt, ſed veſtræ chriſtianitatis vota apud Altiſſimum promeruerunt, quod in me indignum deſuper cernitis exultantes, ut nimirum Omnipotens

K 2 de

a Leone II. anno 682. editam, ſiquidem Agatho defunctus eſt vita, aut certe ſepultus die 10. Januarii, anno 681. vacavitque ſedes, ut habet Baronius ex Anaſtaſio, annum unum, menſes 7. dies 7.

(b) *Dilectiſſimis & dulciſſimis filiis*] Quod fratrum non meminit, ſed filiorum dumtaxat, ſignum eſt ad univerſum Dei populum directam fuiſſe fidei profeſſionem, cum antea Romæ apud populum eſſet emiſſa. Sic Pelagius I. cum fidem ſuam univerſæ Eccleſiæ populo mitteret, non fratrum, ſed filiorum tantum meminit: neque difficultatem creare poteſt, quod quæ de caritate dicuntur, offenſiſque condonandis, Romano populo conveniant: fuit enim id in more poſitum, ut cum totus orbis docendus eſſet de re aliqua magni momenti, ſermo habitus pro concione in Eccleſia mitteretur inde ad univerſos. Videndæ ſuper ea re homiliæ paſchales ſancti Cyrilli Alexandrini.

(c) *Hodiernæ diei*] Sermonem hunc habuit, jam non ad Clerum & Epiſcopos tantum, cum ſuæ fidei ſpecimen daret ante ordinationem; ſed ad Eccleſiam orbe toto diffuſam poſt ordinationem, cum ſederet in Cathedra Petri docturus Eccleſiam.

Pſal. 112. v. 7. *de terra inopem, & de ſtercore pauperem ſublimaret*, prærogativam ſacerdotii concederet, diſpenſatoremque ſuæ conſtitueret familiæ.

Quapropter, cariſſimi, hujus diei præclara ſolemnitas geminam apud veſtram Deo placitam caritatem, per hanc meæ mediocritatis paginam (d) compulit perſolvere functionem. (e)

Et primum (f) omnium quidem, condecet paterno affectu meos dulces depoſcere natos, ut pro meæ fragilitatis inopia Chriſtum Dominum convenienter deprecemini, ut hoc

(d) *Paginam*] Inde liquet, non fuiſſe hanc concionem tantum, quæ voce diceretur; ſed epiſtolam quoque, quæ ſcripto poſtea mitteretur.

(e) *Perſolvere functionem*] Pontifices Romanos, ſtatim atque in ſedem Apoſtolicam conſcenderant, ſolitos eſſe monere totam Eccleſiam de ordinatione & fide ſua, conſtat pluribus Pontificum ipſorum teſtimoniis & exemplis. Gelaſius epiſt. 2. anno 492. ad Laurentium Lignidenſem: *Quia mos eſt Romanæ Eccleſiæ Sacerdoti noviter conſtituto, formam fidei ſuæ ad ſanctas Eccleſias prorogare, hac eadem compendioſa nimis brevitate ſtudui revocare, ut ſub qua fide vivendum ſit, ſecundum ſtatuta Patrum, in hac noſtra epiſtola, per brevitatem ſine faſtidio lector advertat. Confitemur ergo, &c.*

(f) *Et primum quidem, &c.*] More prædeceſſorum precibus ſe adjuvari poſtulat. Ita Leo Magnus in ſermone habito die ipſo ſuæ aſſumptionis, Pelagius I. epiſtola ad univerſum Dei populum; Gregorius Magnus in epiſtola ſynodica ad Patriarchas Orientalis Eccleſiæ, & alii, a quibus ſcriptum aliquid de ſua promotione ad nos pervenit. Quin & Hilarius ſcribens de ſuæ ordinationis primordiis epiſt. 5. ad Leontium Arelatenſem, poſtquam petiit omnibus per univerſam provinciam Epiſcopis de ſede Apoſtolica ſibi commiſſa renuntiari, addit, *ut ſupplicaturi Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſicut [illegible] gaudia, ita profutura univerſali Eccleſiæ orationum ſuarum vota conjungant.*

hoc officium pietatis, quod largiente Domino, veſtris preci-bus, indeptus ſum, ſuorum interceſſionibus Apoſtolorum, concedat inculpabiliter adimplere, quatenus non de culmine præſulatus temeritatis pœna condemner; ſed de fideli officio ac ſedulo pietatis miniſterio, in die adventus Domini, me-rear, una cum animabus ab eo mihi creditis, immarceſcibi-lem gloriæ percipere coronam.

Deinde alia mihi ad vos, o dilectiſſimi, pro vobis eſt ampliſſima caritatis adhortatio, (g) quatenus, ſi quis veſtrum adverſus aliquem habuit vel habet huc usque querelam, meæ obſecrationis interventu, propter eum ſcilicet, qui autor pa-cis & caritatis eſt, invicem ex cordibus relaxetis. *Donantes* Coloſſ. 3. ℣. 13. *vobismetipſis*, ſecundum Apoſtolicam exhortationem, *ſicut* 2. Cor. 2. ℣. 11. *Deus in Chriſto donavit vobis, ut non*, quod abſit, quolibet ar-gumento, *a ſatana*, inimico pacis diſſenſionisque autore, *cir-cumveniamur*. Finiantur, quæſo, ſimultates & diſcordiæ, ut non regnet in veſtro caſto corpore odii fomes, ſed pax & ca-ritas, quam diligit Deus: *ut ſitis obedientes filii Patris veſtri*, Matth. 5. ℣. 45. *qui in cælis eſt*. Scriptum quippe eſt: *Beati pacifici, quia filii* Ibidem ℣. 9. *Dei vocabuntur*. Et iterum: *Pacem ſequimini & ſanctimoniam*, Hebr. 12. ℣. 14. *ſine qua nemo videbit Deum*. *Dimittite*, inquit Dominus in Luc. 6. ℣. 37. Evangelio, *& dimittetur vobis*. *In hoc*, ait, *cognoſcent omnes*, Joan. 13. ℣. 35. *quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem invicem conſervetis*, *ut pax* Philip. 4. ℣. 7. *Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda & intelligen-tias veſtras, in Chriſto Jeſu, Domino noſtro*. Quatenus, ſicut meæ exiguitatis promotione lætitiæ gaudia vobis hodie (h)

(g) *Ampliſſima caritatis adhortatio*] Hortatur Pontifex Clerum, po-pulumque, ad deponendas inimicitias, quas inter diſſidendum de electione atroces conceperant, foverantque, per viginti fere men-ſes, nec adhuc tamen omni ex parte depoſuerant, licet in Leonis electionem conſenſiſſent.

(h) *Hodie*] Ipſo igitur die aſſumptionis habitus eſt Romæ ſermo, qui ſcripto poſtea in provincias, ſaltem ordinationis Pontificiæ, directus.

cumulavit Altiſſimus; ita profecto, & mihi de veſtræ unanimitatis & pacis concordia mentis jocunditas uberius multiplicetur, ut condecenter pari aſſenſu hymnum gloriæ (i) cum ſanctis angelis, ante venerabile Apoſtolorum Principis corpus, poſſimus concordi modulamine, etiam cum interno
Luc. 2. v. 14. mentis adſenſu, alacriter exclamare, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Quibus præmiſſis, cariſſimi, ad illud ſingulare ſpei noſtræ remedium, meæ humilitatis alloquium, (k) ſummopere curro, ut ad quod veſtrum deſiderium, per afflatum Spiritus Sancti, indeſinenter eſſe ſollicitum atque adtentum in meis oculis habeo conſpectum; illaque meæ humilitatis profeſſione, ad veſtram ædificationem, libenter invitor depromere, quæ a me inhianter, ſuſpenſis auribus, fervore catholicæ atque orthodoxæ fidei, chriſtianæ religioni dedita veſtra devotio, per meæ miniſterium linguæ convenienter cupit audire.

Propterea chriſtianæ ſimul & evangelicæ doctrinæ diſcipuli, paternæque traditionis, per Dei gratiam, æmulatores, & orthodoxæ fidei ſectatores exiſtentes, ea, quæ per ſanctos Apoſtolos, hujusque Apoſtolicæ Sedis Præſules, prædicanda
Rom. 10. v. 10. ſuſcepimus, quemadmodum *corde credimus ad juſtitiam*, ita nos condecet, ad veſtræ ſalutis ædificationem, mente devota proprie

(i) *Hymnum gloriæ*] Nondum hymnus, qui dicitur Ambroſii & Auguſtini, canebatur Romæ in ſolemnem gratiarum actionem. Romæ dixi, nam in Galliis antea decantatum fuiſſe non obſcure colligitur.

(k) *Alloquium*] Locum miſerabiliter corruptum emendavi. Sic enim ſe habebat: *Ad locum ſummopere cumvi, ad quod veſtrum deſiderium per affectum Sancti Spiritus, indeſinenter ſollicitum eſſe atque adtentum, immaculatis ab eo confertum, illa quæ mea humilimtis*, &c.

proprie ac veraciter, in conſpectu totius Eccleſiæ, (l) libera profiteri voce.

Credimus (m) in unum Deum, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem inſeparabilem: Patrem ſcilicet, ex quo omnia: Filium, per quem omnia: Spiritum Sanctum, in quo omnia. Patrem quidem ingenitum, Filium autem ex Patre unigenitum, Spiritum (n) vero Sanctum nec genitum, nec ingenitum, ſed de Patre Filioque procedentem. Unum Sanctæ Trinitatis eſſentiam, unam virtutem, unam dominationem, unam naturalem voluntatem atque operationem unam. Trinitatis nomine credentes baptizati ſumus, & credendum fideliter prædicamus.

Unum igitur Sanctæ Trinitatis, hoc eſt, Deum Verbum, qui natus eſt de Patre ante omnia ſæcula, eumdem in ultimis temporibus deſcendiſſe credimus, incarnatum eſſe de Spiritu

---

(l) *In conſpectu totius Eccleſiæ*] Non Romanæ tantum, ſed totius Metropolitanæ, aut Univerſæ, & orbe toto diffuſæ: atque hinc concludo, ſermonem non ſolum ad Romanos habitum, ſed ad omnes orbis fideles, aut ſaltem ad Occidentis totius Eccleſias, aut ad ordinationi Apoſtolicæ ſubjectas, miſſum eſſe.

(m) *Credimus, &c.*] Si conferatur fides hæc cum ea parte epiſtolæ ſecundæ Agathonis ad imperatorem Conſtantinum, qua continetur catholici dogmatis expoſitio, continuo videbitur alterius cum altera tanta conſonantia, ut hæc ab illa, ſi non verbis, ſaltem ſenſu deſumpta videatur. Nec te moveat, quod in Agathonis epiſtola Spiritus Sanctus dicitur *de Patre procedere*, nec additur, *Filioque*, quod in hac tamen fide legitur: nam id deletum a Græcis, cum Latinam epiſtolam in Græcam linguam verterent, in Concilio Florentino conqueſti ſunt Latini.

(n) *Spiritum vero, &c*] In Ordine Romano, ut jam dictum eſt, ordinandus Epiſcopus de fide Spiritus Sancti interrogatur in hunc modum: *Credis etiam Spiritum Sanctum, plenum & perfectum, verumque Deum, a Patre & filio procedentem, &c.*

Spiritu Sancto, & de ſemper virgine beata Dei genitrice Maria, & *inhumanatum:* * conſubſtantialem Patri ſecundum deitatem, & conſubſtantialem eundem nobis ſecundum humanitatem: de Patre quidem natum ſine tempore & æterne, de matre autem absque ſemine in tempore: unde & duas ejus nativitates prædicamus, & unum eumdemque Dei Filium, eumdemque hominis filium ex duabus, & in duabus naturis, hoc eſt, divina & humana, incondita & condita, impaſſibili & paſſibili, in unam perſonam atque *ſubſtantiam* ** concurrentibus, & in ſua proprietate, inconfuſis & immutabiliter eisdem naturis manentibus, ex quibus ineffabilis adunatio facta eſt, & Deus unitus, mediante rationali anima, carni, quam de ſancta & immaculata virgine aſſumpſit.

Quare vere ac proprie θεοτόκον, id eſt, Dei genitricem ſanctam ſemperque virginem prædicamus, eo quod unum eumdemque Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum genuit, non in duas perſonas duosve filios partitum, ſed eumdem, deitate quidem impaſſibilem, paſſum autem carne, crucifixum & ſepultum carne, reſurrexiſſe & aſcendiſſe in cælos carne, unde nunquam divinitate diſceſſit, ſedentem ad dexteram Patris in eadem carne, & ita venturum judicare vivos & mortuos, & ſic ſemper in eadem carne manſurum.

Propterea deteſtamur (p) eos, atque condemnamus, quicumque ante adunationem duas naturas, & poſt adunationem unam Chriſti naturam errantes adſeverant; nec non & illos, qui

(p) *Propterea deteſtamur, &c.*] Eutychianos ſimul & Neſtorianos, adverſus popularem ſexti ſæculi errorem, quo, ut tradit Facundus, credebatur, nullam eſſe mediam inter utrumque errorem viam, quam catholica fides inſiſteret.

* COD. ROM. legit: *humanatum.*
** COD. ROM. loco *ſubſtantiam* habet *ſubſiſtentiam.*

qui in duas perſonas, vel duos filios, unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum dividentes blaſphemant.

Nos igitur in omnibus ſequentes ſanctarum quinque Synodorum inſtituta, nec non & probabilium catholicæ Eccleſiæ Patrum atque Doctorum venerabiles traditiones, confitemur, atque prædicamus unitas duarum Chriſti naturarum proprietates, ita nihilominus, ut duas naturales voluntates atque operationes unius ejusdemque Domini noſtri Jeſu Chriſti fateamur.

Ad hæc quoque profitemur etiam cuncta decreta Pontificum, Apoſtolicæ ſedis prædeceſſorum meorum, præſertim quæ a ſanctæ memoriæ Martino, (q) univerſali Papa, ad confirmationem prædictarum quinque Synodorum, definita ſunt atque decreta, in omnibus cuſtodire, maxime quæ adverſus novas promulgata ſunt quæſtiones, quibus zizaniorum ſcandala huc atque illuc diſſeminata ſunt.

Quorum ſanctorum Patrum & Apoſtolicæ ſedis Pontificum autoritate muniti ac freti; quæ vel ſynodice ſuſceperunt, vel prædicaverunt, ſine aliqua diminutione ſuſcipimus & prædicamus. Simili modo & quæcumque damnaverunt cum ſuis autoribus & ſectatoribus, ſub anathemate damnamus.

Profitemur etiam nos, ſecundum illa, quæ a prædeceſſoribus meis ſtatuta ſunt, nunquam aliquid novi contra catholi-

(q) *Martino*] Martyrio coronatus exceſſit e vivis anno 655. Habuerat ante ſexennium Romæ Synodum Lateranenſem 105. Epiſcoporum, adverſus Monothelitas, ediderat que profeſſionem fidei, quam Sexta Synodus recepit, atque ſecuta eſt act. 18. Sed ita nihilominus, ut damnatis aliis Patriarchis propter hæreſim, annumeraverit Honorium, quod Martinus non fecerat.

tholicam atque orthodoxam fidem ſuſcepturos, nec talia temerarie præſumentibus, ſi opportunum fuerit etiam mori, Dei gratia nos corroborante, quoquo modo conſenſum præbituros. (r)

Ad hæc vero ſuſcipio, & amplector, & veneror definitionem, quam Deo auſpice, fecit ſancta, & univerſalis, ac magna Sexta Synodus, quæ nuper in regia Conſtantinopoli urbe, in qua & Apoſtolicæ ſedis Legatos præſidere manifeſtum eſt; quæ & per decretum chriſtianiſſimi, ac piiſſimi, a Deoque coronati *Conſtantini* * Principis congregata eſt, & quæ ſuſcepit, ſuſcipio, & quæ vel quos abjecit, abjicio, ſimiliter & quos anathematizavit atque damnavit, anathematizo & damno.

Et hanc denique, dilectiſſimi, orthodoxæ, atque Apoſtolicæ fidei normam in omnibus tenentes, atque ſpiritalium Patrum, lucidiſſimis veluti ſæculi luminaribus, ſacris inhærentes doctrinis, oportet noſtræ humilitatis religioſa devotione, quæ eorum magiſterio, illuſtrante ſuperna gratia, corde concepimus, ore etiam libere confiteri, ut in die adventus Domini, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, a dextris conſiſtentes, illam deſiderabilem de Evangelio mereamur vocem

Matth. 25. v. 34. audire dicentem: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis præparatum eſt ab origine mundi.*

His

(r) *Quoquo modo conſenſum præbituros*] Id eſt, neque expreſſum, aſſentiendo erroribus; neque tacitum, connivendo: nam utrumque ſincera fides & officium Doctoris, prudentiaque, Honorii exemplo edocta, vetat. Ad Honorium porro hic reſpicitur, unde ſtatim fit mentio Sextæ Synodi.

* COD. ROM. addit: *Magni:* quod ad formulam vulgarem neceſſarium.

His igitur prælibatis, oportet nos, dilectiſſimi, ad hoc ſacratiſſimum & venerabile beati Apoſtolorum Principis corpus, fixis genibus, Dominum Jeſum Chriſtum impenſius exorare, ut fideliſſimum ac chriſtianiſſimum Romanum a Deo conſtitutum Principem, cum vita & victoria, religionis cultu pollentem, (s) longævæ ætatis curriculis in ſuo ſancto timore conſervare & cuſtodire, longe lateque regnantem pacifice, dignetur, una cum fideliſſimis atque fortiſſimis Romanæ reipublicæ Italiæ exercitibus, rebelles inimicos Imperii, *præviantibus* * beatiſſimis Apoſtolorum Principibus, ſubjugare ac proſternere, non mucrone ferri, ſed prudentiæ conſiliis, & absque diſpendio florentiſſimi exercitus, ſua virtute dignetur: de eorum feritate tam in regiam urbem, (u) quam circumquaque adverſantium, laudabiles decurrant triumphi, ut omnis ſexus & dignitas de ejusmodi victoriis exultantes, uno ore Deo noſtro & Domino Jeſu Chriſto dignas inviteutur laudes & gratias perſolvere, cum quo eſt Deo Patri, Spirituique Sancto gloria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

(s) *Religionis cultu pollentem*] Fuit ea laus propria Conſtantini Pogonati, patre Conſtante Typi autore, & proavo Heraclio Ectheſeos approbatore, religioſioris.

(t) *Longæva ætatis, &c.*] Non reſpondit eventus Pontificiis votis: nam tres tantum annos ſupervixit: Pogonatus quippe defunctus eſt vita anno 685. menſe Septembri, cum Leo Pontifex anno ſuperiore ad ſuperos tranſiiſſet.

(u) *In regiam urbem, &c.*] Vide Zonaram in Conſtantino, ubi narrat, Bulgaros urbi regiæ & exercitui Conſtantini imminentes non alia ratione, quam tributi penſione, compreſſos: quod hic dicitur, *non mucrone ferri, ſed prudentia conſilio, absque diſpendio florentiſſimi exercitus.*

* COD. ROM. addit: *ac comitantibus.*

CAPUT III.

De ordinatione Epiſcopi Suburbicarii a Summo Pontifice.

ARGUMENTUM.

I. Ubi e vita exceſſerat Epiſcopus aliquis eorum, qui Sedis Apoſtolicæ ordinationi ſuberant, de obitu ſtatim monebatur Pontifex, ſive Cleri & Plebis Eccleſiæ viduæ literis, ſive a defenſoribus patrimonii illic poſiti.

II. Monitus Pontifex ſcribebat Clericis & Plebi Eccleſiæ viduæ de electione Epiſcopi.

III. Scribebat & vicino Epiſcopo, cui commendaret Eccleſiæ curam, donec paſtorem haberet.

IV. Fiebat electio, concurrentibus Cleri, Ordiniſque, & Plebis votis, decretumque omnium ſubſcriptione firmabatur.

V. Electionis decretum deferebatur ad Pontificem, cum precibus, ut electionem probaret, ordinaretque Epiſcopum, quem ſibi delegerant.

VI. Reſpondebat Pontifex, Epiſcopumque, quem probaſſet, evocabat Romam ad conſecrationem.

VII. Electo, cum ſe conferret ad Sedem Apoſtolicam, Archidiaconus Eccleſiæ viduæ, aliique Honorati comitabantur, ſecumque deferebant alias Cleri Plebiſque literas, quibus inſtantius ordinatio urgebatur.

VIII. Peragebatur ſolemni ritu ordinatio Romæ, prævio examine de fide & moribus, monitaque inter ordinandum Epiſcopo dabantur, quibus ad regendam ſuam Eccleſiam juvaretur.

IX. In ordinatione Epiſcopus profeſſionem fidei ad corpus ſancti Petri emittebat.

X. Dabat etiam cautionem, qua diſciplinam Eccleſiaſticam obſervaturum ſe pollicebatur.

XI. Ad-

XI. Addebat & indiculum de obedientia erga Summum Pontificem, & fidelitate erga Principem ſervanda.

XII. Poſt ordinationem accipiebat a Pontifice ad Clericos & Plebem civitatis ſuæ literas, quibus monebantur, quid Epiſcopus, & in mandatis accepiſſet, & ſpopondiſſet; qua etiam deberet obſervantia a ſuis ſubditis coli.

XIII. Accipiebat quoque, cum dimitteretur, ab Archidiacono Romanæ Eccleſiæ formatam, ut conſtaret, a quo facta eſſet ordinatio, qua die, quo menſe, qua indictione, quo imperante, &c.

XIV. Si Epiſcopus Eccleſiam, ad quam erat ordinatus, propter feritatem barbarorum amiſiſſet, nec recipiendæ ſpes foret, a Summo Pontifice per literas præficiebatur viduæ alteri, quod incardinari dicebatur.

XV. Quod ſi contra è re foret, nullum viduæ alicui Eccleſiæ præficere, vicinus Epiſcopus literas a Summo Pontifice recipiebat, quibus adunabantur Eccleſiæ, unuſque ambabus præficiebatur.

XVI. In Eccleſia ſua ſedentem Epiſcopum invitare ſolebat literis Summus Pontifex ad natalem ſuum Romæ ſolemnius celebrandum.

XVII. Qui invitatus fuerat, ſi prohibente infirmitate, alioque gravis momenti negotio, venire non poſſet, literiſque ſe excuſaret, reſcribebat Pontifex excuſatoriam, id eſt, epiſtolam, qua excuſationem probaret.

XVIII. Statis debebant temporibus ſiſtere ſe Pontifici Epiſcopi, qui ſedis Apoſtolicæ ordinationi ſubjacebant. Si quando id officii omitterent, accipiebant a Pontifice exhortatoriam, qua morantes monerentur, atque etiam minis terrerentur.

XIX. Quod ſi adverſi aliquid paterentur, conſolatorias Pontifex literas dabat: quæ fuit illorum temporum humanitas atque benignitas.

Fuerunt igitur circa ordinationem ſuburbicarii Epiſcopi, ordinatique inſtructionem, novemdecim formulæ: undecim pertinebant ad ſcribentem Pontificem; tres ad Epiſcopum; reliquæ

 ad

ad alios. Ex Pontificiis, neque exhortatoria Cleri ad electionem; neque commendatoria Eccleſiæ viduæ in Diurno reperitur; ſed ubique paſſim utraque inter Epiſtolas Gregorii, Magni obvia eſt.

Non reperitur etiam forma decreti poſt electionem: verum illa in Ordine Romano legitur. Quæ deſunt, poſt Notas, appendicis inſtar, apponentur, ut temporum, de quibus agimus, manifeſtior ſit uſus.

TITULUS I.

Decretum de electo Epiſcopo, quod leget Notarius Regionarius. (x)

SUPERSCRIPTIO. Domino ſancto, merito Apoſtolico, & divina benedictione decorato, Ill. Papæ Patrum, (y) ſummæ ſedis Præſuli, famuli veſtri Clerus & Plebs Eccleſiæ Ill.

Ad laudem Apoſtolatus veſtri nihilominus credimus pertinere, ſi Eccleſia, quæ Pontificis officio deſtituta videtur, veſtris fuerit, Deo favente, decorata temporibus: proinde, ſancte meritis Apoſtolice, quæſumus Apoſtolatum veſtrum, (z) uti

(x) *Notarius Regionarius*] Sui erant ſingulis Romæ Regionibus addicti Notarii, qui per vices ſummo Pontifici obſequium præſtabant. Illi de ſuburbicariarum regionum, ſibi attributarum, rebus referebant.

(y) *Papæ Patrum*] Jam inde ab ætate Conſtantini Magni uſurpata eſt hæc appellatio, ſed non ita frequenter: fuit vero frequentior ſolemniorque poſterioribus temporibus.

(z) *Apoſtolatum veſtrum*] Etſi appellatio hæc pertinere videtur ad ſummæ & Apoſtolicæ ſedis Præſulem, unde & Romanus Pontifex ſæpius reperitur dictus *Apoſtolicus*; attributa eſt tamen aliquando inferioribus Epiſcopis. Attributionis exemplum ubique paſſim occurrit.

uti famulum veſtrum, Ill. virum venerabilem, Diaconum Eccleſiæ noſtræ, cujus vitam & honeſtos mores apud nos habemus bene & optime comprobatos, hunc nobis Apoſtolatus veſter, divina gratia præveniente, Epiſcopum conſecrare dignetur: quatenus Eccleſia Dei & veſtra, dum veſtris fuerit decorata temporibus, Deo & Apoſtolatui veſtro inſufficientes gratias referat.

Et subscriptio ipsorum. Ill. huic decreto a nobis facto in Ill. viro venerabili, Diacono & Electo noſtro, conſenſi, & ſubſcripſi, &c.

SUPPLEMENTUM EX CODICE ROMANO.

Decretale, quod legit Diaconus, quando Epiſcopus diſcutitur.

Deſtitutis eccleſiis proprii Rectoris officio ſic almitas veſtra ſubvenire conſuevit, in qua & Sacerdotii principatus exiſtit. Ideoque provoluti quæſumus Apoſtolatum veſtrum, Domine beatiſſime Papa, ut nobis paſtorem quærentibus Ill. talem Epiſcopum conſecrare dignemini, cujus merita in eodem poſtulando omnium noſtrorum præſtatur aſſenſus. Optamus, te per multos annos bene valere, Domine beatiſſime Papa.

Item aliud, quod legit Diaconus.

Electio, in qua nemo diſſentit, deſideratorem pergratulatur affectu. Jam diu igitur epiſcopali officio deſtituti in Ill. tali omnium noſtrorum vota contulimus, ut annuentibus vobis in ejus locum, qui defunctus eſt, ſubrogetur. Proinde precamur Apoſtolatum veſtrum, Domine beatiſſime Papa, ut Ill. pro veſtra benignitate annuere dignemini, quod religionis ſtudio cognoſcitur poſtulari.

Item aliud ejusdem.

Deſideria venerandorum canonum traditione, non diſcrepant beatitudinis ſibi poſcentibus judicio ſubveniri. Igitur cum eccleſia noſtra diu proprio ſit deſtituta rectore, ad Pontificii veſtri jura confugimus, de cujus ſede omnis honor proficiſcitur ſacerdotum. Et ideo precamur Apoſtolatum veſtrum, Domine ſancte & venerabilis Papa, ut Ill. tal. presbyterum noſtrum,

noſtrum, quem conſenſus univerſitatis elegit, Epiſcopum conſecrare dignetur. Optamus te per multos annos bene valere, Domine beatiſſime Papa, ut Ill. talem presbyterum noſtrum, quem conſenſus univerſitatis elegit, Epiſcopum conſecrare dignetur. Optamus te per multos annos bene valere, Domine beatiſſime Papa. Et ſubſcripſerunt.

Diverſa Privilegia apoſtolicæ auctoritatis.

Ill. Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Ill. religioſo Abbati venerabilis monaſterii Sanctæ Dei genitricis ſemper virginis Mariæ, Dominæ noſtræ, & per eum idem venerabili monaſterio in perpetuum. Cum ſummæ apoſtolicæ dignitatis apex in hoc divini proſpectus nitore dinoſcitur præfulgere, cum in exercendis Dei laudibus ſui impenſius ſtudebit laboris exhiberi certamen. Ob hoc debitæ nos ejuſdem apoſtolicæ paſtoralis compulit ſolicitudinis cura, quæque ad ſtabilitatem piorum pertinere dinoſcitur locorum ubertim promulgari, & apoſtolicæ inſtitutionis cenſura confirmari. Igitur quia poſtulaſti a nobis, quatenus monaſterium Sanctæ Dei genitricis, ſemper virginis, Mariæ Dominæ noſtræ, ſitum in loco, qui vocatur Plumbariolo, *territorio Aquinenſe, privilegiis ſedis Apoſtolicæ infulis decoretur, ut ſub juriſdictione ſanctæ noſtræ, cui Deo auctore deſervimus, Eccleſiæ conſtitutum, nullius alterius Eccleſiæ juriſdictionibus ſubmittatur: pro qua re piis deſideriis faventes, hac noſtra autoritate id quod expoſcitur, effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Eccleſiæ ſacerdotem in præfato monaſterio ditionem quamlibet habere hac auctoritate, præter Sedem Apoſtolicam prohibemus: ita ut niſi ab Abbate monaſterii fuerit invitatus, nec Miſſarum ſolemnitatem ibidem quiſpiam præſumat celebrare, omnimodo ſtatuentes apoſtolica cenſura, ſub divini judicii obteſtatione, & validis atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut neque ullus unquam præſumat quiſpiam alius, cujuscumque ſit dignitatis præditus poteſtate, vel etiam quæcunque magna parvaque perſona, in eodem monaſterio, vel ejus cauſis incumbere, aut de rebus & poſſeſſionibus, vel quicquid de his, quæ ei pertinere videntur, quoquo modo auferre aut alienare: ſed nec quamlibet malitiam aut jacturæ moleſtiam, ibidem ſive pacis, ſive barbariæ temporis, quoquo modo inferre; dum profecto eum perenniter tam (ut dictum eſt) pacis, quam barbarico tempore firma ſtabilitate decernimus ſub juriſdictione ſanctæ noſtræ eccleſiæ permanendum. Promulgantes nempe & hoc auctoritate beati Petri Apoſtolorum principis, coram Deo & terribili ejus futuro examine, per hujus noſtri apoſtolici deſiderii atque conſtituti ſancimus atque*

atque decernimus, ut loca, quæ ab Abbate cujuslibet cœnobii in eodem præfato Sanctæ Dei genitricis monaſterio Plumbariolo *commutata, vel etiam conceſſa ſunt, nec non & alias locorum poſſeſſiones, quæ a Regibus vel Ducibus, vel gaſtaldiis, & a cæteris Chriſtianis in eodem ſancto loco largita atque oblata ſunt, aut in poſtmodum illic conceſſa fuerint, firma ſtabilitate jure ipſius prælati monaſterii exiſtenda, atque in perpetuo permanenda ſtatuimus. Nec licentia ſit, ut dictum eſt, ex ejus vel omnibus eidem monaſterio pertinentibus cuiquam magnæ parvæque perſonæ auferre: ut profecto juxta id, quod ſubjectus idem venerabilis locus apoſtolici conſtituti atque privilegii conſiſtit, inconcuſſe dotandus permaneat. Si quis autem (quod non optamus) neſtario auſu præſumpſerit, hæc, quæ a nobis ad laudem Dei pro ſtabilitate jam dicti monaſterii ſtatuta ſunt, refragare, aut in quoquam tranſgredi, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo & ejus atrociſſimis pompis, atque Juda, traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti, æterni incendii ſupplicio concremandum deputatum. At vero, qui pio intuitu obſervator, & in omnibus exſtiterit cuſtodiens hujus noſtri apoſtolici conſtituti ad cultum Dei reſpicientibus, benedictionis gratiam a miſericordiſſimo Domino Deo multipliciter conſequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur.*

TITULUS II.

Vocatoria. (a)

DILECTISSIMIS fratribus & filiis (b) Presbyteris, Diaconibus, Clericis, Honoratis, Poſſeſſoribus, & cunctæ Plebi Ill.

(a) *Vocatoria*] Epiſtola 183. Joannis VIII. vocatoria eſt: non tamen inſcribitur Epiſcopis & Presbyteris, &c. ſed ipſimet Electo, qui de ſua electione literis Pontificem monuerat. Fuit is Theodoſius, Nonenſis Eccleſiæ. Illyrico ſub Jaderenſi Metropolita, Diaconus, & in Epiſcopum ejusdem Eccleſiæ electus. Hæc porro epiſtola, ut multa continet Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ utilia, ita lectu digniſſima eſt.

(b) *Fratribus & filiis*] Videtur hæc vocatoria pertinere ad Ele-

Ill. Eccleſiæ, ſimulque vocato Ill. Epiſcopo, auxiliante Domino, futuro Ill. ſanctæ Eccleſiæ.

Dilectionem veſtram (c) ſalubriter alloquimur, quia prædictum Ill. a vobis electum Epiſcopum, virum venerabilem, ordinare compellimur. Gaudemus, & oramus Chriſtum Jeſum, ut, qui vobis devotionem electionis dedit, nobis quoque perficiendi tribuat poteſtatem. Jam fatum virum religioſa violentia tenete, & ad ſanctam noſtram Sedem perducere feſtinate, qui forte dignior eo erit, ſi ſe occultare voluerit. (d)

TITU-

ctum Metropolitanæ Eccleſiæ: ſic enim vox, *fratribus*, ad Epiſcopos Provinciæ; vox *filiis*, ad Presbyteros &c. ſpectabit.

(c) *Dilectionem veſtram*]. Similis epiſtola legitur in Ordine Romano, niſi quod habet clauſulam hanc omnino ſuperfluam: *Ob quam rem hanc direximus admonitionem, quia dudum placuit ſanctæ Synodo, Epiſcopum ſine vocatoria ſuſcipi non debere, ne obſcuritas dubiæ ordinationis incurrat.*

(d) *Occultare voluerit*] Id fecit Gregorius Magnus. Conſule librum Vitæ S. Gregorii, ubi Joannes Diaconus cap. 39. & ſequentibus, exponit pias artes, quibus vir ſanctus declinare tentavit ſupremam orbis Eccleſiaſticam dignitatem.

TITULUS III.

Decretale, (e) *quod legit Diaconus*, (f) *deſignato Epiſcopo*.

DOMINO beatiſſimo Papæ, ſanctæ Eccleſiæ Ill. Presbyteri, Diaconi, & Plebs conſiſtens.

ITEM ALIA MANUS. Cum adjacentibus Parochiis, (g) in Domino, ſalutem.

(e) *Decretale*] Videri poteſt decretale hoc a decreto non differre, niſi verborum tenus: quo uno diſcrimine, quæ ſequuntur, formulæ duæ a decretali diverſæ ſunt. Verum in contrarium facit. Primum, quod diverſa ſit utriusque inſcriptio, nec perinde ac conſequentibus formulis inſcriptum ſit *aliud*. Deinde, quod non a Notario, ut præcedens decretum, ſed a Diacono legi deberet. Poſtea, quod decretum, poſt electum Epiſcopum; decretale, poſt deſignatum mitteretur. Denique quod decretum afferret miſſus aliquis ad Pontificem miniſter Eccleſiæ viduæ, ut approbaretur electio; decretale, Diaconus, Epiſcopi futuri comes, deferret, ut ordinatio fieret. Nam inter electum & deſignatum id intercedit diſcriminis, quod electus ſit, in quem Clerus & Plebs conſenſerunt; deſignatus, qui a Summo Pontifice approbatus, & ad ordinationem venire juſſus.

Alcuinus porro libro de officiis divinis meminit decretalis hujusce, cum ait: *Cum Epiſcopus civitatis fuerit defunctus, eligitur alius a Clero ſeu Populo, fitque decretum ab illis, & veniunt ad Apoſtolicum, cum ſuo Electo, deferentes ſecum ſuggeſtionem, ſeu rogatorias literas, ut eis conſecret Epiſcopum.*

(f) *Diaconus*] Non utique Romanæ Eccleſiæ, ſed viduæ, cui præficiendus Epiſcopus: neque enim ſermo eſt de lectione decreti, quæ fieret in ipſa ordinatione; alioquin non Diaconus tantum diceretur qui legit, ſed Archidiaconus: hujus enim erat de electione referre.

(g) *Cum adjacentibus parochiis*] Eccleſiis adjacentium civitatum: Eccleſias enim ſignificat vox Parochiarum, ut ex pluribus Diurni verbis

Pontificii veſtri eſt, deſtitutis Eccleſiis ſubvenire, ne Plebs Deo devota diu ſine proprio videatur eſſe rectore: & ideo, Domine beatiſſime Papa, precamur Apoſtolatum veſtrum, uti nobis Ill. virum venerabilem, Diaconum (h) noſtrum, vita & moribus comprobatum, & ab Univerſitate electum, (i) dignemini conſecrare Paſtorem.

ITEM ALIA MANU.

Optamus te per multos annos bene valere, Domine beatiſſime Papa.

Ill. Archipresbyter ſubſcripſit, Ill. Presbyter ſubſcripſit, Ill. Archidiaconus ſubſcripſit, Ill. Diaconus ſubſcripſit, Ill. Subdiaconus ſubſcripſit, Ill. Primicerius ſubſcripſit, Ill. Acolytus ſubſcripſit, Ill. Lector ſubſcripſit, Cantor, & cæteri ſubſcripſerunt.

TITU-

verbis conſtat. Deinde alia manus oſtendit Parochias diverſas eſſe a vidua Eccleſia, cujus in Clero cenſebantur omnes, qui in pagenſibus Eccleſiis miniſtrabant.

(h) *Diaconum*] Mos erat, ut ex veterum monimentis eo pertinentibus manifeſtum eſt, Diaconos potius, quam Presbyteros eligere, idque multis de cauſis. Primo, quia Diaconi Eccleſiæ res, non temporales tantum, ſed etiam ſpirituales penitus noverant: eſt enim Diaconus Epiſcopi oculus & adjutor. Deinde, notiores erant omnibus civitatis Ordinibus, propter rerum adminiſtrationem. Poſtea, cum haberent omnia in poteſtate, devinciebant ſibi facile Clericorum animos. Denique, ut plurimum dignitatis plus afferebant quam alii, ſiquidem Archidiaconi, qui nomine Diaconorum hic intelligendi, ſi bene ſe geſſiſſent, oſtenderant, omnibus ſe animi dotibus ad aliorum regimen utilibus excellere.

(i) *Ab Univerſitate electum*] Clero, Ordine, & Plebe, id eſt, ſacris Miniſtris, Optimatibus ſive Honoratis & Plebeiis.

TITULUS IV.

Item aliud.

Desiderio facile credimus annuendum, quando id petitur, quod Eccleſiaſticæ convenit diſciplinæ. Eccleſia igitur noſtra proprio eſt deſtituta paſtore, cui a veſtro Apoſtolatu eſt conſulendum: & ideo, Domine beatiſſime Papa, precamur Apoſtolatum veſtrum, ut Ill. virum, venerabilem Diaconum noſtrum, vita moribusque perſpicuum, & judicio Univerſitatis electum, Antiſtitem nobis conſecrare dignemini.

TITULUS V.

Item aliud.

Paschalis feſtivitas (k) nos hortatur, ad veſtri Pontificii remedia convolare, in cujus poteſtate omnium Eccleſiarum conſiſtit ornatus: & ideo quæſumus Apoſtolatum veſtrum, Domine beatiſſime Papa, ut Ill. virum venerabilem, Diaconum noſtrum, vita & moribus comprobatum, & ab Univerſitate electum, nobis dignemini conſecrare paſtorem, cum quo venerandum Paſcha, annuente vobis Domino, celebrare poſſimus.

(k) *Paſchalis feſtivitas*] Imminente Paſchate, Eccleſia vidua egebat Epiſcopo, non tantum propter celebritatem feſti maximi, ſed etiam propter hæc tria, confectionem chriſmatis, ſolemnem baptiſmum, & reconciliationem pœnitentium. *Vide Sacramentarium S. Gregorii.*

TITULUS VI.

Promiſſio fidei (l) *Epiſcopi.* (m)

IN nomine Domini, & cætera. Promitto ego, Ill. Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ, Ill. Domino meo, ſanctiſſimo & ter beatiſ-

(l) *Promiſſio fidei*] Exhibet quidem Ordo Romanus, quo ritu conſecraretur illis temporibus a Pontifice Epiſcopus: non exhibet tamen profeſſionem fidei & indiculum, quæ hic habentur; ſed loco profeſſionis interrogationem, quæ ab ordinante Pontifice fieret. Unde colligere eſt, Ordinem Romanum, cujusmodi legitur in libris editis, eſſe Diurno poſteriorem: profeſſioni enim interrogatio ſucceſſit.

Habet vero forma iſta fidei, prout hic legitur, tres notas, quibus ætatem ſuam oſtendat. Fit enim in ea mentio Martini I. qui anno 655. obiit: Sextæ Synodi, quæ abſoluta anno 681. & Conſtantini Pogonati adhuc viventis, qui obiit anno 685. Edita eſt igitur ante annum 685. atque ita pertinet ad tempus, quod interceſſit inter annum 682. & 685. imo videtur ad Leonem II. autorem referenda, qui ſedere cœpit anno 683.

Dixi, *prout hic legitur*, id eſt, cum additamentis, quæ corpori, ut ita loquar, acceſſerunt. In ea enim diſtinguendas puto partes duas: alteram, velut corpus: alteram, quæ additamenta. Illud ad vicina Calchedonenſi Concilio tempora fortaſſe revocari poteſt: iſtorum facta eſt variis temporibus ſuccedentibus varia acceſſio. Sic primæ Pontificiæ profeſſioni ſuccedentibus temporibus addita eſt mentio Septimi & Octavi Concilii.

Aſſerui vero editam, vivente Pogonato, propterea quod Imperatoris nomine appellato, non fuerit additum *piæ memoriæ*, & ipſe tamen piiſſimus, chriſtianiſſimus, & a Deo coronatus dictus ſit: quæ epitheta, ſaltem poſtremum, non niſi viventibus, homines illius ætatis tribuebant.

(m) *Epiſcopi*] Non quarumcumque regionum; ſed illarum, quarum Epiſcopi ſedis Apoſtolicæ ordinationi ſubeſſent: ſuberant vero, qui nulli alteri Metropolitæ ſubjacebant, cujusmodi Latini, Brutii, Lucani, Apuli, Siculi, &c.

beatiſſimo, Ill. Summo Pontifici, ſeu univerſali Papæ, (n) & per vos ſanctæ veſtræ catholicæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi, devota mentis integritate, & pura conſcientia, firmoque, ut oportet, propoſito, ea quæ pro firmamento ſive rectitudine catholicæ fidei & orthodoxæ religionis conveniunt, me profiteri.

Et ideo promitto atque ſpondeo vobis, ſanctiſſimo & beatiſſio domino meo Papæ, & per vos beato Petro Principi Apoſtolorum, ejusque ſanctæ Eccleſiæ, illam fidem tenere, prædicare, atque defendere, quam ab Apoſtolis traditam habemus, & quam per ſucceſſores eorum cuſtoditam veneranda

(n) *Seu univerſali Papæ*] Idem eſt, ſi poteſtas vocum attendatur, Summus Pontifex, quod univerſalis Papa. Ab hac tamen univerſalis Papæ appellatione abhorruit Sanctus Gregorius, ut conſtat ex epiſt. 30. lib. 7. ad Eulogium Alexandrinum. Non perinde abhorruerant conſequentes Pontifices, poſtquam Bonifacius III. conſecutus eſt a Phoca, ut prohiberetur Epiſcopus Conſtantinopolitanus aſſumere ſibi appellationem, ſoli Romano Pontifici debitam, & ab ipſo Concilio Calchedonenſi delatam.

Quod dixi de conſequentibus Summis Pontificibus, notum eſt ex inſcriptionibus plurium literarum, ad ipſos datarum, in quibus cum univerſales Papæ appellarentur, non illud negotium faceſſiverunt ſcribentibus, quod Gregorius Eulogio.

Gregorius porro vocem univerſalis Papæ interpretatus eſt, pro ſuo admirabilis humilitatis affectu, paulo aliter, quam qui uterentur: neque enim illi volebant, quod opinatus videtur Gregorius, unicum eſſe totius Eccleſiæ Patriarcham, unumque Epiſcopum, quem univerſalem dicerent: ſed quod Romanus Papa poteſtatem haberet, nullis, ut alii Patriarchæ, finibus definitam. Conſule laudatam epiſtolam, aliasque plurimas, eodem argumento ſcriptas ad Mauritium Imperatorem, Conſtantinam Auguſtam, Alexandrinum, Antiochenumque Epiſcopos, atque etiam ad Joannem Conſtantinopolitanum, hoc ſibi nomen ſuperbe arrogantem, & Sabinianum Apocriſiarium, &c.

randa Nicæna Synodus (o) trecentorum decem & octo Patrum, Sancto Spiritu ſibi revelante, ſuſcipiens redegit in Symbolum.

Deinde tres aliæ ſanctæ Synodi, id eſt, Conſtantinopolitana centum quinquaginta Patrum, ſub piæ memoriæ Theodoſio ſeniore principe facta, & Epheſina prima, cui beatæ memoriæ Papa Cæleſtinus, Apoſtolicæ ſedis Pontifex & beatus Cyrillus, Alexandrinus Epiſcopus, præſederunt. Sed & Calchedonenſis ſexcentorum triginta Patrum, quæ ſub piæ memoriæ Martiano Imperatore convenit, cuique ſanctæ recordationis Papa Leo per Legatos ſuos, Vicariosque, præſedit, prout diverſarum hæreſium damnanda exigebat diverſitas, eamdem fidem, uno eodemque ſenſu atque Spiritu, declarantes latius ediderunt.

Eos autem, quicumque ab eiſdem ſanctis Patribus in memoratis quatuor Synodis, vel Quinta ſub piæ memoriæ Juſtiniano confecta, diverſis vicibus damnati leguntur, ego meaque Eccleſia eorumdem venerandam Patrum autoritatem ſequentes, inſolubili damnatione percellimus; necnon & omnes, quos beatæ recordationis Romæ urbis Pontifices propter diverſos errores vel hæreſes damnaverunt, damnamus.

Illud etiam, ſpiritali ſuffragante gratia, profitemur, nos ſanctæ & beatæ recordationis Leonis Apoſtolicæ ſedis Antiſtitis epiſtolam ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum datam, quæ & Tomus appellatur; ſed & omnes ejus epiſtolas de fidei firmitate perſcriptas, per omnia & in omnibus inviolabiliter cuſtodire, & ſemper libere, ſicut prædicatis, prædicare.

In

(o) *Veneranda Nicæna Synodus*]. Ab his verbis ad iſta usque, *Tomus appellatur*, maxima pars fidei in epiſtola Pelagii II. ad Eliam & Epiſcopos Iſtriæ, paucis admodum immutatis, continetur.

In quibus inter cætera evidentiſſime continetur, unum eumdemque (p) Deum, Dominum & Salvatorem noſtrum, Jeſum Chriſtum, Filium Dei, eumdemque hominis Filium, ex duabus & in duabus naturis, hoc eſt, divina & humana, in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrentibus, & in ſua proprietate differentiaque manentibus, eſſe prædicandum: non in duas perſonas atque in duos filios partitum; ſed, ut dictum eſt, unum eumdemque Filium Dei, Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quem credimus in utero virginis ſanctæ Mariæ, genitricis ſuæ, de eadem ſancta ſemper virgine Maria ſumpſiſſe veram carnem animatam anima rationali, ac ſibi univiſſe: & ita ex utero virginis Dei genitricis Mariæ natum eumdem Deum verum carne, eumdem paſſum carne, crucifixum & mortuum carne, reſurrexiſſe eum ſecundum carnem, aſcendiſſe eumdem in eadem in cælos, unde numquam divinitate diſceſſit: & ita in eadem carne venturum judicare vivos & mortuos: & ſic ſemper in eadem carne manſurum.

Et quamvis ad orthodoxæ fidei ſinceritatem abunde ſuperius dicta ſufficiant: tamen quia hoc ſpecialiter (q) a nobis profitendum, ſicut condecet, voluiſtis; deteſtamur etiam eos

(p) *Unum eumdemque, &c.*] Hæc περιοχὴ ex definitione Concilii Calchedonenſis deſumpta eſt, & iiſdem pæne verbis legitur in definitione fidei, a Sexta Synodo compoſitæ.

(q) *Quia hoc ſpecialiter*] Inde ſtabilitur opinio, quam antea innui, profeſſionem factam eſſe ſtatim poſt Calchedonenſe Concilium adverſus Eutychis deliria: tunc enim temporis opus erat unicuique, ad orthodoxiam ſuam probandam, deteſtari Eutychis delirium de duabus ante adunationem naturis, & una poſt adunationem. Quod ſi hæc opinio de profeſſionis ætate probabilis eſt, dici debent cætera, quæ ſequuntur, ſaltem qua pertinent ad fidem, a Leone II. addita.

eos, & abominamur, atque damnamus, quicumque in Domino Deo, & Salvatore noſtro, Jeſu Chriſto, ante adunationem, duas naturas, & poſt adunationem, unam, delirando dicere, vel credere *præſumpſerunt.* *

Profitemur etiam cuncta decreta Pontificum Apoſtolicæ Sedis, id eſt, ſanctæ recordationis Severini, (r) Joannis, Theo-

(r) *Severini, &c.*] Cum ab Honorio, quo ſedente, ortæ ſunt novæ quæſtiones, & Ectheſis impia nomine Heraclii prodiit, usque ad Leonem II. ſub quo formulam hanc aut editam, aut ſaltem additamento auctam ponimus, Summi Pontifices novem Eccleſiæ præfuerint, Severinus, Joannes IV. Theodorus, Martinus I. Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, Domus & Agatho. Quæri merito poteſt, cur priores quatuor memorentur, ſileatur de aliis quinque? cur in primis mentio non fiat de Agathone, qui poſt coactam Romæ Synodum 125. Epiſcoporum, de fide præclaras duas epiſtolas ſcripſit? Verum conſilium promptum eſt; adverſus Ectheſim, qua operatio una Chriſti ſtatuebatur, Severinus decretum edidit, quo eam *condemnaret & anathematizaret.* Joannes, Exarcho Iſacio, nec quicquam exiliis Clericorum ſæviente, Concilium Romæ coegit, quo *Monothelitarum hæreſim proſcripſit.* Coegit pariter Theodorus adverſus eamdem Ectheſim, Typumque, Conſtantiis Epiſcoporum conventum, unde Synodicas duas Conſtantinopolim tranſmiſit. Martinus celebrem illam Lateranenſem Synodum collegit, ubi hæreſim Monothelitarum editis canonibus viginti damnavit. Atqui hi quatuor Pontifices tanto generoſius adverſus Monothelitas invecti ſunt, quanto ægrius ferebant factum Honorii, qui per imprudentem œconomiam atque connivehtiam, *Apoſtolicam Eccleſiam Apoſtolicæ traditionis doctrina non illuſtravit; ſed profana traditione immaculatam fidem maculari permiſit,* ut ait S. Leo II.

Jam vero Eugenius, cum perturbatis temporibus in locum S. Martini, Cherſonam deportati, inductus fuerit, nihil quæſtionis

* COD. ROM. poſt *præſumſerunt,* addit: *præſumunt atque præſumſerint.*

Theodori, atque Martini, cuſtodire, qui adverſus novas quæſtiones in urbe Regia exortas, & *pro propria doctrina* * cuncta zizaniorum ſcandala amputaſſe noſcuntur, profitentes juxta duarum naturarum *motum*, ** ita & duas naturales operationes: & quæcumque damnaverunt, ſub anathemate damnamus: quæque ſuſceperunt, ſuſcipimus, & tota fidei integritate veneramur.

Ad hæc vero ſuſcipio, & amplector, & veneror definitionem, quam, Deo auſpice, ſancta univerſalis ac magna Sexta Synodus, quæ in regia Conſtantinopolitana urbe convenit, & in qua Apoſtolicæ Sedis Domini Agathonis Legatos præſidere manifeſtum eſt, quæ & per decretum Chriſtianiſſimi ac piiſſimi, & a Deo coronati, (s) Conſtantini Magni Principis congregata eſt: & quæcumque ſuſceperunt, ſuſcipimus: & quos vel quæ abjecerunt, abjicimus: ſimiliter & quos anathematizaverunt, atque damnaverunt, anathematizamus ac damnamus.

ſtionis movere aut potuit, propter Exarchi tyrannidem; aut debuit, poſt tam accuratam fidei expoſitionem, in Concilio Lateranenſi traditam. Quæ ſecunda ratio facit etiam pro Vitaliano, Adeodato, & Dono, præſertim cum tranquillior videretur Eccleſiæ ſtatus, aut potius ſileret tempeſtas, qua recrudeſcente, Agatho Concilium centum & viginti quinque Epiſcoporum collegit, ex quo, poſt damnatos Monothelitarum errores, epiſtolas duas Conſtantinopolim miſit, quas Sexta Synodus *κατα πόδας* ſecuta eſt. Quare Sextam Synodum recipere aliud nihil eſt, quam Agathonis decretis inhærere.

(s) *Et a Deo coronati*] Nemo, ut opinor, legerit uſpiam, hoc epitheton alteri, quam viventi, adjunctum. Viventi autem tributi exempla paſſim occurrunt.

* COD. ROM. legit: *per proprias doctrinas.*

** COD. ROM. legit: *juxta duarum naturarum modum, ita & duas naturales voluntates, atque duas naturales operationes.*

Profitemur etiam, numquam nos aliquid novi, quod contra Catholicam fidem & orthodoxam Religionem eſſe claruerit, ſuſcepturos.

Præterea promitto, (t) nunquam me parochiam, aut jura alterius cujuſcumque Eccleſiæ pertinentia, ſub juriſdictione Epiſcopatus mei uſurpare.

Et ut noſtræ fidei veſtro Apoſtolatui, ſanctæque ejus Catholicæ Eccleſiæ, integritas ac puritas monſtraretur, præſentis promiſſionis noſtræ paginam per Ill. Notarium ſcribendam dictavimus, & ſacro ſcrinio (u) ſanctæ Apoſtolicæ Sedis beatitudinis veſtræ contradimus.

Et subscriptio Episcopi. Ill. indignus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Ill. huic promiſſioni ſponſionique orthodoxæ fidei fideliter a me factæ, omnia relegens, quæ ſuperius continentur, conſentienſque ſubſcripſi.

Et subscriptio sacerdotum (x) ejusdem Ecclesiæ. Ill. indignus Presbyter ſanctæ Eccleſiæ Ill. huic promiſſioni ſponſionique orthodoxæ fidei factæ ab Ill. ſanctiſſimo Epiſcopo meo, omnia, quæ ſuperius profeſſa ſunt, relegens, conſentienſque ſubſcripſi.

TITU-

(t) *Præterea promitto*] Huic loco afferre poteſt nonnullam lucem teſtimonium Gregorii II. ſcribentis ad Serenum Forojulienſem. *Dum ad cumulum tui honoris precibus eximii filii noſtri Regis flexi, & rectitudine fidei, quam te tuamque Eccleſiam amplecti cognovimus, provocati, pallium tibi direximus, interdicentes, & inter cætera prohibentes, ne unquam aliena jura invaderes, aut temeritatis auſu uſurpares juriſdictionem cujuſpiam, ſed his eſſes contentus, quæ uſque hactenus poſſediſti, nunc vero Gradenſis Patriarchæ niteris invadere jura, &c.* Inde enim conſtat, id imperatum fuiſſe Epiſcopis forenſibus, cum mitteretur pallium, quod ordinatione ſuburbicariis, ut ſuis ſe finibus continerent.

(u) *Sacro ſcrinio, &c.*] Lateranenſi, de quo diximus cap. II. tit. 2. ad finem.

(x) *Subſcriptio Sacerdotum*] Unus cunctorum, imo totius Eccleſiæ particularis, nomine ſubſcribit.

TITULUS VII.

Cautio (y) Epiſcopi.

In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Imperante Ill. &c.

Inter cætera ſalubris inſtituta doctrinæ, quibus me Ill. Epiſcopum vos Dominus Ill. beatiſſimus, atque Apoſtolicæ ſedis Papa, ad accipiendum regendumque Epiſcopatum Eccleſiæ Ill. perducere atque informare dignati eſtis: hoc me quoque admonuiſtis, ſacerdotium nullo præmio (z) concedi, exceptis officiis, (a) quibus ex antiqua conſuetudine dari ſolet:

(y) *Cautio*] Cautionis nomine intelligitur inſtrumentum, quo quis fidem ſuam ſcripto obligat ad implendum promiſſum, unde chirographum vocat Zacharias Papa can. 4. Synodi Romanæ, anno 743. habitæ. Ut autem iſthæc cautio facilius intelligatur, componenda eſt cum ſynodali, quod accipit Epiſcopus, cum ordinatur, & cum exhortatione ordinantis, cujuſmodi reperitur in Ordine Romano. Hæc porro, maximam partem, videtur ex epiſtola 9. Gelaſii confecta. Continet vero tredecim capita, quæ omnia fere Gregoriani temporis diſciplinam ſapiunt.

(z) *Nullo præmio, &c.*] De gratuita Epiſcopi ordinatione ſermo eſt, quam ut præſtaret, quid non molita Eccleſia? Fuerunt porro, qui commodi, paſtelli, præmiique nomen prætenderent ſimoniæ, ne pretii vox horrorem crearet: ſed Gregorius Magnus hanc larvam detraxit, dum vetuit, ne pro pallio quidem, etſi mos inoleverat, commodum reciperetur.

(a) *Exceptis officiis*] Totus his locus de præmio & officiis lucem accipit ex epiſtola 44. lib. 4. Gregorii Magni, ſi tamen epiſtola eſt, & non potius decretum in Concilio Romano, a Gregorio ann. 595. ſancitum. *Antiquam Patrum regulam ſequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum eſſe conſtituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam*

nova

ſolet: quia dignum eſt, ut quod gratis accepi, gratis debeam, Deo juvante, conferre.

Spondeo me de ordinatione (b) Clericorum, ab Oſtiario uſque ad Presbyterum, nullum præmium eſſe accepturum; ſed eos, quos Dei conſideratione ad officium Clericatus elegero, gratis me eſſe ordinaturum.

Idemque fateor, nec de baptizandis (c) conſignandiſque Catholicis, unquam me aliquod præmium in qualibet re vel

---

nova per ambitionem ſimulatio invenit, appellatione paſtelli. Quia enim ordinando Epiſcopo Pontifex manum imponit, evangelicam vero lectionem Miniſter legit, confirmationis autem ejus epiſtolam Notarius ſcribit: ſicut Pontificem non decet, manum, quam imponit, vendere, ita Miniſtrum vel Notarium non decet in ordinatione ejus, vel vocem vel chartam venundare. Pro ordinatione vero, vel pallio, ſeu chartis atque paſtello, eumdem, qui ordinandus vel ordinatus eſt, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus, ſi quis hinc aliquid commodi appellatione exigere, vel deferre forte præſumpſerit, in diſtricto Dei omnipotentis examine reatui ſubjacebit. Is autem, qui ordinatus fuerit, ſi non ex placito, neque exactus, neque expetitus, poſt acceptas chartas, & pallium, aliquid cuilibet ex clero, gratiæ tantummodo cauſa, dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non proceſſit.

(b) *Spondeo me de ordinatione, &c.*] Malum pæne cum Eccleſia natum, ſemper impugnatum a bonis, ſæpe varia rationum ſpecie occultatum ab aliis, utinam aliquando expugnandum.

(c) *Nec de baptizandis*] Primis ſeculis ſolebant, qui baptiſmum ſuſciperent, Presbyteris aliiſque Miniſtris pecuniam largiri: id vero, quod officii gratia primum tribuebatur, cum præ avaritia Miniſtrorum poſtea exigeretur quaſi jure debitum, Eccleſia ſalubri conſilio dari omnino vetuit. Unde Gregorius Nyſſenus nonnullos differentes baptiſmum, donec haberent, quod largirentur, increpat vehementer, oratione adverſus differentes baptiſma.

vel ſpecie, pro quacunque perſona poſtulaturum, nec accepturum, ſub divini obteſtatione judicii promitto.

Spondeo etiam Eccleſiaſtica prædia urbana vel ruſtica, univerſasque res immobiles, ſeſeque moventes, vel ornamenta Eccleſiæ, miniſteriaque ſacrata diligenter & fideliter ſervaturum: ſi qua pignora a quibuslibet obligata ſunt, aut indebite detinentur, meo anniſu, labore, & ſumptu proprio, ut temporis neceſſitas largietur, atque meo ſtudio revocanda, nec a me alienanda quolibet titulo eſſe, promitto.

Eccleſiaſtica vero negotia, quæ proponenda aut excipienda fuerint, me ſine reſpectu gratiæ, colludii, vel venalitatis aut fraudis, agendi contra detentatores, vel excipiendi contra pulſantes, efficaciter atque fideliter, conſiderata tamen in omnibus juſtitia, quæ univerſis utilitatibus præponenda eſt, Deo juvante, a me peragenda confirmo.

Nullum me eccleſiaſtici juris prædium urbanum vel ruſticum, cujuslibet meriti, aut idoneum, aut nimium, vel mancipia cujuslibet ſexus vel ætatis, Epiſcopatus mei promitto alienaturum eſſe temporibus, quatenus Eccleſia, in qua ordinatus ſum, nullum diſpendium patiatur.

Quartam Clericis vel fabricis portionem me annis ſingulis ſine aliqua imminutione ſpondeo præſtaturum, nec pro gratia ullam, cujuslibet meriti ſit, perſonam Eccleſiaſticis officiis aggregare.

Sarta tecta (d) vero per omnes Eccleſias meas, ſub omni diligentia vel ſollicitudine, me profiteor annis ſingulis, prout expenſas habuero, eſſe facturum, nec ulterius Epiſcopatus mei tempore, pro qualibet cauſa, miniſteria ſupradicta loco pignoris obliganda.

Præter-

(d) *Sarta tecta vero*] Portio illa bonorum, quæ fabricis addicta erat, per totam Parochiam penes Epiſcopos tunc fuit, nondum erectis in beneficium contributis Eccleſiis.

Præterea promitto, (e) me, ſine ſedis Apoſtolicæ (f) juſſione ad comitatum nullatenus proficiſci, nec per diverſas provincias aut civitates diſcurrere, quatenus Eccleſiam meam videar ſine gravi occaſione deſerere.

Promitto, me etiam ad natalem Apoſtolorum, (g) ſi nulla neceſſitas impedierit, annis ſingulis occurſurum.

Quod

(e) *Præterea promitto*] Promiſſionis duæ ſunt partes, altera de non adeundo comitatu ſine juſſione Sedis Apoſtolicæ; altera de non diſcurrendo per alias civitates aut provincias, Eccleſia ſua deſerta. Utraque ad reſidentiam conſervandam facit; ſed prior inſuper ad pacem & caritatem fovendam, frænandamque ambitionem, & ſanctitatem morum retinendam; nam ad comitatum Epiſcopos paucos neceſſitas & in Chriſto caritas; plures accuſatio fratrum, vitæ ſæcularis ſtudium, & honorum cupiditas trahebat.

(f) *Sine ſedis Apoſtolicæ, &c*] Inde conſtat, cautionem hanc ad ſolos Epiſcopos ordinationis Sedis Apoſtolicæ pertinere; alios enim a Metropolitis ſuis veniam popoſciſſe certum eſt. Vide epiſtolas, quibus Gregorius Magnus pallium Metropolitis mittit, obnoxioſque Epiſcopos miſſi monet: nam in ſingulis meminit Eccleſiaſticæ illius regulæ, qua retinebantur in Eccleſia ſua. Memento etiam, Metropolitas datarum ſubjectis formatarum rationem in Synodis provinciæ reddidiſſe.

(g) *Ad natalem Apoſtolorum*] Convenerunt Epiſcopi, aliique, Romam ad ſolemnitatem Apoſtolorum tribus temporibus, in Natali SS Petri & Pauli, in dedicatione Baſilicæ Apoſtolorum, & circa Idus Maias. De natali luculentum eſt teſtimonium Paulini epiſt. 13. ad Severum: *Romam ad venerabilem ſolemnitatis Apoſtolicæ diem profecti ſumus, concurſum nobis illic tuum debito quidem, ſed tamen feſtiva meditatione promittentes.* Et epiſt. [illegible] ad Delphinum de Anaſtaſio Papa: *Noſmetipſos Romæ, cum ſolemni conſuetudine ad beatorum Apoſtolorum natalem veniſſemus, tam blande, quàm honorifice excepit. Poſtea quoque interpoſito tempore, etiam ad natalem ſuum, quod conſacerdotibus ſuis tantum*

deferre

Quod ſi contra hæc, quæ ſuperius continentur, aut contra quodlibet eorum, me egiſſe vel feciſſe, convictus fuero,

---

deferre ſolet, invitare dignatus eſt, nec offenſus eſt excuſatione noſtra. Et poſtea: *Si Dominus commeatum donaverit, ut ad eum uſitato ſolemniter nobis tempore recurramus, &c.*

Conventus ille arbitrarius fuit Epiſcopis, qui ordinationi Sedis Apoſtolicæ non ſubjacerent, ſubjectis præceptus: quod Liber diurnus innuit, aperte probat Gregorii Magni epiſtola 70. libri primi. *Quia fratres & Coepiſcopos noſtros, in Sicilia inſula commorantes, ad beati Petri Apoſtoli natalitium convenire voluimus, &c.* Mox ubi impeditos juſta de cauſa dixit, *jubet venire quamprimum, non tamen ante hiemem.* Quod ego interpretor de alio concurſu ad dedicationem baſilicæ ſanctorum Apoſtolorum, die 18. Novembris. Quo etiam de concurſu intelligenda ſunt verba Valentiniani, Gallæ Placidiæ, & Eudoxiæ ad Theodoſium Imperatorem, & Pulcheriam Auguſtam, quæ contra apertam Hiſtoriæ rationem aliqui de natali Apoſtolorum die 29. Junii acceperunt.

Quo primum tempore impoſitum ſit hujusmodi præceptum Epiſcopis, qui *Sedis Apoſtolicæ ordinationi ſubjacebant*, non ita manifeſtum eſt. Zacharias quidem in Synodo Romana, quam habuit anno 743. cap. 4. ſanxit, ut, *juxta ſanctorum Patrum & Canonum ſtatuta, omnes Epiſcopi, qui Apoſtolicæ Sedis ordinationi ſubjacerent, qui propinqui ſunt annue Idibus, aut circa Idus Maji, ſanctorum Principum Apoſtolorum Petri & Pauli liminibus præſententur. Qui vero de longinquo, juxta ſuum chirographum impleant. Nam qui hujus conſtitutionis contemptor extiterit, præter ſi ægritudine valida fuerit detentus, ſciat ſe Canonum ſubjacere ſententiis,*

Verum quæ ſint illa, quorumque Patrum & Canonum ſtatuta, non ſatis inde edocemur, ut quæſtioni præſenti ſatis fieri poſſit. Non loquitur enim Zacharias de natali Apoſtolorum, qui dies 29. Junii, ſed de Idibus Maji: quo tempore cur convocarentur Epiſcopi, nullus ſcio, niſi forte ad obſequium, Pri-

fuero, tunc non ſolum ea, quæ Eccleſiæ meæ competentia amiſerim, vel forte injuſte perceperim, a me, hæredibuſque meis, reſtituenda confirmo: verum etiam honoris me periculum ſpondeo ſubiturum.

Inſuper etiam promitto, (h) præter cunctas mihi propinquas aut affines perſonas, ſi quis pro animæ ſuæ judicio, me hæredem inſcripſerit, aut per donationem aliquid mihi forſitan largitus fuerit, hoc me Ill. Epiſcopum ſanctæ Eccleſiæ Ill. ſpondeo collaturum. Quod ſi minime fecero, ſit ſuperſcriptæ ſanctæ Eccleſiæ licentia, vel Sacerdotibus ejus, tanquam ſi ab eis univerſa ſibi acquiſita fuerint vel collata, ex hac mea profeſſione & ſponſione, indubitabiliter vindicare.

Illud etiam (i) præ omnibus ſpondeo atque promitto, me

mati exhibendum, tunc cum neque maximi calores eſſent, neque abſentia noceret Eccleſiis, expletis nempe ſolemnibus Pentecoſtes ritibus, qui quam citiſſime abſolvuntur circa Idus Majas.

Hoc præceptum dixi impoſitum fuiſſe Epiſcopis, qui Sedis Apoſtolicæ ordinationi ſubjacebant, id eſt, qui a Summo Pontifice ordinari debebant: debebant vero, qui ſuburbicariis Eccleſiis præerant. Suburbicarias intelligo Ruffini more: nulli enim tunc temporis Primates præter Romanum antiſtitem, Eccleſiarum ejuſmodi Præſulibus præerant.

(h) *Inſuper etiam promitto*] Quæ Epiſcopo, non ſucceſſione, ſed legato, obveniebant, ea non perſonæ privatæ, ſed Eccleſiæ capiti cenſebantur dari, atque adeo in Eccleſiæ jura cedere: imo *ſacris Canonum legibus noſcitur eſſe definitum, ut in his, quæ Antiſtes Epiſcopatus tempore acquiſierit, non alius, ſed ſola ſuccedat Eccleſia.* Greg. Magnus lib. 9. epiſt. 14. ad Scholaſticum Defenſorem.

(i) *Illud etiam, &c.*] Inde conſtat, quis fuerit Eccleſiæ ſenſus de obligatione Epiſcopi, omniſque Clericorum ordinis ad vigilias celebrandas, officiumque divinum obeundum. Conſtat pariter, quæ fuerit officii pro diverſitate tempeſtatum ratio, ut alia majoribus

me omni tempore, per ſingulos dies, a primo gallo usque mane, cum omni ordine Clericorum meorum, vigilias in Eccleſia celebrare; ita ut minoris quidem noctis, id eſt, a Paſcha usque ad æquinoctium, vigeſima quarta die menſis Septembris, tres Lectiones, (k) & tres Antiphonæ, atque tres Reſponſorii dicantur: ab hoc vero æquinoctio usque ad aliud vernale æquinoctium, & usque ad Paſcha, quatuor Lectiones cum Reſponſoriis & Antiphonis ſuis dicantur. Dominico autem, in omni tempore, novem Lectiones cum Antiphonis & Reſponſoriis ſuis perſolvere Deo profitemur.

Litanias (l) vero bis in menſe omni tempore a me facien-

joribus noctibus, alia minoribus reſponderet. Majores dicebantur noctes, quæ ab æquinoctio autumnali ad Paſcha; minores, quæ a Paſchate ad autumnale æquinoctium.

(k) *Tres Lectiones, &c.*] Nihil ſancitur de Pſalmis, qui dicebantur duodecim, pro veteri more, orto, ut dicitur, ex angelica revelatione, quod tradit Caſſianus lib. 2. Inſtit. cap. 5. Quæ de Antiphonis & Reſponſoriis dicuntur, ſapiunt Gregorii Magni ætatem: nullum enim antiquiorem Gregoriano librum Antiphonarium haberi ſcio. Quid ſi ſanctus Pontifex Antiphonarium ſuum ab Epiſcopis ordinationis ſuæ ſervari voluit, ſervandique cautionem exegit?

(l) *Litanias, &c.*] Litaniæ ad placandum Deum, & avertenda mala, inſtitutæ ſunt. A quo primum, & quo primum tempore, incertum eſt. Sunt qui referant ad tempora Conſtantini, quibus Eccleſia Chriſti, a captivitate ſoluta, publica dedit ſuæ pietatis ſigna. Celebris Litania Procli Conſtantinopolitani Epiſcopi quinto ſæculo, celebriores conſequentibus ſæculis memorantur, ſed quæ fierent, prout neceſſitas poſtularet. Hortatus eſt olim Gregorius Magnus Siciliæ Epiſcopos, ad Litanias celebrandas, adverſus hoſtes Inſulæ imminentes. *Hortor, fratres cariſſimi, ut omni hebdomada quarta & ſexta feria Litaniam inexcuſabiliter indicatis, & contra barbarica crudelitatis incurſus ſuperna protectionis auxilium* *Lib. 9. epiſt. 45.*

faciendas ſpondeo. Quæ tamen omnia cum timore & diſciplina, ut Deus placari poſſit, me in Eccleſia mea inſtituturum, atque diebus vitæ meæ conſervaturum, ipſo auxiliante, promitto.

Quam cautionem meam, per Ill. Notarium Eccleſiæ meæ ſcribendam dictavi, in qua & ego ſubter manu propria ſubſcripſi; & teſtes, ut ſcriberent, rogavi, exhortatione Domini & beatiſſimi Papæ Ill. ſtipulantibus vobis Domino Ill. Primicerio, ſeu Domino Ill. Secundicerio ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, in omnibus ſuperius comprehenſis, in verbis ſolemnibus ſpopondi. Actum Romæ, die Ill. Imp. Ill. Conſule Ill.

Et Subscriptio Episcopi. Ill. indignus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Ill. huic cautioni ſponſionique meæ, omnia ſupraſcripta relegens conſentienſque ſubſcripſi, & teſtes, qui ſubſcriberent, rogavi.

Subscriptio testium. Ill. Tribunus huic cautioni ſponſionique factæ ab Ill. Epiſcopo ſanctæ Ill. Eccleſiæ rogatus ab eo teſtis ſubſcripſi, &c.

Subscriptio scriptoris. Ill. ſanctæ Eccleſiæ Ill. Notarius, qui & ſcriptor, teſtimonium ſubſcriptione ſupplevi.

TITU-

---

auxilium imploretis. Quæ exhortatio primum fuit, hanc ego poſtea in præceptum evaſiſſe credo: ſed opinor ſimul frequentiam imminutam, ut bis jam non in una hebdomada, ſed in menſe tantum Litaniæ fierent. Verum nuſpiam, quod quidem noverim, præceptum extat. Quid ſi pro menſe annus ponatur, Litaniæque intelligantur ſolemnes duæ, major & minor? Res facilius conficietur: ambæ enim præcepto Apoſtolico quotannis faciendæ ſanciebantur; reliquæ aut pro re nata ſolum, aut particularis Synodi canone.

TITULUS VIII.

Indiculum (m) *Epiſcopi.*

IN nomine Domini, Imperant. &c.

Promitto ego, Ill. Epiſcopus Eccleſiæ Ill. vobis, beato Petro, Apoſtolorum Principi, Vicarioque tuo, beatiſſimo Papæ, Domino Ill. ſucceſſoribusque ejus, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in unitate ejusdem

Indiculus Bonifacii Moguntinenſis.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Imperante Domino Leone, a Deo coronato magno Imperatore, anno VI. poſt Conſulatum ejus: ſed & Conſtantino magno Imperatore, ejus filio, anno III. Indictione VI.

Promitto ego Bonifacius, Dei gratia Epiſcopus, tibi beato Petro, Apoſtolorum Principi, Vicarioque tuo, beato Gregorio Papæ, & ſucceſſoribus ejus, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem inſeparabilem, & ſacratiſſimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei catholicæ exhibere, & in unitate ejusdem fidei, Deo operante, perſiſtere, in qua

(m) *Indiculum*] Hac ſe formula S. Bonifacius, Moguntinenſis Antiſtes, obligavit Sedi Apoſtolicæ: nam inter epiſtolas Gregorii II. habetur *Indiculus ſacramenti, quod Bonifacius Romæ, cum Epiſcopus ordinaretur, edidit, & manu ſua ſubſcriptum obtulit.* Hunc operæ pretium fuit exhibere, & formulæ noſtræ opponere, ut altera ex altero emendetur, atque etiam ex ambabus & alia conſequente intelligatur, quid diſcriminis intereſſet in ejusmodi ſacramento, cum vel ab Italo, vel a Longobardo, vel ab alio extra Italiam poſito, præſtaretur.

dem fidei, Deo operante, perſiſtere, in qua omnis Chriſtianorum ſalus eſſe comprobatur, & nullo modo contra unitatem communis & univerſalis Eccleſiæ ſuadenti cuipiam conſentire: ſed, ut dixi, fidem & *puritatem* * meam, quæ Eccleſiæ tuæ, cui à Domino Deo poteſtas ligandi ſolvendique data, & prædicto Vicario tuo, atque ſucceſſoribus ejus, per omnia exhibere.

Promitto pariter, quod ſi quid contra rempublicam, vel piiſſimum Principem noſtrum a quolibet agi cognovero, minime conſentire: ſed in quantum virtus ſuffragaverit, obviare, & Vicario tuo, Domino meo Apoſtolico, modis quibus potuero, nuntiare, & id agere vel facere, quatenus fidem meam in omnibus ſinceriſſimam exhibeam.

Quod ſi, quod abſit, contra hujus promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo, ſeu ingenio, vel occaſione tentavero, reus inveniar

qua omnis Chriſtianorum ſalus ſine dubio eſſe comprobatur, nullo modo me contra unitatem communis & univerſalis, ſuadente quopiam, conſentire: ſed, ut dixi, fidem & puritatem meam atque concurſum tibi & utilitatibus Eccleſiæ tuæ, cui a Domino Deo poteſtas ligandi ſolvendique data, & prædicto Vicario tuo, atque ſucceſſoribus ejus, per omnia exhibere.

Sed & ſi cognovero Antiſtites contra inſtituta antiqua ſanctorum Patrum converſari, cum eis nullam habere communionem aut conjunctionem: ſed magis, ſi valuero prohibere, prohibebo; ſin minus, fideliter ſtatim Domino meo Apoſtolico renunciabo:

Quod ſi, quod abſit, contra hujus promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo ſeu ingenio vel occaſione tentavero, reus inveniar in æterno judicio, ultio-

* COD. ROM. legit: *puritatem meam atque concurſum tibi utilitatibusque Eccleſiæ, &c.*

veniat in æterno judicio, vel ultionem Ananiæ & Saphyræ incurram : qui etiam tibi beato Petro, de rebus propriis fraudem facere, & falſum dicere, præſumpſerunt.

ultionem Ananiæ & Saphyræ incurram : qui vobis, etiam de rebus propriis fraudem facere, vel falſum dicere præſumpſerunt.

Hoc autem Indiculum ſacramenti, ego Ill. Epiſcopus manu propria ſubſcripſi, atque poſui ſuper ſacratiſſimum corpus tuum, ac ſicut ſuperius legitur, Deo teſte & judice, præſtiti ſacramentum, quod & ſervare promitto.

Hunc autem Indiculum ſacramenti ego Bonifacius exiguus Epiſcopus manu propria ſcripſi, atque ponens ſupra ſacratiſſimum corpus beati Petri, ita ut perſcriptum eſt, Deo teſte & judice, præſtiti ſacramentum, quod & ſervare promitto.

Indiculum Epiſcopi de Langobardia. (n)

IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Imp. &c.

Pro-

(n) *De Langobardia*] Habet hæc formula characteres duos, ex quibus utcumque poſſit conjici, quo primum tempore edita ſit. Nam primo ſimilis eſt ei, qua ſanctus Bonifacius, ſuam Sedi Apoſtolicæ obligavit fidem ann. Chriſti 722. erat ergo jam tum in uſu. Deinde edita eſt, quo tempore Longobardi non tantum dominatum obtinebant in eam Italiæ partem, cujus Epiſcopi ordinationi Sedis Apoſtolicæ ſubjacebant; ſed etiam ſervabant pacem cum Romanis. Id vero maxime contigit, quamdiu Regina Theodolinda vixit, id eſt, ante annum 626. quo defuncta creditur. Quare videtur Gregorii Magni ætate ſcripta, aut ſaltem uſurpata, cum jam diu in uſu foret. Crediderim ego facile ad priora tempora corpus ipſum pertinere; appendicem de Longobardis, ad Gregoriana.

Promitto ego Ill. Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Ill. vobis beato Petro Apoſtolorum Principi, Vicarioque tuo beatiſſimo Papæ, Domino meo Ill. ejusque ſucceſſoribus, per Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei catholicæ exhibere, & in unitate fidei, Deo operante, perſiſtere, in qua omnis Chriſtianorum ſalus eſſe ſine dubio comprobatur, & nullo modo contra unitatem communis & univerſalis Eccleſiæ ſuadenti cuipiam conſentire: ſed, ut dixi, fidem & puritatem meam, atque concurſum, tibi ac utilitatibus Eccleſiæ tuæ, cui a Domino Deo data eſt poteſtas ligandi ſolvendique, & prædicto Vicario tuo atque ſucceſſoribus ejus, per omnia exhibere.

Promitto pariter feſtinare omni anniſu, ut ſemper pax, quam Deus diligit, inter rempublicam & nos, hoc eſt, gentem Langobardorum, conſervetur, & nullo modo contra agere vel facere quidpiam adverſum, quatenus fidem meam in omnibus ſinceriſſimam exhibeam.

Quod ſi, quod abſit, contra hujus promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo, aut ingenio, vel occaſione tentavero, contra catholicam legem, reus inveniar in æterno judicio, & ultionem Ananiæ & Saphyræ incurram: qui etiam tibi beato Petro, de rebus propriis fraudem facere & falſa dicere præſumpſerunt.

Hunc autem Indiculum ſacramenti ego Ill. Epiſcopus manu propria ſcripſi, atque poſui ſupra ſacratiſſimum corpus tuum, beate Petre, ac præbui jusjurandum, quod, ut ſuperius legitur, Deo teſte & judice, conſervare promitto.

TITU-

TITULUS IX.

Synodale, (o) quod accipit Epiſcopus.

CLERO, Ordini & Plebi conſiſtenti Ill. dilectiſſimis filiis in Domino ſalutem.

Probabilibus deſideriis nihil attulimus tarditatis, fratrem jam & Coepiſcopum noſtrum Ill. vobis ordinavimus Sacerdotem; cui dedimus in mandatis:

I. Ne

(o) *Synodale*] Formula hæc non uno in loco, quibusdam tamen, licet paucis, immutatis, occurrit. Reperitur, ante confectum quidem Diurnum, inter epiſtolas Gelaſii I. qui ann. 498. obiit, & apud Gregorium Magnum lib. 2. epiſt. 25. Poſt confectum vero Diurnum, apud Gregorium II. ſcribentem ad Thuringios ann. 723. & apud Hincmarum in epiſtola ad plebem Laudunenſem. Omitto dicere, quod refertur magna ex parte ab Anſelmo lib. 6. cap. 39. & a Gratiano 12. quæſt. 2. cap. 24. Sed ex Gelaſio, non item ex Gregorio.

Appellatur porro Synodale, partim quia mittebatur ex Synodo Romæ ἐνδημούσῃ a Summo Pontifice; partim quia legebatur in Synodo Eccleſiæ, cui præpoſitus erat Epiſcopus: nam conveniſſe Epiſcopos ad ordinationem Romæ factam, intelligimus ex Ordine Romano; conveniſſe pariter Epiſcopos vicinos, cum Clero & Plebe Eccleſiæ, Epiſcopum excepturæ, ad celebrationem natalis diei, ex Diurno & more temporum ſcitur.

Obſerva autem, cum ejusmodi literæ mitterentur e Synodo Summi Pontificis, Pontificem ſolum ſubſcripſiſſe; cum e Synodo alicujus Metropolitani, non ſolum Metropolitanum, ſed omnes etiam Epiſcopos, qui interfuerunt, ſubſcriptiones ſuas addidiſſe. Primum de Summo Pontifice ſolemne eſt, & cuilibet notum; alterum de Metropolitanis aliis, diſcimus ex laudata mox epiſtola Hincmari, poſt quem Odo Bellovacenſium, Raginelmus Noviomagenſium, Joannes Cameracenſium, Willebertus Catalaunorum, Hildebaldus Sueſſionum, Geroldus Ambianorum, & Hadebertus Silvanectenſium, Epiſcopi ſubſcripſerunt.

1. Ne unquam ordinationes præſumat illicitas.

2. Ne bigamum, aut qui virginem non eſt ſortitus uxorem, neque inliteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expœnitentem, vel curiæ aut cuilibet conditioni obnoxium, notatumque, ad ſacros ordines permittat excedere, ſed ſi quos hujusmodi forte repererit, non audeat promovere.

3. Afros paſſim (p) ad Eccleſiaſticos ordines procedentes, nulla ratione ſuſcipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati, ſæpius ſunt probati.

4. Miniſteria atque ornamentum Eccleſiæ, vel quidquid eſt in patrimonio ejusdem, non minuere ſtudeat, ſed augere.

5. De reditu vero Eccleſiæ, vel oblatione fidelium, quatuor faciat portiones, quarum unam ſibi ipſe retineat; alteram Clericis, pro officiorum ſuorum ſedulitate, diſtribuat; tertiam pauperibus & peregrinis; quartam eccleſiaſticis fabricis noverit reſervandam, de quibus divino erit redditurus judicio rationem.

6. Ordinationes vero (q) Presbyterorum, ſeu Diaconorum

(p) *Afras paſſim*] Idem cavet Gregorius Magnus de Afris lib. 2. epiſt. 25. ad Joannem, Epiſcopum Lyſſitanæ Eccleſiæ, a barbaris captivatæ, quem Squillacinæ Eccleſiæ viduatæ incardinat, ut loquuntur. Inde autem verbo ad verbum deſcripta ſunt, quæ hic leguntur de ordinationibus. Sic enim habet: *Præcipimus autem, ne unquam illicitas ordinationes facias; ne bigamum, aut qui non virginem ſortitus eſt uxorem, aut ignorantem literas, &c.*

(q) *Ordinationes vero*] Locus hic de tempore ordinationum videtur deſumptus ex epiſtola IX. Gelaſii ad Epiſcopos Lucaniæ, Brutiorum & Siciliæ, cap. XI. *Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum, niſi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id eſt, quarti menſis jejunio, ſeptimi & decimi, ſed & etiam quadrageſimalis initii, ac mediana quadrageſima die, Sabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas.*

rum, non niſi primi, quarti, ſeptimi & decimi menſis jejuniis, ſed & in ingreſſu quadrageſimali atque mediana, veſpere Sabbati noverit celebrandas.

7. Sancti autem baptiſmi (r) ſacramentum, nonniſi in Paſchali feſtivitate, & Pentecoſtes, noverit eſſe præbendum; exceptis his, qui mortis urgentur periculo, quibus, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubvenire.

8. *Litanias vero (s) per triduum ante diem Aſcenſionis Domini celebrare.* *

Huic ergo Sedis noſtræ præcepta ſervanti devotis animis obſequi vos oportet, ut irreprehenſibile placitumque fiat corpus Eccleſiæ, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat cum Deo Patre omnipotenti, & Spiritu Sancto, per omnia ſæcula ſæculorum.

Et Subscriptio ejus. Deus vos incolumes cuſtodiat, dilecti nobis.

 TITU-

(r) *Sancti autem baptiſmi, &c.*] Et iſte pariter locus ex eadem epiſtola ſumptus eſt cap. X. *Baptizandi ſibi quiſquam paſſim quocumque tempore nullam credat ineſſe fiduciam, præter Paſchale feſtum & Pentecoſtes venerabile ſacramentum, excepto dumtaxat graviſſimi languoris incurſu, in quo verendum eſt, ne morbi creſcente periculo, ſine remedio ſalutari fortaſſis ægrotans exitio præventus abſcedat.* Fuit alter Orientalis Eccleſiæ mos; ſolemnis enim erat Epiphaniæ baptiſmus.

(s) *Litanias vero, &c.*] Mandatum iſtud non continetur in epiſtola Gregorii II. Videri poteſt prætermiſſum, vel librariorum incuria, vel quoniam ſcribebatur ad populos extra Italiam poſitos, apud quos, aut nondum ritus ille introductus fuerat, aut certe, quod magis reor, vigebat conſtanter. Quid ſi Epiſcopis Italiæ id ea tempeſtate impoſitum eſt mandatum, quia laudabilis conſuetudo, cum obſoleſceret paſtorum negligentia, Apoſtolica juſſione excitari debuit.

* COD. ROM. Verba: *Litanias vero per triduum ante diem Aſcenſionis Domini celebrare*, non habet: deſunt quoque in epiſtola Gregorii II. MABILL. *muſei ital. tom. I. p. 37.*

TITULUS X.

Formata, (t) *quam accipit* (u) *Epiſcopus.*

Ill. Presbyteris, Diaconibus, & Plebi conſiſtenti, Ill. fratribus

(t) *Formata*] De formatis literis ſcripſerunt viri doctiſſimi tres, Baronius, Sirmondus, Ferrarius, quibus acceſſit nuper Priorius. Diſſeruerunt illi multa de literarum ejusmodi nomine & forma: quin & plura protulerunt exempla, præcipue Sirmondus tom. II. Conciliorum Galliæ. Verumtamen de formatis Epiſcopo datis a Summo Pontifice poſt ordinationem, non memini me legere apud ipſos quidquam huic Diurni formulæ reſpondens. Dari nihilominus ſolitas dubitare non licet: nam primæ ſedis exemplo a Patribus Africanis anno Chriſti 402 ſancitus eſt hic canon: *Placuit, ut quicumque deinceps ab Epiſcopis ordinantur per Provincias Africanas, literas accipiant ab ordinatoribus ſuis, manu eorum conſcriptas, continentes Conſulem & diem, ut nulla altercatio de poſterioribus & anterioribus oriatur.*

Bernardinus Ferrarius refert quidem ex Ordine Romano formam ejusmodi literarum, quam mox exhibebimus: ſed nihil habet de Archidiaconi ſubſcriptione, cum dimitteret Epiſcopum; nihil de die Paſchatis, iis ipſis formatis adſcribendo, quamvis Patres Africani ſancierint can. 106. *ut formatæ, quæ a Primatibus vel a quibuscumque Epiſcopis, Clericis propriis dantur, habeant diem Paſcha. Quod ſi adhuc ejuſdem anni Paſcha dies incertus eſt, ille præcedens adjungatur, quomodo ſolet poſt Conſulatum publicis geſtis adſcribi.* De formatis tamen, quæ Epiſcopo poſt ordinationem darentur, non perinde jubent: quod ad diem Paſchæ, ſervatum nihilominus in his etiam communem morem, diſcimus ex libro Diurno.

Sed juvat ex Ordine Romano formatam deſcribere, ut ex ambobus exemplis inter ſe collatis, aliisque jam dictis, id totum, quod eſt de ejusmodi literis, intelligatur.

(u) *Accipit*] Non a Metropolitano ipſo, ut in formata Ordinis Romani; ſed ab Archidiacono Eccleſiæ Romanæ, qui, Epiſcopum conſecratum dimittens, dabat per eum literas ad Clerum, ut de ordinatione ſui Præſulis, ordinationisque adjunctis, certiorem faceret.

bus ſalutem, per cariſſimum noſtrum (x) Ill. Epiſcopum, ſalutamus vos, cariſſimi noſtri: vos etiam noſtri ſalutant.

Et subscriptio ejus. Bene valete, fratres, in nomine Domini. Dominicum erit Paſcha die Ill. menſis Ill. Indictione Ill.

Subscriptio Archidiaconi. Ill. Archidiaconus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ ſubſcripſi & dimiſi. Data die Ill. menſis Ill. Imperante Ill. poſt Conſ. Ill. (y) Indictione Ill.

Formata Epiſcopo danda.

Dilectissimis fratribus & filiis, Presbyteris, Diaconibus, Clericis, Honoratis & Poſſeſſoribus, vel cunctæ Plebi Ill. Eccleſiæ Ill. auxiliante Domino Archiepiſcopus ſanctæ Sedis Catholicæ.

Electionem veſtram Deo acceptiſſimam comprobantes, virum venerabilem Ill. in primo ordine vobis conſecravimus Sacerdotem, ideoque dilectionem veſtram ſolicite commonemus, ut prædictum

(x) *Per cariſſimum noſtrum*] Si vera eſſet lectio, notanda foret mira illa *cariſſimi* appellatio: oſtenderet enim, quantæ fuerit dignitatis Archidiaconus Romæ, qui quem Summus Pontifex *dilectiſſimum fratrem* vocaret, *cariſſimum ſuum* dicere contentus ſit: ſed procul dubio corrupta eſt, & librarius pro eo, quod reipſa ſcriptum erat de more, *reverendiſſimum veſtrum Epiſcopum*, intendens temere oculos in ſubſequentem lineam, in qua eſt *cariſſimi noſtri*, poſuit *cariſſimum noſtrum.* Quid enim abſurdius, Epiſcopum non honorificentius, quam Clericos inferioris ordinis compellari?

(y) *Imperante Ill. poſt Conſulatum Ill*] Formata igitur hæc uſitata fuit, cum adhuc in notis temporum adhiberetur Conſulatus, aut certe Poſtconſulatus Adhiberi vero deſiit, inclinante ſexto ſæculo; quare hæc formula ante Gregorii Magni ætatem uſurpabatur: imo videtur fuiſſe antiquiſſima, propriaque omnibus temporibus Eccleſiæ Romanæ: etſi varias conſignandi notas variis ætatibus habuerit.

tali veneratione colatis, qua eum vobis voluiſtis conſecrari Pontificem: quamobrem talem Miſſum Sedis noſtræ direximus, ut optime placuit ſanctæ Synodo, Epiſcopum ſine formata ſuſcipi non debere, non obſcura aut dubia nota ordinationis incurrat.

Ego Ill. recognovi. Ill. in ordinatione Ill. Eccleſiæ Epiſcopi conſcripſerunt.

Ego Ill. Eccleſiæ Ill. ſubſcripſi.

TITULUS XI.

Synodale, ut Epiſcopus alterius civitatis in alia Eccleſia poſſit incardinari. (z)

CLERO, Ordini & Plebi conſiſtenti, Ill. dilectiſſimis filiis in Domino ſalutem.

Et

(z) *Incardinari*] Idem eſt hoc in loco, quod cum ordinaria poteſtate, & velut proprium Sacerdotem præfici Eccleſiæ viduæ eum, qui ſuam invadentibus barbaris amiſit. Dixi, hoc in loco: nam incardinari proprie eſt alicui Eccleſiæ, tanquam proprium Sacerdotem, Presbyterum, Diaconum, atque etiam Subdiaconum addici; eſt autem incardinationis, commendationis & ordinationis, non parva affinitas: intercedit tamen hoc diſcrimen, quod incardinatio valeret tantum, donec Eccleſia incardinati a barbaris occupata liberaretur; commendatio, donec Epiſcopus aut ordinaretur, aut remitteretur; ordinatio perpetuum jus afferret, perpetuumque viciſſim debitum. Id conſtat tum ex natura ordinationis, quod ſacrum quoddam eſt conjugium, ſimile ei, quod in Chriſto & Eccleſia eſt; tum ex literis S. Gregorii incardinantis & commendantis. Sic ille igitur ad Joannem Lyſſitanæ Eccleſiæ a barbaris occupatæ Antiſtitem: *Propterea te Joannem ab hoſtibus captivata Lyſſitanæ civitatis Epiſcopum in Squillitana Eccleſia Cardinalem neceſſe duximus conſtituere Sacerdotem, ut ſuſceptam ſemel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas: & licet a tua Eccleſia ſis hoſte imminente depulſus, aliam, quæ paſtore vacat, Eccleſiam debes gubernare: ita tamen,*

ut ſi

Et temporis neceſſitas nos perurget, & imminutio exigit perſonarum, ut deſtitutæ Eccleſiæ veſtræ ſalubri debeamus diſpoſitione ſuccurrere, & ideo, ſecundum deſiderium veſtrum, fratrem & Coepiſcopum noſtrum Ill. cujus Eccleſia eſt ab hoſtibus occupata, Cardinalem veſtræ Eccleſiæ, (a) ſicut petiiſtis, conſtituimus Sacerdotem: quatenus vos, Deo propitio, & ordinando & vigilando, ſolicite ſtudeat gubernare, cui dedimus in mandatis, (b) ne unquam ordinationes præſumat illicitas, &c. ſecundum morem.

TITULUS XII.

Præceptum de adunandis Eccleſiis. (c)

POSTQUAM hoſtilis impietas diverſarum civitatum, ita peccatis facientibus, deſolavit Eccleſias, ut reparandi eas ſpes nulla, populo deficiente, remanſerit: majori valde cura conſtrin-

ut ſi civitatem illam ab hoſtibus liberam effici, & Domino protegente ad priorem ſtatum contigerit revocari, ad eam, in qua prius ordinatus es, Eccleſiam revertaris; ſin autem prædicta civitas continua captivitatis calamitate prematur, in hac, in qua a nobis ordinatus es, vel incardinatus, debeas Eccleſia permanere. Præcipimus autem, &c.

Incardinationis formula eſt apud Gregorium lib. 2. part. 1. epiſt. 25. cujus corrigendum argumentum, quod ſic legitur: *Viſitationem cujusdam injungit Eccleſiæ;* non enim viſitatio ad tempus, ſed gubernatio injungitur incardinato. Vide lib. 1. epiſt. 77.

(a) *Cardinalem veſtræ Eccleſiæ*] Vide epiſt. 15. lib. 1.

(b) *Cui dedimus in mandatis, &c.*] Formula communis, quoties aliquis ad regendam Eccleſiam mitteretur.

(c) *De adunandis Eccleſiis*] Verbo fere ad verbum formula hæc reperitur apud Gregorium lib. 2. epiſt. 59. ad Gratioſum Epiſcopum Numentanum, cujus Eccleſiæ ünit eam, quæ S. Anthemii in Curium Sabinorum territorio erat. Reperitur etiam lib. 5. epiſt. 19.

conſtringimur cogitare, ne defunctis earum Sacerdotibus, reliquiæ plebis nullo paſtoris moderamine gubernatæ, (d) per invidiam, (e) fidei hoſtis callidi, quod abſit, rapiantur inſidiis.

Hujus ergo rei ſolicitudine ſæpe commonitis, (f) ſedit cordi conſilium, ut vicinis eas mandare debeamus Antiſtitibus (g) gubernandas, ideoque fraternitati tuæ curam gubernationemque Ill. Eccleſiæ (h) providimus (i) committendam, quam etiam tuæ Eccleſiæ aggregatam eſſe conſtituimus ac unitam, (k) quatenus utrarumque Eccleſiarum Sacerdos recte, Chriſto adjutore, poſſis exiſtere, & quæcumque tibi de ejus patrimonio, vel de Cleri ordinatione ſeu promotione, vigilanti ac canonica viſa fuerint cura diſponere, quippe, ut proprius Epiſcopus, liberam habeas, ex præſenti noſtra autoritate, (l) licentiam.

Quapropter, frater cariſſime, dominicorum reminiſcens ſalubriter mandatorum, ita in commiſſæ plebis regimine, lucrandisque animabus invigila, ut redemptori noſtro (m) fructum bonæ operationis, in quo lætari poſſis, exhibeas.

TITU-

(d) *Gubernata*] Apud Gregorium, gubernante.

(e) *Per invidiam, &c.*] Greg. per devia fidei, &c.

(f) *Commonitis ſedit*] Greg. Hujus ergo rei ſolicitudine commoti, hoc noſtro ſedit, &c.

(g) *Mandare debeamus Antiſtitibus*] Gregor. mandaremus Pontificibus.

(h) *Ill. Eccleſiæ*] Greg. ſancti Anthemii Eccleſiæ in Curium Sabinorum territorio conſtitutæ.

(i) *Providimus*] Greg. prævidimus.

(k) *Aggregatam eſſe conſtituimus ac unitam*] Greg. aggregari unirique neceſſe eſt.

(l) *Autoritate*] Greg. permiſſione.

(m) *Ut redemptori noſtro, &c.*] Greg. ut ante tribunal æterni judicis conſtitutus fructum bonæ operationis, qui ad tuam mercedem pertineat, eidem redemptori noſtro, in qua lætari poſſis, exhibeas.

TITULUS XIII.

Invitatoria ad Epiſcopum, in natali Papæ. (n)

Dei noſtri miſericordia favente, III. dies, in quo Epiſcopatus mei eſt natalis, adproperat, ad quem ex more miſſis [illegible] a me

(n) *In natali Papæ*]. Conveniebant Epiſcopi Italiæ ad diem natalem Summi Pontificis. De Anaſtaſio Paulinus epiſt. 16. ad Delphinum: *Interpoſito tempore etiam ad natalem ſuum, quod conſacerdotibus ſuis tantum deferre ſolet, invitare dignatus eſt, nec offenſus eſt excuſatione noſtra, &c.* Hinc obſerva, conſacerdotes tantum, id eſt, Epiſcopos jure ordinario vocatos, reliquos privilegio.

Sixtus in epiſtola, qua gratulatur Cyrillo initam inter Eccleſias diſſidentes pacem: *Ad beatum Petrum fraternitas univerſa convenit; ecce auditorium conveniens auditoribus, conveniens audiendis, habuerunt Coepiſcopi noſtri congratulationis teſtem, quem habemus honoris exordium; ſanctæ namque & venerabili Synodo, quam natalis mihi dies, favente Domino, congregavit, quia ſic credendum eſt, ipſe præſedit, &c.* Et in epiſtola ad Joannem Antiochenum: *Audivit univerſa fraternitas, quæ ad natalis mei convenerat diem, &c.* Obſerva concurſum Epiſcoporum appellari Synodum, & in ea de rebus, quæ inciderent, tractatum.

S. Leo Sixti ſucceſſor, in ſermone, qui vulgo dicitur ſecundus in anniverſario aſſumptionis ſuæ. *Venerabilium quoque fratrum & conſacerdotum meorum deſiderata mihi & honoranda præſentia hinc ſacratior eſt atque devotior, ſi pietatem hujus officii, in quo adeſſe dignati ſunt, ei principaliter deferunt, quem non ſolum hujus ſedis Præſulem, ſed & omnium Epiſcoporum noverunt eſſe Primatem.*

Hilarius Leonis ſucceſſor epiſtola prima ad Aſcanium: *Lectis in conventu fratrum, quos natalis mei feſtivitas congregarat, literis veſtris, &c.* Et epiſt. 8. *Præſidente fratrum numeroſo concilio, & ex diverſis provinciis ad diem natalis noſtri in honorem beati Petri Apoſtoli per Dei gratiam congregato, &c.*

a me literis invitatis; decet enim, frater cariſſime, ut ejuſdem particeps feſtivitatis exiſtas, & fraternæ congregationi præſen-

Obſervanda hic tria: mos conveniendi, mos invitandi, & forma invitationis. Diſcimus, veterem morem conveniendi, tum ex his teſtimoniis, tum ex Diurno: morem invitandi per literas, ex epiſt. 16. Paulini ad Delphinum, & longe clarius ex his Diurni verbis, *ex more miſſis a me literis invitatis*: formam literarum, ex Diurno ſolo.

Quare formula hæc ſingularis eſt: neque enim apud curioſos literarum Eccleſiaſticarum indagatores, Baronium, Sirmondum, & Ferrarium, reperitur, quemadmodum nec excuſatoriæ duæ: quamquam poſſent omnes ad tractorias non abſurde revocari: ſiquidem conventus ille, ad quem invitabantur, Synodus erat, in qua de rebus Eccleſiaſticis, ſi quæ urgerent, agebatur. Id partim exemplis Sixti & Hilari, partim Diurni verbis edocemur.

Etſi vero ſoli illi, quos dixi, Epiſcopi ordinationi ſedis Apoſtolicæ ſubjecti evocarentur, ex omnibus tamen Italiæ provinciis, imo ex aliis remotioribus concurriſſe Præſules, diſcimus ex epiſtola utraque Hilari: reſpiciunt enim ambæ Concilium Romanum anno 465. habitum XV. Kalend. Decembris. Huic vero interfuerunt, præter ſuburbicarios, Ingenuus Ebredunenſis, Sabinus Avenionenſis, Maximus Taurinenſis, & ex Africa Reſtitutus & Octavius.

Quorſum vocarentur Epiſcopi, docet non ſolum Diurnus, ſed etiam S. Leo: nempe, ut in cœtu Sacerdotum Pontifex de ſua aſſumptione ageret Deo gratias: deinde, ut quæ mos Eccleſiaſticus exigit, communiter confirmarentur: denique ut ejuſmodi obſequio ſuum Epiſcopi Principem agnoſcerent.

Primates alios id etiam habuiſſe in more, ut vocarent ad ſui natalis feſtivitatem Coepiſcopos, conjicere licet ex allocutione Auguſtini ad populum Carthaginenſem: poſt concionem enim abſolutam, *Quod novit caritas veſtra*, inquit, *ſuggerimus, dies anniverſarius Domini ſenis Aurelii craſtinus illuceſcit: rogat & admonet per humilitatem meam caritatem veſtram, ut ad baſilicam Fauſti devotiſſime venire dignemini.*

Serm. 32. de Verbis Domini.

præſentiam tuæ dilectionis accommodes, ut ea inter nos, quæ mos Eccleſiaſticus exigit, conſtruemus.

TITULUS XIV.

Excuſatoria. (o)

SCRIPTA fraternitatis tuæ, quæ tranſmiſiſti, oblata nobis relegimus, veniamque imbecillitati ac ſenectuti fraternitatis tuæ, quam expetiiſti, ob id, quod venire non potuit, conceſſimus: cognoſcentes, quia non ſtudio excuſationis peractum eſt, ut ad nos minime fraternitas tua perveniſſet.

TITULUS XV.

Excuſatoria, quando Epiſcopus infirmatur.

ET natalis noſtri feſtivitas, & conſuetudinis ſolemnitas exigit, ut de profectu noſtro omnipotenti Deo, quæ debentur gratiæ, ſub cunctorum Sacerdotum frequentatione & præſentia redderentur: ſed quia caritatem tuam ad devotionis occurſum inæqualitate corporis perhibes impeditam, neceſſe eſt, ut concedamus veniam, quidquid infirmitas exigit corporis: quia, ubi neceſſitas intereſt, voluntas non vocatur ad culpam: cupimus tamen, recuperata ſanitate, pro tempore ea, quæ oportet, affectione penſetur.

TITULUS XVI.

Epiſtola ad Epiſcopum exhortandum.

MIRAMUR nimis fraternitatis tuæ reverentiam, quod immemor pollicitationis, (p) quam temporibus conſe-

Q 2 cratio-

(o) *Excuſatoria*] Non qua invitatus Epiſcopus ſe excuſet, ſed qua Summus Pontifex imbecillitatis ac ſenectutis excuſationem accipiat.

(p) *Pollicitationis*] Vide cautionem Epiſcopi, qua parte agitur de occurſu ad natalem Apoſtolorum. Conſule & notas ad hunc locum.

[illegible]rationis tuæ, beato Petro Apoſtolorum Principi, præbuiſti, huic Apoſtolicæ ſedi poſt biennium adfuturum, ut tuo te Pontifici præſentaſſes. Ecce, quot lapſa ſunt tempora, & minime adveniſti: ſed in præſenti moneo reverentiam tuam, ut mox ſuſceperis præceptionis noſtræ literas, absque aliqua excuſatione celerius apud nos convenias: quod ſi diſtuleris, ſuperbiæ faſtu elatus, ſcias te, ex autoritate Domini mei, ſummi Apoſtolorum Principis, beati Petri, a Miſſarum ſolemniis eſſe ſuſpenſum, quoad usque tuam nobis præſentiam exhibeas.

TITULUS XVII.

Epiſtola conſolatoria.

APOSTOLICI ſermonis ſumentes principium clamamus:
2. Cor. 11. v. 27. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Alio etiam inquit
1. Cor. 12. v. 26. loco: *Si unum membrum patitur, compatiuntur & cætera membra.* Nam ipſi nos tuis condolentes doloribus, continua quaſi valetudine laboramus: quod quia opportunitas eſt, veluti præſentes caritatis fervore ſanctitatem alloquimur tuam, & ſtylo exarante, illud ad animum Apoſtolicæ conſolationis reducimus,
Jac. 1. v. 2. quo conſolatur mœrentes: *Omne gaudium exiſtimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Ipſa quoque Ve-
Matth. 5. v. 11. ritas docet: *Beati eritis, cum vos oderint homines, & perſecuti fuerint, atque dixerint adverſum vos omne malum,* & reliqua. Pro quo pollicetur, mercedem eis reconditam eſſe copioſam in cælis. Quia vero in ſæculo exercitium tribulatio eſt, ut æquanimiter toleres eventus, tuam unanimem caritatem admonemus, ne iſte tibi caſus aliquam ingerat puſillanimitatem. Labor enim eſt, per quem fructum te credimus ſpiritalem recipere a Chriſto. Illud namque recole dictum Pro-
Pſal. 125. v. 6. phetæ canentis: *Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua, venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos ſuos.*

His

His denique prælibatis, conſolare, ſancte frater, & eſto robuſtus: illius enim præſidio te confidimus ad propriam redire ſedem, pro cujus amore tantam peregrinationis contumeliam ſuſtines. Nam noſtra apud Chriſtum indeſinens eſt deprecatio, ut ipſe, compreſſa inſania ſævientium, ad propriam te revocet ſedem. Laborare niſibus totis non quieſcimus, ut modis quibus potuerimus, ejus auxilio fulti, te tuæ reducamus ſedi, & in aliquo non hæſites, nec te ſuperflua opprimat triſtitia: votis enim noſtris Chriſtum Dominum noſtrum favere cito confidimus, atque credimus, quod, eo miſerante, lætus conceſſam recipias ad regendum Eccleſiam, ut læta jam mente Chriſto feramus laudes.

CAPUT IV.

De uſu pallii.

ARGUMENTUM.

Pallium Summi Pontifices aliquandò præſentibus dabant, aliquando mittebant abſentibus. Dandi præſentibus antiquum ritum exhibet Ordo Romanus. Literarum, quibus mitteretur, formulæ quatuor hic continentur.

TITULUS I.

SI paſtores (q) ovium ſolem geluque pro gregis ſui cuſtodia die ac nocte ferre contenti ſunt, & ut nequaquam ex eis,

(q) *Si Paſtores*] Nullus plane dubito, quin hæc formula deſumpta ſit ex Gregorio Magno, non tamen fortaſſe tota ex uno loco, ſed ex diverſis hinc & inde. Id fragmenta quædam variis epiſtolis inſerta produnt: id ſuadet ſtylus, qui totus Gregorianus eſt: ſuadent & Gregorianæ ſententiæ, quod cum per ſe clareat, elucere tamen poteſt manifeſtius ex collatione cum epiſtolis, quas

eis, aut errando pereant, aut ferinis laniatæ morſibus moriantur, oculis ſemper vigilantibus circumſpectant, quanto ſudore, quantaque cura debeamus eſſe pervigiles, nos, qui paſtores animarum dicimur, attendamus: ſuſceptum officium exhibere erga cuſtodiam dominicarum ovium non ceſſemus, ne in die divini examinis, pro deſidia noſtra, ante ſummum paſtorem, negligentia reatus nos excruciet, unde modo honoris reverentia ſublimiores inter cæteros judicamur.

Pallium autem fraternitati tuæ ex more, ad Miſſarum ſolemnia celebranda, transmiſimus, quo non aliter, Eccleſiæ tuæ privilegiis in ſuo ſtatu manentibus, uti largimur, quam deceſſores prædeceſſoresque tuos uſos eſſe, incognitum non habes.

Cujus quoniam indumenti honor modeſta actuum vivacitate ſervandus eſt, hortamur, ut ei morum tuorum ornamenta

quas S. Pontifex, cum pallium mitteret, aut Epiſcopos recens ordinatos monitis inſtrueret, ad diverſos ſcripſit, præſertim vero ad Maximum Salonitanum Epiſcopum.

Formulam hanc magna ex parte Joannes VIII. adhibuit, cum anno 878. Walloni, Metenſi Epiſcopo, pallium mitteret: deſcripſit enim verbo ad verbum ad hæc usque; *indiſcretus inveniat.* Adhibuit etiam Leo VII. anno 935. cum pallium tribueret Gerardo Lauriacenſi: ſicut & Alexander II. anno 1062. cum pariter pallium Petro, Dalmatiæ Epiſcopo, dirigeret. Juvat Joannis, Leonis & Alexandri epiſtolas cum formula Diurni componere, inde enim & uſus manifeſtior fiet, & eccleſiaſticæ eruditionis nonnihil exiſtet.

In Ordine Romano, cum ordinatur Epiſcopus, in exhortatione ordinantis, habentur hæc exordio formulæ noſtræ admodum ſimilia: *Si paſtores animalium pro commodo temporali, tanto ſemetipſos labore afficiunt, ut oves dominorum ſuorum absque damno cuſtodiant, & lucrum acquirere poſſint: quid nos e contra in die diſtricti judicii dicturi ſumus, quando apparuerit Paſtor paſtorum, &c.*

menta conſentiant, quatenus, Autore Deo, recte utrobique poſſis eſſe conſpicuus.

Itaque vita tua filiis tuis ſit regula: in ipſa, ſi qua tortitudo illis invecta eſt, ſe erigant: in ea, quod imitentur, aſpiciant: in ipſa ſemper conſiderando proficiant, ut tuum, poſt Deum, videatur eſſe, bene quod vixerint.

Cor ergo neque proſpera, (r) quæ temporaliter blandiuntur, extollant; neque adverſa dejiciant: ſed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ devincatur.

Nullum apud te locum odia, nullum favor indiſcretus inveniat: benignum te boni ſentiant, diſtrictum mali cognoſcant: inſontem apud te ſuggeſtio mala non faciat, nocentem gratia non excuſet: remiſſum te delinquentibus non oſtendas, ne quod ultus non fueris, perpetrari permittas.

Sit in te & boni paſtoris dulcedo, ſit & judicis ſeveri diſtrictio: unum ſcilicet, quod innocentes viventes foveat; aliud,

(r) *Cor ergo neque, &c.*] Adeo ſimilia ſunt, quæ Gregorius Magnus ſcribit ad Maximum Salonitanum, lib. 7. epiſt. 130. ut quæ habet Diurnus, non aliud eſſe videantur, quam Gregorianæ exhortationis explicatio. *Pallium ad ſacra Miſſarum ſolemnia utendum ex more tranſmiſimus, cujus vos volumus per omnia genium vendicare: hujus enim indumenti honor, humilitas atque juſtitia eſt: tota ergo mente fraternitas veſtra ſe exhibere feſtinet in proſperis humilem, & in adverſis, ſi quando eveniunt, cum juſtitia erectam, amicam bonis, & perverſis contrarium, nullius unquam faciem pro veritate loquentis premens, miſericordiæ operibus juxta virtutem ſubſtantiæ inſiſtens: & tamen inſiſtere etiam ultra virtutem cupiens, infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis, tanquam de propriis, exultans: in corrigendis autem vitiis ſæviens, in fovendis virtutibus adjutorum animos demulcens, in ira judicium ſine ira tenens, in tranquillitate autem ſeveritatis ſuæ cenſuram non deſerens. Hæc eſt, frater cariſſime, pallii accepti ratio, quam ſi ſolicite ſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habes.*

aliud, quod inquietos feriendo a pravitate compeſcat. Sed quoniam nonnumquam præpoſitorum zelus, dum diſtrictus malorum vult vindex exiſtere, tranſit in crudelitatem correctio, iram judicio refræna, & cenſura diſciplinæ ſic utere, ut & culpas ferias, & a dilectione perſonarum, quas corrigis, non recedas.

Miſericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibe. Oppreſſis defenſio tua ſubveniat: opprimentibus modeſta erectio contradicat: nullius faciem contra juſtitiam accipias. Nullum querentem juſtitia deſpiciat: cuſtodia in te æquitatis excellat, ut nec diviti potentia ſua aliquid apud vos extra viam ſuadeat rationis audere; nec pauperem de ſe ſua faciat humilitas deſperare: quatenus, Deo miſerante, talis poſſis exiſtere, qualem ſacra lectio præcepit, dicens: 1. Tim. 3. 6. 2. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.*

Sed his omnibus uti ſalubriter poteris, ſi magiſtram caritatem habueris, quam qui ſecutus fuerit, a recto tramite non recedit.

Ecce, frater cariſſime, inter multa alia, iſta ſunt ſacerdotii; iſta ſunt pallii. Quæ ſi ſtudioſe ſervaveris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habes.

Fidem autem, (s) quam in tuis epiſtolis breviter adſcripſiſti,

(s) *Fidem autem*] In ſequenti formula fit pariter mentio fidei minus explicate, quam deceret, expoſitæ. Ex utraque conſtat, I. Fidem mitti ſolitam ab Epiſcopis ad Sedem Apoſtolicam, cum pallium ſcripto peterent. II. Utramque formulam pertinere ad Epiſcopos, qui Sedis Apoſtolicæ ordinationi non ſubjacebant: hi enim & ordinabantur Romæ, & fidem in ordinatione profitebantur. III. Ambas etiam paulo poſt Synodum Quintam eſſe compoſitas: tunc enim opus erat enucleatius fidem ſuam exponere, propter-

ſcripſiſti, licet latius explanare debueras, redemptori tamen noſtro gratias agimus, quod eam in ipſa etiam brevitate rectam eſſe cognovimus.

Sancta Trinitas (t) fraternitatem veſtram gratiæ ſuæ protectione circumdet, atque ita in timoris ſui via nos dirigat, ut poſt vitæ unius amaritudines, ad æternam ſimul pervenire dulcedinem mereamur.

TITU-

propterea quod ſchiſmatici plures Quintam Synodum non admitterent, atque ita eam recipere, teſtimonium foret orthodoxiæ. IV. Utriusque autorem, aut informatorem potius, eſſe Gregorium Magnum: nullus enim fuit curioſior fidei profeſſionisque V. Synodi exactor: unde in profeſſionibus fidei, quas vel Summi Pontifices, vel Epiſcopi, emitterent, tam expreſſa utriusque mentio fiebat.

Ad hunc locum illuſtrandum valet plurimum, quod a Gratiano refertur, cap. *Optatum.* D. C. ex epiſtola Joannis VIII. ad Wilibertum Colonienſem. *Optatum tibi pallium nunc conferre nequivimus, quia fidei tuæ paginam minus, quam oporteat reperire, comperimus: cum videlicet in ea nullam Sanctarum univerſalium Synodorum, in quibus fidei noſtræ Symbolum continetur, nec decretalium Romanorum Pontificum conſtitutorum, ſecundum morem, feceris mentionem; ſed nec illam propria ſubſcriptione munieris, nec aliquem, qui hanc jurejurando firmaret, miſeris.*

(t) *Sancta Trinitas, &c.*] Hæc clauſula ſuperiorem Eccleſiæ ætatem ſapit: nulla porro hac in formula, ſicut neque in conſequentibus tribus, fit mentio plenitudinis *poteſtatis*, nulla *fidelitatis & obedientiæ peculiaris erga ſedem Apoſtolicam*, nulla *vicis Apoſtolicæ atque autoritatis in Epiſcopos*, nulla denique, niſi in tertia, *petitionis* vehementis; ſed tantum ornatus, & incitamenti ad ſanctius vitam inſtituendam.

TITULUS II.

Item aliud.

OFFICIUM Sacerdotis (u) aſſumere, ſi interiori vigilantia perpendamus, plus eſt oneris, quam honoris; quippe cui propria curare non ſufficit, niſi & ſalubriter geſſerit aliena. Nam ad hoc paſtoralis regiminis cura adgreditur, ut aliorum in ſe ſolicitudinem pia proviſione ſuſcipiat, & in eorum ſe cuſtodia vigilanter diſponat, ut lupus inſidians poſſibilitatem in eo irrumpendi non habeat, nec læſionem ovibus inferat. Sic, *quia nimirum* *, curam ſuſcepimus, aſſiduam debemus ſollicitudinem exercere, ut callido antiquoque humani generis inimico aditum precludamus, & totis contra ejus voracitatem viribus obſiſtamus: ne noſtra forte deſidia, rabida, quod abſit, quemquam fauce *deglutiat*: ** quatenus ad noſtram non immerito applicetur pœnam, perditio diræ negligentiæ.

Exhibeamus ergo quod *dicimus*. *** Divina diſpenſatione conſilii præeſſe nos contigit, prodeſſe quantum poſſumus, feſtinemus, ut dum creditor rationes nobiſcum poſiturus advenerit, lucrum nos feciſſe reperiat, & ſua nos, ſicut promiſit, remuneratione lætificet.

Hoc

(u) *Offitium Sacerdotis*] Quin ſecunda hæc formula ex Gregorio Magno accepta ſit, nullus eſt dubitandi locus; id apertè ſtylus, id ſententiæ, id media fere pars quatuor in locis apud Gregorium totidem verbis repetita docet. Præfatio ad hæc uſque verba *remuneratione lætificet*, legitur in epiſtola XI. Leonis noni ad Joannem Salernitanum.

* COD. ROM. pro: *quia nimirum* habet: *qui animarum.*

** Verba, quæ ſequuntur *deglutiat*, ita ex CODICE ROMANO emendanda: *& ejus ad noſtram non immerito applicetur pœnam perditio, qui commiſſos ſollicita cuſtodire cautela negligimus.*

*** COD. ROM. habet poſt *dicimus* verba, *& quibus dicimus.*

Hoc itaque, frater cariſſime, conſidera, & locum, quem adeptus es, non ad requiem, ſed ad laborem, te ſuſcepiſſe cognoſce. Adhortationis ope corda fidelium corrobora, infidelium converte: quod ut facilius adſequi merearis, prædicationem tuam vita (x) commendet: ipſa eis inſtructio, ipſa magiſtra ſit: ad deſiderium æternæ vitæ, docente te, ſuſpirent: tuo viventes exemplo, ad eam perveniant: temporalia deſpiciant: & quæ tranſitura ſunt, contemnentes, ad ea ſemper, quæ nullo fine clauduntur, anhelent.

In his igitur ſtudium adhibe, in his tota mentis intentione perſiſte: quatenus dum tua prædicatione atque imitatione hæc fuerint conſecuti, tanto majora a Deo noſtro recipias, quanto congrua ſolicitudine lucrandis ei animabus officii tui exercere opera minime deſtiteris.

Pallium præterea, juxta antiquam conſuetudinem, fraternitati tuæ transmiſimus, quo ita uti memineris, ſicut prædeceſſores noſtri tuis prædeceſſoribus conceſſere, privilegiorum tuorum ſcilicet integritate (y) ſervata.

Fidem autem fraternitatis tuæ, quamvis in epiſtola quam direxiſti, ſubtiliter debuiſſes exponere; verumtamen

(x) *Prædicationem tuam vita*] Locus affinis apud Gregorium epiſt. 113. lib. 7. Ind. 2. cum Siagrio Auguſtodunenſi pallium mitteret: *Oportet, ut enixius in cunctis ſe ſtudiis fraternitas veſtra exerceat, & circa ſubjectorum actus cura ſit vigilans, ut veſtrum illis exemplum, inſtructio, & vita magiſtra ſit, &c.*

(y) *Privilegiorum integritate ſervata*] Cum mitteretur pallium, aut concedebantur primum, aut conceſſa pridem confirmabantur privilegia. Gregorius Magnus concedit primum Siagrio, *cujus indumenti ne magnificentiam nudam videamur modo contuliſſe, hoc etiam pariter proſpeximus concedendum.* Et poſtea: *Omnino rationis ordo nos admonet, ut cum uſu pallii aliqua largiri privilegia debeamus.* Confirmationis olim conceſſorum ubique paſſim exempla occurrunt.

lætamur in Domino; qui eam rectam eſſe, ex ſolemni Symboli confeſſione didicimus.

Præterea pervenit (z) ad nos, quod ſacri ordines in illis partibus cum datione commodi conferantur: quod ſi ita eſt, flens dico, gemens denuntio, quia, cum ſacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu ſtare non poterit: ſcimus quippe ex Evangelio, quid Redemptor noſter per ſemetipſum fecerit, quia ingreſſus templum cathedras vendentium columbas evertit. Columbas enim vendere, eſt de Spiritu Sancto, quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi, per impoſitionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere: ex quo, ut prædixi, malo jam innuitur, quid ſubſequatur: quia, qui in templo Dei columbas vendere præſumpſerunt, eorum, Deo judice, cathedræ ceciderunt, quia videlicet error in ſubditos cum augmento propagatur: nam ipſe quoque, qui pretio ad ſacrum honorem perducitur, jam in ipſa provectus ſui radice vitiatus, paratus eſt

Matth. 21. 8. 12.

(z) *Præterea pervenit, &c.*] Totus hic locus, de ſimoniaca ordinum collatione, deſumptus eſt ad hæc uſque verba, *pro qua re admoneo*, ex lib. 4. epiſt. Gregorii Magni, epiſt. 50. ad Virgilium Arelatenſem, cum ei pallium mitteret; & epiſt. 55. ad Joannem, Corinthiorum Epiſcopum, ſed præſertim ex epiſtola ejuſdem libri 56. ad Epiſcopos Græciæ, in qua paucis immutatis, continetur clauſula exhortatoria, quæ in aliis duabus deſideratur. Reperitur quoque lib. 5. epiſtola 7. ad Epiſcopos Epiri, uſque ad hæc verba, *Omnus, &c.* cui tamen clauſulæ alia fere par reſpondet.

Inde vero colligere eſt, quantum ſimoniaca lues ea tempeſtate graſſaretur, quantumque ſanctiſſimus Pontifex in ea abolenda laboraverit. Quid porro ſimoniæ nomine comprehenderet, ſatis aperte docet epiſtola 44. lib. 4. Locum conſule, & ſi vis, inde oculos in noſtra tempora reflecte. Inſertus eſt locus idem epiſtolæ 94. Joannis VIII. qua Roſtagno Arelatenſi pallium mittit. Tom. 9. Conc. Gen. novæ editionis.

eſt aliis venundare, quod emit. Et ubi eſt, quod ſcriptum eſt: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Matth. 10. 9. 8.

Cum prima contra ſanctam Eccleſiam ſimoniaca hæreſis ſit exorta, cur non perpenditis, cur non videtis, quoniam, cum quisque cum pretio ordinat, provehendo agit, ut hæreticus fiat?

Pro qua re admoneo atque obteſtor, ut omnino debeas eſſe ſolicitus, ut nihil ſibi commodi datio, nihil gratia, nihil quarumlibet ſupplicatio perſonarum in ſacris ordinibus vindicet: ſed ille ad hoc officium perducatur, quem morum gravitas commendat, & actiones: nam ſi, quod non credimus, fieri tale aliquid ſenſerimus, canonica illud, ut dignum eſt, ſeveritate corrigemus.

Oramus (a) omnipotentem Deum, ut ſua te munitione circumtegat, & ſacerdotii ſuſceptum officium operibus implere concedat.

TITULUS III.

Item aliud.

PALLII uſum, (b) quem ad ſacerdotalis officii decorem, & ad oſtendendam unanimitatem, quam cum beato Petro

R 3

(a) *Oramus, &c.*] Idem fere eſt apud Gregorium epilogus, in epiſtola ad Virgilium Arelatenſem.

(b) *Pallii uſum*]. Hac formula Symmachus anno 501. pallium miſit Theodoro, Laureacenſi Epiſcopo, ut habetur in nova collectione Conciliorum, inter epiſtolas Symmachi epiſt. 11. quæ ex appendice Chronici Reicherſpergenſis, & Metropoli Salisburgenſi Hondii deſumpta dicitur. Legitur etiam apud Goldaſtum in Appendice documentorum.

Hac eadem forma Cæſario Arelatenſi miſſum ab eodem Symmacho pallium dubitare vix licet. Quamvis igitur Symmachi

Petro Apoſtolo univerſum gregem dominicarum ovium, quæ ei commiſſæ ſunt, habere non dubium eſt, Apoſtolicam ſedem, ſicut decuit, popoſciſti, utpote ab eiſdem Apoſtolis fundatæ Eccleſiæ Epiſcopus, majorum petitioni libenter indulſi-

machi ad Cæſarium literas periiſſe, doleat vir doctiſſimus Thomaſinus, opinor tamen jacturam inde poſſe farciri.

Miſſum porro pallium Cæſario a Symmacho, diſcimus ex literis Vigilii Papæ, ad Auxanium Arelatenſem datis anno 543. *Quia*, inquit, *digna credimus ratione compleri, ut agenti vices noſtras pallii non deſit ornatus, uſum tibi ejus, ſicut deceſſori tuo prædeceſſor noſter ſanctæ recordationis Symmachus legitur contuliſſe, beati Petri ſancta autoritate concedimus.*

Sunt qui credant, ante Symmachum a nullo Pontifice datum pallium ulli Epiſcopo, præterquam Oſtienſi a Marco Papa anno 336. ut eo Summi Pontificis ordinator inſigniretur; in eumque ſenſum interpretantur, quod Vigilius ſolius Symmachi meminit, non item prædeceſſorum aliorum. Verum verba hæc formulæ, *majorum more*, & *ſecundum morem tuæ Eccleſiæ*, credulitatem hanc evertunt: fit enim mentio, & *majorum*, qui plures; & *moris*, qui facto uno non inducitur.

Hac etiam forma, paucis immutatis, uſus eſt Paſchalis I. cum Bernardo, Vienhenſi Epiſcopo, pallium mitteret anno 817. Paucis, inquam, immutatis: nam quinque linearum præfationem præpoſuit, & ſolemnem temporum illorum clauſulam ſubjunxit, facta mentione Notarii; & confirmationem privilegiorum addidit, de quibus formula hæc ſilet; & pauca quædam antiquæ formulæ verba prætermiſit, quæ retineri ſatius erat. Vide appendicem Tomi VII. Conciliorum generalium poſtremæ editionis pag. 1869. & obſerva obiter, formulam hanc Diurni trecentis ſaltem annis uſitatam fuiſſe, nempe ab anno 501. quo Symmachus vivebat, ad 817. quo ſcribebat Paſchalis. Saltem dixi: nam ut ſimpliciſſima eſt, primaque omnium, quæ ad nos cum expreſſa pallii mentione pervenerunt, ita antiquiſſima videtur: ſunt enim additamenta, quæ in aliis cernuntur, poſteriorum temporum, a priſtina ſimplicitate recedentium, indicia.

tribuimus, & ad oſtendendam in te, tuamque Eccleſiam, ejuſdem ſedis Apoſtolicæ caritatem, ex noſtri etiam tibi uſu pallii, quo ſecundum morem tuæ uti poſſis Eccleſiæ, illud deſtinaſſe ſignificamus. Fraternitatem tuam congrue ac neceſſe commonentes, ut & creditæ tibi Eccleſiæ opus, & Apoſtolicæ in te ſedis benevolentiam affectumque conſiderans, ita Deo regente cor tuum, commiſſam exequi gubernationem ſtudeas, ut acceptis cujus ornaris officio, dignitate & probitate morum, ac vivacitatis ſollicitudine, & cuſtodita integritate fidei, amplius ſtudeas adornari.

TITULUS IV.

[illegible]

Apoſtolicæ (c) ſedis benevolentia, & antiqua conſuetudine (d) provocati, fraternitati tuæ, quam in Ill. Eccleſia gubernationis ſuſcepiſſe conſtat officium, pallii uſum prævidimus concedendum, illis videlicet temporibus atque eo ordine, quibus deceſſorem quoque tuum uſum eſſe non ambigis. (e) [illegible] Hoc

(c) *Apoſtolicæ, &c.*] Tota quanta eſt, verbo ad verbum continetur lib. 9. epiſt. 8. Gregorii Magni ad Dominum, Epiſcopum Meſſanenſem, ſcribentis anno 595. continetur etiam epiſtola ejuſdem libri 18. ad Joannem Syracuſanum. Præfatio ad hæc uſque verba, *prævidimus concedendum*, poſita fuerat in epiſtola 54. lib. 4. ad Marinianum Ravennatem.

(d) *Antiqua conſuetudine*] Apud Gregorium, *antiquæ conſuetudinis ordine*. Inde vero confirmantur tria. I. Etiam ante Symmachi tempora a Summis Pontificibus miſſa eſſe Epiſcopis pallia; neque enim eſſet antiqua conſuetudo, quæ centum annos non ſuperaret. II. Miſſa eſſe pallia non Metropolitis tantum, ſed etiam Epiſcopis quibuſcumque: temporibus enim Gregorii nullus erat in Sicilia [illegible], qui Metropolitæ jus haberet. III. Quibus incrementis Meſſanenſis civitas in Archiepiſcopalem evaſit.

(e) *Non ambigis*] Apud Gregorium, *non ambigimus*.

Hoc nihilominus admonentes, ut ſicut a nobis hujuſce decoris uſum, ad ſacerdotalis officii honorem, accepiſſe te gaudes: ita etiam morum atque actuum probitate, ad gloriam Chriſti, noſtra ſuſceptum autoritate ſacerdotale adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris invicem honore conſpicuus, ſi ad hujuſcemodi corporis habitum, mentis quoque tuæ bona concordent.

Omnia etiam privilegia, quæ tuæ pridem conceſſa eſſe conſtat Eccleſiæ, noſtra autoritate firmamus, & inlibata decernimus permanere.

CAPUT V.

De præceptis Summi Pontificis ad Epiſcopos ſuæ ordinationis, de ſacris locis & Sanctorum reliquiis.

ARGUMENTUM.

Formulis, hoc capite comprehenſis, deſcribuntur præcepta Summi Pontificis ad Epiſcopos ſuæ ordinationis, de locis ſacris, Sanctorumque reliquiis. Mandat vero loca ſacra, id eſt, baſilicas, oratoria, baptiſteria & altaria conſecrari, ſanctuaria collocari, reliquias concedi vel recondi, levari corpora Sanctorum, & honeſtiore loco reponi; præfici Presbyteros oratoriis & baſilicis. Sunt hic porro non præceptorum tantum, ſed etiam petitionum formulæ.

TITULUS I.

Epiſcopo, de ordinando Presbytero.

PRESBYTER, qui baſilicæ Maſſæ Ill. præfuerat, præſentis ſæculi dicitur vita privatus, in cujus locum ab his, quorum intereſt, Ill. Diaconus ſubſtitui poſtulatur; cujus vitam & converſationem caritas tua diligenti examinatione perquirat:

quirat: & ſi vitæ meritis venerabilium canonum per omnia ſuffragatur autoritas, veſpere Sabbati, (f) ſine ſuffragatione, eum Presbyterum ſolemniter ordinabis: quatenus ſub Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervatione dignus ſit, qui memoratam inculpabiliter gubernare poſſit Eccleſiam.

TITULUS II.
Item aliud.

FILIUS noſter Ill. poſtulavit, in oratorio, inſtantia ſua conſecrato, debere ſibi ordinari Presbyterum: & ideo, ſi fraternitas tua videt expedire, aut quæ donata ſunt, poſſunt ſervientibus ſine querela ſufficere. Supraſcripti deſiderii præbentes effectum, præſenti præceptione cenſemus, ut in eodem loco ordinare, tempore competenti, caritas tua debeat Presbyterum, qui ſit dignis moribus, & fide perfectus.

TITULUS III.
Petitio dedicationis oratorii.

DOMINO ſancto & beatiſſimo Patri Patrum, Ill. Papæ, famulus veſter.

Ad augmentum catholicæ religionis pertinet, quotiens in honore Sanctorum loca venerabilia divino cultui conſecrantur.

In prædio quidem Ill. juris mei baſilicam, ſumptu proprio, me ſuggero conſtruxiſſe, quam in honore Sanctorum Ill. & Ill. Martyrum deſidero conſecrari: cui baſilicæ ad lumi-

(f) *Veſpere Sabbati*] Congruis nempe temporibus jejuniorum. Veſpera autem Sabbati, ſi more antiquo intelligatur, aliud nihil eſt, quam pars illa diei, qua nondum jejunium ſolutum eſſet: atque adeo etiam prima pars diei Dominicæ, ſi ad eam uſque protraheretur jejunium. Vide epiſt. S. Leonis ad Dioſcorum.

luminaria, vel ad alimoniam ibidem ſervientibus offero Ill. & Ill.

Quapropter quæſo Apoſtolatum veſtrum, uti detis præceptiones veſtras ad Ill. venerandum civitatis Ill. Antiſtitem, quatenus ſupra memoratam baſilicam debeat ſacroſanctis myſteriis conſecrare, ut hoc facto, beatitudinis veſtræ temporibus ſancta veneratio ſumat augmentum.

Promitto pariter, nihil mihi de eodem loco ulterius vindicandum, niſi proceſſionis gratiam, quæ Chriſtianis omnibus in commune debetur.

Pari prece depoſco, ut datis affatibus veſtris ad Ill. venerandum Ill. civitatis Epiſcopum, quatenus poſſit mihi reliquias ſupra memoratorum Sanctorum ſolemniter contradere.

TITULUS IV.
Reſponſum oratorii dedicandi.

Petitoria (g) Ill. nobis inſinuatione ſuggeſſit, quod habetur in ſubditis: in fundo Ill. juris Ill. oratorium ſe pro ſua devotione fundaſſe, quod in honorem Sancti Ill. deſiderat conſecrari.

Et ideo fraternitas tua, ſi in tuæ parochiæ memorata conſtructio jure conſiſtit, & nullum corpus ibi conſtat humatum, percepta primitus donatione legitima, id eſt, Ill. & Ill. vel Ill. præſtantes liberos a fiſcalibus titulis, ſolidos tot, geſtiſque municipalibus allegatis, prædictum oratorium abs-

que

(g) *Petitoria*] Hac formula bis uſus reperitur Pelagius I. ſemel Eleutherio, iterum Alterio Epiſcopo ſcribens, ſi credimus Holſtenio, qui ex collectione Cardinalis Deuſdedit epiſtolas illas duas, cum aliis, excerpſit.

Uſus eſt deinde Gregorius Magnus tribus in locis, lib. 7. epiſt. 85. Indict. 2, lib. 8. epiſt. 63. ad Decium Lilybetanum, & lib. 11. epiſt. 20. ad Paſſivum Firmanum.

que Miſſis publicis, ſolemniter conſecrabit, ita ut in eodem loco, nec futuris temporibus baptiſteria conſtruantur, nec Presbyterum conſtituas Cardinalem.

Sed etſi Miſſas fieri ſibi forte maluerit, a dilectione tua noverit Presbyterum poſtulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio Sacerdote nullatenus præſumatur. Sanctuaria vero ſuſcepta, ſui cum reverentia, collocabis.

TITULUS V.

Reſponſum de ſperandis ſanctuariis.

SANCTUARIA (h) beati Ill. Ill. oblata petitione ſibi poſtulat debere concedi, quatenus in ejus nomine baſilica propriis conſtructa ſumptibus ſolemniter conſecrari debeat: & ideo, frater cariſſime, præfati deſideriis, ex noſtra te præceptione convenit obedire, uti devotionis ſuæ, in conſecratione, quam poſtulat, potiatur effectu.

TITULUS VI.

De dandis ſanctuariis.

IN oratorio ab Ill. conſtructo, quod jubente deceſſore noſtro, in honorem beatorum Ill. & Ill. dicitur conſecratum, beati Martyris Ill. accepta ſanctuaria dilectio tua, ſub congrua devotione, reſtituat, ut ſupradicti ſancta religioſa petitio, per operam ſacerdotalis officii, mereatur effectum.

S 2 TITU-

(h) *Sanctuaria, &c.*] Tota hæc formula, quemadmodum & conſequentes duæ, deſumpta eſt ex epiſt. 26. lib. 9. S. Gregorii: habetur etiam lib. 7. epiſt. 107.

Sanctuaria porro ſunt vel ipſæ Sanctorum reliquiæ, vel potius reliquiarum thecæ, vel, ut ajunt, reliquiaria.

TITULUS VII.

De dando beneficio ſancti Angeli.

ILL. beneficia (i) ſancti Archangeli, oblata petitione, ſibi poſtulat debere concedi, quatenus in ejus nomine oratorium, propriis conſtructum ſumptibus, poſſit ſolemniter conſecrari: & ideo, frater cariſſime, præfati deſideriis, ex noſtra te præceptione convenit obedire, ut devotionis ſuæ, in conſecratione, quam poſtulat, potiatur effectu.

TITULUS VIII.

Reſponſio de dedicando oratorio intra Monaſterium Monachorum.

RELIGIOSIS (k) deſideriis ſine difficultate præſtari decet effectum. Quoniam Ill. Sancti Ill. in loco, in quo Monachi

(i) *Beneficia ſancti Archangeli*] Beneficiorum nomine intelligi reliquias, diſcimus ex S. Greg. epiſt. 72. lib. 2 ubi mentio fit de cruce, a Summo Pontifice miſſa ad Dynamium, in qua *beneficia catenæ S. Petri, & craticulæ S. Laurentii inſerta erant.* Sed quæſierit aliquis, quæ tandem cogitari poſſint beneficia & reliquiæ S. Michaëlis: nomine enim Angeli ſignificari Michaelem, certum eſt. Reſponderi poteſt, fuiſſe fortaſſe ramentum ex lapide, in quo olim Archangelus apparuit, aut in Gargano monte, aut alibi uſpiam. Credibilius tamen videtur fuiſſe pallium altari, ſeu memoriæ ſancti Archangeli impoſitum, & pro benedictione petentibus dono datum.

Hanc conjecturam auget, & vix non indubitatam reddit, quod mihi a V. C. Stephano Baluzio communicatum eſt, Excerptum ex Hiſtoria MS. Monaſterii S. Michaëlis Cuxanenſis in diœceſi Helnenſi, quam Garſias, ejusdem loci Monachus, compoſuit circa annum M. XXX. Sic enim habet: *Sunt reliquiæ ipſius glorioſi Archangeli Michaëlis, ex pallio ſcilicet ejus ſanctæ memoriæ.*

(k) *Religioſis, &c.*] Habetur totidem verbis apud Gregorium lib. 7. epiſt.

nachi habitant, oratorium, pro voto ſuo dixit eſſe *fundatum*, * dilectionem tuam præſentibus juſſionibus duximus admonendam, quatenus ad prædictum locum, cum poſtulaverit, ingravanter accedas, veneranda ſolemnia dedicationis impendens, ut, quotiens neceſſe fuerit, a Presbyteris Eccleſiæ, in ſupraſcripto loco deſervientibus, celebrentur ſacrificia veneranda Miſſarum: ita ut in eodem Monaſterio, neque fraternitas tua, neque Presbyteri, præter diligentiam diſciplinæ, aliquid moleſtiarum inferant, ut ſi quid pro diverſorum devotione commoditatis acceſſerit, ſibi æſtiment vindicandum, cum Monachis in eodem loco deſervientibus debeat proficere, quidquid offerri conſtiterit.

TITULUS IX.

De recondendis reliquiis intra Monaſterium.

RELIGIOSIS deſideriis (1) ſine difficultate præſtari decet effectum: atque ideo, quoniam Ill. Abbas Monaſterii Ill. vel Ill. qui eſt ſupradicti Monaſterii, oratorium pro voto ſuo dixit eſſe fundatum, poſtulans, ut dedicari debeat: dilectionem tuam præſentibus juſſionibus duximus admonendam, quatenus ad prædictum locum, cum poſtulaverit, ingravanter accedas, veneranda ſolemnia dedicationis impendens, ut, quo-

epiſt. 49. Inde vero conſtat, quod fuerit jus Epiſcoporum & Presbyterorum in conſecrata oratoria: quod Monachorum in oblationes.

(1) *Religioſis deſideriis, &c.*] Deſumpta formula ex lib. 2. epiſt. 98. S. Gregorii, ſcribentis ad Fortunatum Neapolitanum de Monaſterio, Gratioſæ Abbatiſſæ conſecrando. Affinis eſt etiam epiſtola 52. libri 1. quæ eſt ad Joannem, Epiſcopum Surrentinum.

* COD. ROM. poſt: *fundatum* addit: *poſtulans, ut dedicari debeat dilectionem tuam, &c.*

quotiens neceſſe fuerit, a Presbyteris Eccleſiæ in eodem loco deſervientibus, celebrentur ſacrificia veneranda Miſſarum.

Ita, ut in eodem loco, neque fraternitas tua, neque Presbyteri, præter diligentiam diſciplinæ, aliquid moleſtiarum inferant: aut ſi quid pro diverſorum devotione commoditatis acceſſerit, ſibi æſtiment vindicandum: cum Monachis in eodem loco deſervientibus debeat proficere, quidquid conſtiterit offerri.

Sanctuaria vero ſuſcepta ſui cum reverentia collocabis.

SUPPLEMENTUM EX CODICE ROMANO.

Epiſcopo de levandis ſanctuariis.

Noverit fraternitas tua, pro reliquiis nobis beati martyris Ill. neceſſario opus eſſe, ut in loco, qui venerationi ipſius dedicandus eſt, collocentur. Atque ideo præſentibus affatibus Ill. Sedis noſtræ ſecundum conſuetam reverentiam levatas reliquias contradere non omittas: ut ad nos ſecundum, quod ei injunctum eſt, quantocius valeant deportari.

TITULUS X.

De recondendis reliquiis intra Epiſcopium. (m)

QUONIAM dilectio tua ſanctuaria beati Ill. ſibi noſtra voluntate conceſſa, in oratorio, quod in nomine ejusdem beati Martyris intra Epiſcopium civitatis ſuæ aſſerit conſtruxiſſe, poſtulat recondenda, ut in ejus honorem locus ipſe debeat

(m) *Intra Epiſcopium*] Nota diſciplinam temporis, per quam licebat quidem Epiſcopo civitatis ſuburbicariæ domeſticum habere oratorium, ſed quod rite conſecraretur: nec prius tamen, quam a Summo Pontifice indultum fuiſſet. Unde Gelaſius epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniæ, &c. cap. 4. *Baſilicas noviter inſtitutas, non petitis ex more præceptionibus dedicare non audeant.* Quibus ex verbis id, ab antiquis jam inde temporibus, ſervatum colligitur.

debeat conſecrari, (n) fraternitati tuæ, ſi tamen nullum illic humatum corpus eſſe claruerit, quæ poſtulas, indulgemus, quatenus deſiderii tui, Deo autore, potiaris effectu.

TITULUS XI.
Petitio Epiſcopi.

AD laudem Summi certum eſt pertinere Pontificis, quotiens ſanctarum Baſilicarum copia videtur accreſcere. *In fundo Ill.* * in noſtro territorio conſtituto, Baſilicam me propriis ſumptibus certum eſt fabricaſſe, quam, Deo autore, vobis propitiis, in honorem ſancti Ill. Martyris conſecrare deſidero, cui Baſilicæ (o) ad ſarta tecta, vel ad alimoniam cuſtodum, de ipſius fundi Ill. & Ill. offero: ideoque oro Apoſtolatum veſtrum, uti, data juſſione veſtra, in prædicti *ſancti Ill. Martyris* ** honorem, Baſilicam poſſim dedicare.

TITULUS XII.
Item Reſponſum.

BASILICAM, quam dilectio tua, in honorem beatorum Apoſtolorum Ill. & Ill. nuper fabricaſſe commemorat, facultatem tribuimus dedicandi, præcipue ſi ea ſpatia Eccleſiæ tuæ juris eſſe teſtaris, in quibus eadem eſt fundata conſtructio,

(n) *Conſecrari*] Nondum invaluerat uſus cubicularium, ut ita loquar, clancularium que oratorium. Suum ſingula oratoria lapideum altare fixum habebant, ſuam a domus profanæ tecto ſejunctam fabricam.

(o) *Cui Baſilicæ, &c.*] Nota rurſus temporum morem, quo quisquis Baſilicam ædificaret, deberet ſimul conferre, quod ad ſarta tecta, alimoniam cuſtodum, atque etiam luminaria opus eſſet.

* COD. ROM. legit: *in ill. ſiquidem fundo, ill. territorio.*

** COD. ROM. habet: *ill. Martyris eam conſtatis dedicari honorem: ut Deo propitio ſalvis orationibus veſtris deſiderium meum gaudeam adimpleſſe.*

ſtructio, in qua etiam benedictiones de ſanctuariis Apoſtolicis, id eſt, palliola (p) de eorum confeſſionibus, tradidimus collocanda. Providi quoque Pontificis devotione providebis, ut poſſeſſionem ſervientibus ibidem profuturam, quam de propriis facultatibus deputaſti, ſolemni devotione transſcribas.

SUPPLEMENTUM EX CODICE ROMANO.

Reſponſum ad petitionem Epiſcopi.

Baſilicam, quam dilectio tua in honorem ſancti ill. a te ſuggerit eſſe perfectam, conſecrandi tibi per præceptionis noſtræ ſeriem facultatem noveris attributam: quatenus frater cariſſime, facta primitus donatione, qua petitorio tenetur adnexa, votorum devotionis tuæ deſiderium complens, celebritatis perfectione gratuleris.

Item Reſponſum.

Oblationem dilectionis tuæ boni operis perfectione gaudentes, congrua gratulatione ſuſcepimus. Et ideo baſilicam, quam in beati ill. nomine ſuggeris eſſe conſtructam, præceptionis noſtræ ſerie quantocius conſecrabis: ut princeps Apoſtolorum claritas univerſitatis frequentatione pro ſui reverentia conſecretur: & circumjecta plebs habeat, cujus interventu petitionis ſuæ cito mereatur effectum. Cum tu, ut ea, quæ ad ordinatum ejus collata dicis, vel a te ſuggeris conferenda, ſine dilatione perficias.

TITULUS XIII.

Item Reſponſum.

Ill. in ſolo ſibi conceſſo ab Ill. & in Ill. fundo, petitione oblata, dudum ſe aſſerit Monaſterium condidiſſe, in quo nuper oratorium, quod deerat, eſſe commemorat, petens hoc in honorem Sancti Ill. debere dedicari.

Et ideo, (q) frater cariſſime, ſi in tuæ diœceſis jure conſiſtit

(p) *Palliola*] Brandea vocat etiam, & velamina, ſanctus Gregorius.
(q) *Et ideo*] Solemnis forma præceptionis, quæ in conſequentibus titulis uſurpatur.

conſiſtit antedicta fundatio, præſenti præceptione ſuſcepta, oratorium memoratum ſolita benedictione ſacrabis. Sic tamen, ut non illud publica proceſſione a conditore aliquatenus teneatur: congregationi tantummodo, quæ illic eſſe dinoſcitur, ſacra myſteria celebrabis, quatenus religioſa congregatio, citra ſtrepitum plebis, Domino die noctuque valeat ſupplicare.

TITULUS XIV.

Item Reſponſum.

PETITIONEM dilectionis tuæ, boni operis perfectione gaudentes, congrua gratulatione ſuſcepimus: & ideo Baſilicam, quam dudum aſſeris Arianæ hæreſis ſpeluncam fuiſſe, nunc ſolicitudinis tuæ opera catholicæ fidei, Chriſto, Deo noſtro ac Salvatore noſtro, regnante, aptaveris concedendam, quam poſtulas, ut in honorem beatorum Ill. atque Ill. Martyrum debeat conſecrari.

Et ideo, frater cariſſime, ſi in tuæ parochiæ memorata conſtructio jure conſiſtit, & nullum corpus ibidem conſtat humatum, prædictam Baſilicam reconciliandi, atque conſecrandi, tibi noſtris præceptionibus facultatem noveris attributam.

TITULUS XV.

De altari dedicando.

RELATIONIS tuæ, ſed & petitionis oblatæ ab Ill. tenore decurſo, neceſſe fuit rationabiliter reſpondere: ideoque in altare, quod in Baſilica Sancti Ill. olim dedicata conſtructum dicitur, dilectionis tuæ conſecratio aptata perveniat: quatenus ædificatoris devotio deſiderii ſui plenum ſortiatur effectum.

TITULUS XVI.

De recondendo corpore Sanctorum.

Filius noſter Ill. ſuis nobis ſuggeſtionibus indicavit, partibus Ill. corpus Beati Ill. noviter fuiſſe repertum, & quod Ill. glorioſus genitor ejus in Baſilica, quam noviter ædificavit, idem corpus ſtatuit collocandum, petitque, ut eadem Eccleſia ſolemniter (r) debeat conſecrari.

Ideoque, frater cariſſime, ſi in tuæ parochiæ memorata conſtructio jure conſiſtit, nullumque corpus ibi conſtat humatum, percepta primitus a prædicto viro donatione legitima, quæ in luminariis ejuſdem baſilicæ digne poſſit ſufficere, eamdem Eccleſiam, convocatis aliis fratribus, & Coëpiſcopis noſtris, tibi vicinantibus, ſtude ſolemniter dedicare, quatenus devotionis ſuæ in conſecratione, quam poſtulat, potiatur effectu.

TITULUS XVII.

Baſilica, quæ poſt incendium reparatur.

Basilicam, quam in caſtro Ill. dilectio tua poſt incendium aſſerit reparatam, & in honorem beati Ill. habitatores loci ipſius deſiderant conſecrari, dedicationis tibi in eo præceptionis noſtræ ſerie facultatem tribuimus, ut fidelium devotio competentem ſortiatur effectum. Scias ſanctuaria (s) noviter miſſa: ſanctuaria vero ſuſcepta ſui cum reverentia collocabis.

SUPPLE-

(r) *Solemniter, &c.*] Obſerva geminum conſecrationis modum: communem unum, de quo ſuperiores formulæ; alterum ſolemnem, ad quem vicini Epiſcopi convocantur: talis fuit dedicatio Baſilicæ, quæ Synodo ſecundæ Arauſicanæ occaſionem dedit.

(s) *Scias ſanctuaria*] Roma mittebantur reliquiæ, aut certe accipi aliunde ſpeciali præceptione mandabantur. Sic enim Pontifex aliqua ex parte videbatur ipſe locum ſanctum conſtruere.

SUPPLEMENTUM EX CODICE ROMANO.

Privilegium.

Cum in exaudiendis Dei laudibus debitæ paſtoralis compulſit ſollicitudinis cura, ut quæque ad ſtabilimentum piorum dinoſcitur pertinere locorum, ubertim promulgari, & apoſtolicæ inſtitutionis in privilegiis atque decretis cenſura confirmari conveniat. Nempè nos apoſtolico moderamine ſupraſcripta venerabilia loca, quæ dudum fuerant in ruinis, magnaque inopia ac paupertate degentes, & a nobis - - - iter a ſolo ædificata, & undique ditata, opportune ordinari, ſ - - - ad meliorem ſine dubio ſtatum reducere: præſertim ubi illa petuntur, quæ non ad commodum temporale, ſed ad perpetuam providentiam pertinent Deo ſervientium animarum, ut prædicta ſcilicet venerabilia loca, quæ a nobis in uno conglobata atque annexa ſunt cum propi - - - ſanctorum congregationibus, quæ regulariter - - - cetera deſunt.

TITULUS XVIII.

Baſilica, quæ poſt ruinam alterius juxta ipſam conſtructa eſt.

QUONIAM beati Ill. Baſilicam lateribus aliquando conſtructam funditus perhibes corruiſſe, & ita ruina ipſa vel aliis ſqualoribus eſſe repletam, ut mundari difficilius fuerit, quam ædificari: te autem in vicino omnino ejuſdem loco, Baſilicam aliam, in honorem prædicti Martyris, non de lateribus, ſed de calce atque arena inſtruxiſſe commemoras, ſed & in meliorem longe ſtatum, quam illa fuerat, ſurrexiſſe. Nunc autem facultatem tibi ejuſdem Baſilicæ tribui deſideras dedicandæ, & ut de prædictis ruinis ad novam Baſilicam ipſæ reliquiæ transferantur.

Ideoque, ut pia & juſta ſunt, quæ a tua fraternitate poſcuntur, dedicandi tibi prædictum locum concedimus, Deo propitiante, licentiam; ſed & reliquias cum honore debito

transferendi, (t) atque in ea, quæ a te conſtructa eſt, Baſilica collocandi. Hæc enim ad filiorum Eccleſiæ gaudium, & ad tuæ opinionis, vel etiam mercedis, utilitatem noſcuntur pertinere.

TITULUS XIX.

Petitio de dedicando Baptiſterio.

VOTIVA ſolemnitas animorum exigit augmenta Baſilicæ, quatenus in bonum religionis populi devotio major adcreſcat. Ergo, quia in Baſilica Sancti Ill. & in fundo Ill. juris mei Baptiſterium (u) collocavi, ita ut reliquias in eodem loco ſanctorum Martyrum Ill. & Ill. deſiderem introduci: idcirco provolutus Apoſtolatus veſtri meritum obteſtor, & per ſedem, quam regitis, divinitatis ſorte Vicarii, ut datis ad noſtrum venerabilem Ill. Epiſcopum juſſionibus, in cujus diœceſi videtur eſſe conſtructum, dedicationem Baptiſterii, prædictis Martyribus propitiis, fieri cenſeatis, ut in fide catholica, adcreſcente populo, & agente beatitudini veſtræ gratias, reliquiæ

(t) *Transferendi*] Ut ſine miſſis Roma ſanctuariis conſecrare non licebat Baſilicam, ita neque ea ex uno loco in alterum conſecrationis gratia transferre.

(u) *Baptiſterium*] Non eſt fons ipſe ſacer, ſed ædes Baſilicæ addita, quare dicitur *augmentum Baſilicæ*, rotunda ut plurimum, inſtar teſtudinis, in cujus medio fons ſacer. In nonnullis Eccleſiis, præſertim cathedralibus, ejusmodi ædes conſpicitur etiamnum, quæ, ut non eſt ſub eodem tecto cum Baſilica, ita proprium habet conſecrationis ritum. Depingi ſolebat imaginibus baptiſmorum, in Novo Teſtamento celebrium, Chriſti a Joanne, Eunuchi a Philippo, &c. Ornabatur quoque Sanctorum ſtatuis atque reliquiis: imo & ſuum etiam habuit olim altare. Hæc partim ex veteribus Scriptoribus conſtat, partim ex relictis antiquæ religionis veſtigiis.

reliquiæ collocentur: cui Baſilicæ (x) facta donationis cartula, fundos Ill. & Ill. me collocaturum eſſe promitto.

TITULUS XX.

Reſponſum dedicandi Baptiſterii.

FILIUS noſter (y) in fundo Ill. juris ſui Baſilicam dudum dicatam oblata aſſerit petitione, & ſe prædicta in Baſilica Baptiſterium, quod deerat, ſuggeſſit condidiſſe, quod ſolemni benedictione ſacrari deſiderat, atque in eodem Baptiſterio Sanctorum Ill. & Ill. ſanctuaria debere collocari.

Idcirco, cariſſime frater, ſi in tuæ diœceſis memorata fundatio jure conſiſtit, præceptione ſuſcepta, deſideriis ſatisfacies conditoris: ſic tamen, ut oblatarum rerum primitias donatio ſolemnis (z) præveniat, denuntiaturus ex more, nihil illic juris fundatori ulterius jam deberi, niſi proceſſionis gratiam, quæ Chriſtianis omnibus in commune debetur: quatenus & deſideria conditoris in omnibus compleantur, & per ſacrum lavacrum regenerandis illic peccatorum maculæ deleantur.

 TITU-

(x) *Baſilicæ*] Ubicumque conſtitutum erat Baptiſterium, ſuam habuit plebem, atque ita fiebat, ut more noſtro loquamur, parochialis: unde Zacharias Papa prohibuit, ne Baptiſteria in privatis oratoriis conſtituerentur. Unde etiam in formula dicitur, *quatenus populi devotio major adcreſcat.*

(y) *Filius noſter, &c.*] Hinc accepta eſt magna ex parte, unde & conſequens, paucis quibusdam verbis aliunde aſſumptis.

(z) *Donatio ſolemnis*] Quæ alendo Presbytero Cardinali, id eſt, titulari, ſufficeret: *legitima* dicitur a Pelagio I. & S. Gregorio; a neutro ſumma expreſſe traditur.

TITULUS XXI.

Item Reſponſum.

PETITORIA (a) Ill. nobis ſuggeſſit inſinuatione, quod habetur in ſubditis, in loco Ill. juris ſui Baptiſterium ſe aſſerit conſtruxiſſe.

Et ideo, frater cariſſime, præſenti præceptione ſuſceptâ, deſideriis ſatisfacies conditoris: quatenus per venerandum lavacrum peccatorum illic maculæ deleantur.

CAPUT VI.

De rebus Eccleſiæ procurandis & alienandis.

ARGUMENTUM.

Cum mittitur ad patrimonium gerendum curator, datur primum ei procurandi autoritas: deinde ſcribitur & ad colonos, ut obediant; & ad Patritium Provinciæ, ut patrocinetur; & ad Judicem pariter, ut in cauſis pauperum adjuvet; & ad Epiſcopos loci, ut opem ferant. Poſtea fit poteſtas & conficiendi legitimas locationis cartulas, & commutandi ſive fundos, ſive mancipia, & ſervos ſeu pueros concedendi. Denique poſt rationes adminiſtrationis geſtæ redditas, tribuitur immunitas. Horum omnium formulæ hic habentur, & tres inſuper aliæ: nempe libertatis, qua donatur ſervus, & tractoriarum, quibus, vel qui mittuntur ad negotia ſedis Apoſtolicæ, vel qui redeunt in patriam, poſt limina Apoſtolorum rite ſalutata, inſtruuntur.

TITU-

(a) *Petitoria, &c.*] Formula deſumpta eſt, paucis immutatis, ex lib. XI. S. Gregorii, epiſtola 24. ad Honorium, Epiſcopum Tarentinum.

TITULUS I.

Præceptum, quando laicus tonſuratur, & fit Regionarius.

Quos bonæ vitæ opinio & optimæ converſationis meritum commendat, hos & nos intra Eccleſiaſticum ovile aggregare non deſpicimus.

Et quia ex narratione plurium ſumus ſatisfacti de converſationis tuæ modeſtia, quod elegantis vitæ ſis, dignum cenſuimus inter Clerum hujus Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ te connumerari, ac inter Notarios Regionarios, per hujus præceptionis paginam, ex autoritate beati Petri, Apoſtolorum Principis, cujus licet impares meritis, Deo tamen dignante, vices gerimus, ab hac die noveris te eſſe aſcriptum, quatenus talis beneficii vel promotionis memor exiſtens, diebus vitæ tuæ, in his, quæ injuncta fuerint a proceribus tuis, fideliter ac ſinceriter deſervias, & in cunctis obedientiam & rectitudinem exhibeas, ut Deo, beatoque Petro Apoſtolo, autori & protectori noſtro, acceptus appareas, & apud nos commendatior de fideli ſervitio, atque laude dignus proberis.

TITULUS II.

Præceptum, quando abſens Subregionarius fit Regionarius.

Qui in commiſſis ſinceriter fidem ſuam illibatam exhibet, unde Apoſtolorum Principi, ejusque Vicario, poſſit eſſe acceptus, merito ad incrementum provehitur dignitatis, & fortiori, noſtro interveniente præceptionis annifu, ditatur honore.

Et idcirco de tuis fidelibus ſervitiis, quamquam dudum, tamen & in præſenti ex ſuggeſtione Ill. ſatisfacti, promotionis munificentiam tibi concedimus: & ideo ex autoritate

beati

beati Petri, Principis Apoſtolorum, cujus licet impares meritis, Deo tamen dignante, vices gerimus, noveris te ab hac die inter Regionarios Notarios eſſe adſcriptum, quatenus talis beneficii exiſtens memor, tu quoque meliora valeas ac feſtines demonſtrare ſervitia.

TITULUS III.

Præceptum, eunte ordinatore in patrimonium.

SALUBRI providentia, quidquid Eccleſiaſtica requirit utilitas, illis committendum credimus eſſe perſonis, quas fidei puritas, vel placitæ actionis ſtudium laudabili opinione commendat: quapropter tibi Ill. quod divina gratia ſuffragante dictum ſit, omne patrimonium juris ſanctæ Romanæ, cui Deo autore deſervimus, Eccleſiæ, per inſulam Ill. conſtitutum, præſenti præceptione peræquandum, ſive ordinandum committimus: injungentes, ut colonorum vires, ſub divini judicii contemplatione, conſideres, & quantum penſionis nomine, a præſenti Ill. indictione, inferre debeant, ſolicita proviſione diſponas, ne quiſquam eorum, ultra quam ſufficit, exigi coarctetur, aut amplius quam inferre convenit, minusve, perſolvat; & quidquid tibi, cum Dei timore, provida deliberatione conſtiterit, ejusdem creatoris noſtri dextera protegente, diſponas: ut cui prævideris aliquid relaxandum penſionis, levigationem inveniat; & cui addendum eſſe credideris, quod juſtum eſt, cogatur exolvere: quia id, quod pauperibus erogatur, longe ſit a mercede, ſi in his, a quibus infertur, non fuerit juſte ac miſericorditer diſpenſatum.

TITULUS IV.

Item aliud, fundi Rectori.

QUONIAM in ordinando, ſive diſcutiendo patrimonio ſanctæ Romanæ, cui Deo autore deſervimus, Eccleſiæ, in pro-

in provincia Ill. conſtituto, præſenti Ill. indictione, jubemus te rectorem accedere: te videlicet bene agente, & absque colonorum gravamine converſante, ut divini conſideratione judicii, noſtræ quoque commonitionis memor, ita te efficaciter & fideliter exhibeas, ut nullius neglectus, vel fraudis, quod abſit, alicujus inveniaris ſuſtinere periculum: magis autem id agas, quatenus de fide & induſtria tua divinæ poſſis gratiæ commendari. Ad familias quoque ejusdem patrimonii, ſecundum morem, præcepta direximus, ut nihil, quod ad peragenda ea, quæ tibi injuncta ſunt, in aliquo valeant impedire.

TITULUS V.

Colonis, & Familiæ maſſarum, ſive fundorum, in Provincia conſtitutæ.

AD ſolicitudinem (b) vos Ill. ſedis noſtræ Notarii & Rectoris diſpoſitio noſtra pertinere conſtituit. Jubemus enim, ut ejus, pro Eccleſiæ utilitatibus & cultura agrorum, mandatis parere properetis, & ſalubrioribus obedire præceptis: cui talem dedimus poteſtatem, ut eos, qui contumaces extiterint, diſtricta ſeveritate corripiat. Noveritis enim, ſub hac conditione vos eſſe commiſſos, ut mancipia, ſi qua foris latitant, vel fines pervaſos, ſua inſtantia juri Eccleſiaſtico revocare non differat: pariter etiam periculo ſuo fuiſſe commonitum, ne aliquando violentiam rebus alienis, vel raptum forſitan, facere præſumatis.

TITU-

(b) *Ad ſolicitudinem, &c.*] Deſcripta eſt, paucis admodum immutatis, ex lib. 7. Gregorii, epiſtola 52. ad colonos Syracuſanos: habetur vero totidem verbis in codice Thuanæo.

TITULUS VI.

Præceptum ad commendationem euntis Rectoris in patrimonium, ad Judicem Provinciæ.

Qui, in actione (c) poſitus, bonis ſe omnipotenti Deo commendare ſtudet operibus, viam ſibi profecto ſternit, per quam ſalubriter ad deſiderata perveniat, & ad majora ſemper, Chriſto adjuvante, proficiat.

Itaque præmiſſo ſalutationis alloquio, Ill. Notarium portitorem præſentium, quem ad regimen patrimonii Eccleſiaſtici, in Ill. inſula conſtituti, transmiſimus, veſtræ magnitudini commendamus, ut bonitatis veſtræ illi affectum & gratiam in cauſis pauperum libentiſſime commendetis: atque ita eum, ſicut revera Chriſtianos decet, in omnibus adjuvetis: quatenus dum, vobis concurrentibus, utilitatem commiſſam peregerit, ante omnipotentis Dei oculos, intercedente beato Petro, Apoſtolorum Principe, actionum veſtrarum mercedem invenire, & ejus ſemper debitricem habere Eccleſiam valeatis,

TITULUS VII.

Ad Patricium (d) *Provinciæ.*

Qui illa protegit, unde aliquid accedere cognoſcitur pauperibus alimentum, quid aliud agit, quam de proprio egenti-

(c) *Qui in actione*] Habetur in codice Thuanæo hæc inſcriptione: *Ill. Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Ill. Inſula, Ill. glorioſo Judici.* In fine adduntur aliquot lineæ, quæ in formula ſequenti totidem verbis leguntur, ut ſuſpicari merito liceat, exſcriptorem codicis Thuanæi formulas duas in unam contraxiſſe præ oſcitantia.

(d) *Ad Patricium*] Præfectos Provinciæ intellige, ſive qui ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis mittebantur in Occidentem, ad regen-

egentibus eleemoſynam ſubminiſtrat? Quod & quia ita eſſe, excellentiæ veſtræ indicium non latet, libenter ſcribimus ea, quæ facère vos ſponte confidimus.

Proinde, honore debito ſalutantes, latorem præſentium Ill. cui patrimonii Eccleſiaſtici, in illis partibus conſtituti, cura commiſſa eſt, ſcriptis præſentibus commendantes, petimus, ut ei auxilii veſtri ſalus dignanter aſſiſtat, atque illum, quæcumque cauſa popoſcerit, adjuvet: quatenus pro impenſis patrociniorum bonis, & nos orare pro excellentiæ veſtræ incolumitate enixius provocemur, & beatus Petrus, Apoſtolorum Princeps, cui veſtrum obſequium commodatis, dignam vobis & hic, & in futurum, retributionem compenſet. Nec enim novum vobis eſt, iſta, quæ poſcimus, agere: nam multi exinde venientes tanta de vobis teſtati ſunt, ut majorem de ſublimitatis veſtræ bonitate fiduciam capere, quam olim habuimus, debeamus: quoniam poſtulatus rationi ſine dubio creditur exhibere, quæ conſuevit etiam non poſtulatus præſtare.

Omnipotens Deus ab omni malo vos protegat, & de veſtra nos ſemper faciat ſalute gaudere.

TITULUS VIII.

Item ad Epiſcopos.

NOTARIO (e) Ill. ſanctæ noſtræ Eccleſiæ patrimonium in inſula Ill. a præſenti Ill. indictione, Deo auxiliante, per-

regendas provincias, quas nondum alii Reges occuparant: ſive qui a Regibus Galliarum in ſuis ditionibus conſtituebantur. Eſt apud Gregorium non una epiſtola ad Patricium Siciliæ: ſunt & epiſtolæ plures ad Patricios Galliarum, Arigium, Dynamium, &c. Sunt autem epiſtolæ illæ ita ſimiles huic, ut unum omnes autorem habere merito dici queant.

(e) *Notario*] In codice Thuanæo habetur hæc inſcriptio: *Ill. Epiſcopus,*

peragendum noveritis eſſe commiſſum: quare dilectio veſtra memorato Notario, ubicumque neceſſe habuerit, ſolatia feſtinet impendere: quatenus adjutus veſtro auxilio, quæ ei injunximus, ſine impedimento valeat explicare. ut dum nobis de obedientia veſtra retulerit, apud noſtros animos poſſitis, Deo propitio, melius commendari.

TITULUS IX.

Tractoria. (f)

ECCLESIASTICÆ cauſæ non recepit utilitas tarditatem: ideoque apud excellentiſſimum filium noſtrum Ill. Regem

---

ſcopus, ſervus ſervorum Dei, Ill. Epiſcopis a paribus. Et poſtea: *Nomrius Ill. ſancta noſtra Eccleſia patrimonium, in inſula Ill. ſitum, ab hoc præſenti anno dominicæ incarnationis M. Ill. Deo auxiliante, gubernandum noveritis eſſe commiſſum. Qua de re, &c.*

(f) *Tractoria*] Ante novem annos, cum ad M. Mercatoris Commonitorium notas adderem, utramque edidi, occaſione epiſtolæ illius, quam Zozimus Papa ad omnes orbis Epiſcopos, de condemnatione Pelagii & Cæleſtii, miſit, quamque Mercator Tractoriam dictam tradit. Eo loci Jacobum Gothofredum, codicis Theodoſiani commentatorem, notavi, quod, ubi Bernardinum Ferrarium arguere voluit, Epiſcopos ſcripſiſſet, cum tractoriis ad Synodum a Pontificibus evocarentur, fuiſſe quidem a fidelibus chriſtiana caritate acceptos in via: ſed id tractoriis neque præceptum, neque comprehenſum, imo nec id ex ullo adhuc loco probari. Dixi enim ex his duabus tractoriis, quibus inferioris dignitatis hominibus providetur, exhortatione & præcepto ad fideles, non improbabiliter colligi poſſe, quid de vocatis ad Synodum Epiſcopis ſentire oporteret. Non probavit autor diſſertationis de Literis canonicis, notari a me Gothofredum: ſed ut curſim legerat, quæ ſcripſi, ita contrarium atque dixi, mihi impoſuit. Voluit me locutum de tractoriis Imperatoris, cum de Pontificiis agerem, & negare præceptum de ferenda ope,

Regem Ill. Notarium ſanctæ noſtræ Eccleſiæ deſtinavimus. Exhortamur, ut ei caballos, cum quibus ad vicinam civitatem facile poſſit occurrere, caritas veſtra ſine mora faciat procurare: quatenus actio, quæ ei injuncta eſt, cum divino favore, veſtroque ſolatio, celeriter mereatur effectum.

TITULUS X.

Item tractoria. (g)

PRÆSENTIUM latores pro ſua devotione liminibus beatorum Principum Apoſtolorum præſentati, petierunt, ut a nobis relaxati, valeant ad propria remeare; ideoque præcipimus, quatenus ſine impedimento ſolatium eis ac conſultum impertientes, eos abſolvere (h) debeatis, videlicet ut ex veſtra ſubventione refecti, ſoſpites valeant, & inſontes ad propria repedare. Ad eorum vero ſuſtentationem, itineris adjumentum atque vires impendite, viciſſitudinem vobis a remuneratore omnium bonorum Deo impertiendam abſque dubio præſtolantes.

ope, cum expreſſe affirmarem; quæ fuit incuria legendi: abſit enim, ut aliud quidquam cogitem.

Affinis quædam eſt inter epiſtolas Pelagii I. ab Holſtenio ex collectione Cardinalis Deusdedit excerptas, quas Joanni Comiti, malim *Cantori* Patrimonii, Luminoſum Presbyterum, ad gerendum aliquod ſedis Apoſtolicæ negotium, directum commendat.

Eſt apud Marculfum lib. 1. formula 11. celebris quædam tractoria Regis, evectionem Legato decernentis.

(g) *Item tractoria*] Huic noſtræ tractoriæ affinis eſt, quæ inter formulas veteres decima numeratur, quaque pœnitens, dum expiandi ſceleris gratia peregrinando loca ſancta inviſit, fidelibus commendatur, ut manſionem, focum, panem & aquam ab iis accipiat.

(h) *Abſolvere*] Liberos dimittere.

TITULUS XI.

Præceptum autoritatis de faciendis cartulis.

QUÆCUMQUE ad Eccleſiaſticarum rerum locationes contractusque reſpiciunt, ſicut ſalubre eſt, Pontificale providere conſultum: ita providæ ejus autoritatis intereſſe cenſuram, neceſſe eſt, ut non tantum legaliter, ſed etiam regulariter, poſſit res Eccleſiæ Dei committi poſcentibus.

Quia igitur vineas atque caſales juris ſanctæ Romanæ, cui, Deo autore, deſervimus, Eccleſiæ, in patrimonio Ill. quod curæ tuæ commiſſum eſt, conſtitutas, diverſi ſibi factis cartulis poſtulant debere conduci, atque ipſam conductionem multis deſiderant annis extendi: experientia tua, hac autoritate ſuffulta, prædictas vineas & caſales, cum omnibus eis pertinentibus, factis ſolemniter cartulis, ſub juſta penſione, rationibus eccleſiaſticis annis ſingulis perſolvenda, dare non differat.

Ita ſane, ut nulla ratione præſumas, colonos ſanctæ noſtræ Eccleſiæ emittere, neque locum eis pertinentem ulla ratione uſurpare, & alii cuilibet conducere vel locare: nam ſunt omnia irrita & vacua, quæ feceris, ſi extiteris temerator.

Quatenus hoc modo, interveniente locationis conductionisque contractu, & illis eorum labor ſit utilis, & ſanctæ noſtræ Eccleſiæ procuretur utilitas atque indemnitas.

TITULUS XII.

Item aliud, de faciendis cartulis.

QUAMVIS ea, quæ legaliter geruntur, nulla valeant refragatione convelli, ne qua tamen poſſit eſſe contrahendi dubietas, neceſſario noſtra intervenire debet autoritas.

Quia igitur Ill. vineæ tabulas plus minus tot juris ſanctæ Romanæ, cui, Deo autore, deſervimus, Eccleſiæ, in patrimonio,

monio, quod curæ tuæ commiſſum eſt, conſtitutas, ſibi factis cartulis poſtulat debere conduci, atque ipſam conductionem multis deſiderat annis extendi: experientia tua, hac noſtra autoritate ſuffulta, prædictam vineam, cum omnibus ei pertinentibus, factis ſolemniter cartulis, ſub unius aurei ſolidi (i) penſionem rationibus Eccleſiaſticis annis ſingulis perſolvendam, dare non differat.

Quatenus hoc modo interveniente locationis conductionisque contractu, & illis ſuus labor ſit utilis, & ſanctæ noſtræ Eccleſiæ procuretur utilitas.

TITULUS XIII.

Præceptio de commutando fundo.

QUANQUAM rei commutatio ex ipſa corporali traditione poſſit firma conſiſtere, vel ea, quæ legaliter geruntur, nulla valeant refragatione convelli: ne qua tamen poſſit eſſe contrahendi dubietas, noſtræ debet intervenire autoritatis annisus.

Et quoniam Ill. fundum Ill. poſitum in loco Ill. juris ſanctæ Romanæ, cui, Deo autore deſervimus, Eccleſiæ, popoſcit, atque deſiderat commutare, ad cujus vicem fundum Ill. poſitum in loco Ill. juris proprii concedere velit: experientia tua, hac noſtra ſuffulta autoritate, prædictum fundum Ill. in integro juris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ut præmiſſum eſt, exiſtentem, a præſenti Ill. indictione denominato Ill. contradat atque commutet, ſuſcipiens ab eo nimirum ad invicem ejusdem fundi, in jus dominiumque ſanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, denominatum fundum Ill. in integro, & omnibus ei perti-

(i) *Aurei ſolidi*] Si aureus ſolidus Romanus ſex millibus denariorum æſtimetur, quod vult Caſſiodorus, & ſinguli denarii Romani tribus aſſibus & ſemi, ut habet communis opinio. Aureus ſolidus mille libras Gallicas, & paulo amplius, valet.

pertinentibus, vel quæcumque ſunt nomina ejusdem fundi, quæ in Eccleſiaſtico noſtro Scrinio pro futuri temporis cautela contradere Scriniariis ſanctæ Eccleſiæ noſtræ convenit.

Quatenus hoc modo interveniente, & ille ſuæ petitionis potiatur effectu, & ſanctæ noſtræ Eccleſiæ procuretur indemnitas.

TITULUS XIV.

Præceptum de commutando mancipio.

CONSTAT ſtrenuitatem tuam, juris ſanctæ Romanæ, cui, Deo autore, deſervimus Eccleſiæ, puerum nomine Ill. nutriviſſe, ipſumque in miniſterium tuæ domus per tot annos etiam habuiſſe, quam tuæ ſtrenuitati precatus es nos commutare, ad cujus vicem Ill. puerum natione Ill. juvenem tribuere popoſciſti.

Tuis denique precibus flexi, per hujus noſtræ præceptionis atque commutationis paginam, antefatum puerum in jura noſtræ ſanctæ Eccleſiæ ſuſcipientes, ſibi, qui ſupra Ill. a præſenti Ill. indictione, puerum ante dictum Ill. jure irrevocabili concedimus, atque donamus, nullam jurisdictionis partem ſanctæ noſtræ Eccleſiæ in eum de cætero habere decernentes.

In cujus fidem præceptionis atque commutationis paginam, manu noſtra roboratam, tibi tradidimus.

TITULUS XV.

Item aliud, de commutando mancipio.

ABBAS Monaſterii Ill. propria nobis relatione ſuggeſſit, memorati Monaſterii quemdam ſervum in poſſeſſione Ill. famulam noſtræ Eccleſiæ fuiſſe ſortitum. (k)

Pro

(k) *Sortitum*] Vel optare, vel etiam duxiſſe uxorem.

Pro quibus tuæ experientiæ, (l) præſentis præceptionis noſtræ autoritate injungimus, ut accedens apud locum Ill. in patrimonio Ill. tibi commiſſo, pro prædicta Eccleſiæ famula vicariam ſuſcipias a prædicti Monaſterii hominibus, & commutatione propriam Eccleſiæ emittas, eo, quod colonum Monaſterii eſt ſortita, ut deinceps in poſſeſſione Monaſterii, absque ulla repetitione debeat deſervire.

Pro cujus rei peragendæ firmitate, præſentem præceptionem noſtram intervenire cenſuimus, ut prædicta commutatio omne in poſterum ſtabilitatis robur obtineat.

TITULUS XVI.

Preceptum de donando (m) puero.

NIHIL ſibi ſubtrahit, qui ſedule ſibi miniſtrantibus aliquid largitur, Domino Deo noſtro dicente: *Beatus ſervus ille, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem.* *Luc. 12. v. 37.*

Ideoque, ex Apoſtolica autoritate, tibi puerum, nomine Ill. ex jure Xenodochii Ill. largimur ad ſerviendum, compasſionis modo a nobis tibi impenſo, pro gratitudinibus tuis, atque fideli ſervitio nobis exhibito, quem in tuo dominio, ſub ea conditione ſtatuimus eſſe, ut poſt tui diem obitus, ſi bene ſervierit, jugo ſervitutis abſolvatur, libertate a te munitus.

Quam

(l) *Tuæ experientiæ*] Ad Curatorem patrimonii dirigi præceptum, conſtat ex appellatione, qua ubique paſſim apud Gregorium III. Curatores patrimonii appellantur.

(m) *Preceptum de donando, &c.*] Similes duæ ſunt, aut certe non admodum diverſæ, apud Gregorium Magnum: altera lib. 2. epiſt. 57. qua Theodoro Conſiliario Acoſimum puerum; altera, lib. 10. epiſt. 52. qua Joannem puerum Felici, Portuenſi Epiſcopo, per epiſtolam dono dat.

Quam noſtram autoritatis praeceptionem quicumque maluerit violare, ſit aeternae condemnationis innodatus vinculo.

TITULUS XVII.

Item praeceptum de concedendo (n) *puero.*

EXEMPLO paſtoralis benignitatis accenduntur fidelium animae, & maxime miniſtrorum Eccleſiaſticae dignitatis; ut fidelia ſervitia in commiſſis, non ſolum ipſi exerceant, verum alios adhibere commemorent.

Quapropter fidelibus ſervitiis tuis ſatisfacti, dilectioni tuae Ill. puerum, qui ex colonatu maſſae Ill. patrimonii Ill. juris ſanctae Romanae, cui, Deo autore, deſervimus Eccleſiae, cognoſcitur, collocata tibi munificentia, Apoſtolica autoritate donamus, cedimus, atque largimur, & juri atque dominio tuo eundem Ill. puerum conferimus. Ita ut, ab hac die, ut proprius dominus, ejus ſervitio potiaris; & quidquid de eo facere volueris, liberam ex noſtra autoritate habeas facultatem: quatenus hoc beneficio potitus, etiam meliora nobis, ac fideliora obſequia exhibere inviteris.

TITULUS XVIII.

Item praeceptum de concedendo.

CREDIMUS ad augmentum & laudem ſanctae Eccleſiae pertinere, ſi ex donis beati Petri, Apoſtolorum Principis, cujus, licet impares meritis, vices tamen, Dei dignatione, gerimus, ejus utilitatibus fidelia exhibentibus ſervitia, aliquid largiamur: non enim reſpicit ad diſpendium, quod eis irrogatur, dum largitatis Apoſtolicae munificentia invitantur majori

(n) *Praeceptum, &c*] Haec & alia conſequens a priore differt, quod prior largiendae teſtamento libertatis conditionem apponat, poſteriores nullam.

majori ſtudio atque alacritate in commiſſis invigilare miniſteriis, & ſolerti cura erga creditas utilitates impendere devota mente certamina.

Igitur tuis fidelibus atque ſinceris provocati ſervitiis, ad aliquantulam tuæ puritatis remunerationem, ex largitate beati Petri, Apoſtolorum Principis, in præſenti Ill. indictione, donamus tibi atque largimur puerum, nomine Ill. natione Ill. ex familia ſanctæ Romanæ, cui, Deo autore, deſervimus Eccleſiæ, in tua transferentes jura, ita, ut in eo jus atque dominium, ut in propriis famulis, habere debeas: nec licentia ſit cuilibet, a tuo aliquando jure auferre, quidquid tuorum ad aliquantulam recompenſationem ſervitiorum bona voluntate dignoſcimur contuliſſe.

Quam donationis paginam manibus noſtris roboratam, tuæ dilectioni tradidimus pro futura cautela.

TITULUS XIX.

Securitas. (o)

JUSTITIÆ conſentaneum eſſe dignoſcitur, ut ii, qui Eccleſiaſticis utilitatibus fideliter ſerviunt, perfecta debeant

(o) *Securitas*] Non eſt tantum acceptilatio vel apocha, ſed rationum rite redditarum teſtimonium, quo muniti Procuratores rerum Eccleſiaſticarum ſecuri vivebant. Vox iſta ſic accipitur epiſt. 42. lib. 1. Gregorii Magni.

Suſpicor, ſecuritatis formulas iſtas duas ad poſteriora tempora pertinere: nam ſubſcribendi formam, quæ Notarii nomen in utraque apponitur, vix reperitur ante nonum, aut etiam decimum ſæculum; & actionaria portarum urbis, cujus mentio fit, in poſteriore ſpectat tempus, quo Summi Pontifices jam dominabantur Romæ. Accedit, quod terribilis illa comminatio, quæ eidem poſteriori formulæ ſubjungitur, ſervorem noni ſeculi, decimique, genium ſapiat: adde, ſi volueris, corruptiorem Latinitatem.

ſecuritate muniri, quatenus nullam impoſterum a quoquam patiantur jacturam.

Et quoniam patrimonium Ill. juris ſanctæ Romanæ, cui, Deo autore, deſervimus Eccleſiæ, curæ tuæ commiſſum eſt, cujus exactionem, per noſtrum diſpoſitum, feciſſe dignoſceris, præſenti Ill. indictione de nuntiatica, vel de aliis accidentibus cauſis, prædicta Ill. indictione, pro quo tradidiſti nobis de ſupraſcripto patrimonio, in auro ſcilicet ſolidos X. boves numero pari X. caballos X. vaccas X. porcos juxta antepoſiti tui tenorem.

TITULUS XX.

Securitas.

Constat nos magnitudini veſtræ commiſiſſe actionaria de diverſis portis hujus Romanæ urbis ad peragendum in fide dominicale, (p) de hac tranſacta indictione, cujus exactione feciſſe dignoſceris fideliter, quodcumque exinde abſtollere exigereque valuiſtis, ſine ulla fraude præſentare atque adſignare in integro viſi eſtis, & in omnibus a vobis completi ſumus de eadem actionaria: nihilque apud vos remanſiſſe manifeſtum eſt, dum omnia puriter fideliterque cum omni integritate manifeſtum eſt vos præſentaſſe.

Statuentes Apoſtolica cenſura, & autoritate beati Petri, Principis Apoſtolorum, ut nullus unquam, ſit licet magna, parvaque perſona, præſumat quoquo modo vos, heredeſque veſtros, pro eadem actionaria moleſtare, aut qualibet requiſitionis controverſiam vobis veſtriſque hæredibus inferre: unde ampliſſima vobis hæredibuſque veſtris cautela plenariam ſecuritatem duximus muniendam, quam Ill. Notario & Scriniario ſedis noſtræ ſcribendam præcipimus, cuique manu noſtra ſubſcripſimus, & vobis contradidimus. ſub die Ill. Imper. Domino, filioque, & cætera.

TITU-

(p) *Dominicale*] Jus domini.

TITULUS XXI.

Præceptum libertatis. (q)

DOMINO credimus Deo noſtro placere, quod pietatis intuitu diſcreta proſequitur compaſſio, eo dicente: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Ipſe namque in ſuis legitur eloquiis, conductis operariis tribuiſſe mercedem. Oſee 6. v. 6. Matth. 9. v. 13.

Ad cujus imitationem, nos, qui paſtoris vices, eo diſpenſante, gerimus, fidelia exhibentibus ſervitia, præmia laborum reddere debemus, ut illi, quod miſerendo fecerimus, ſit acceptabile.

Igitur ſervitiis exhibitis, prona, in quantum voluiſti, mente, quibus noſtro in commiſſis animo ſatisfeciſti, te Ill. ſanctæ, cui, Deo autore, ſervimus Eccleſiæ, famulum, autoritate beati Petri, Apoſtolorum Principis, per hujus noſtræ præceptionis paginam, recompenſationis munere, a præſenti Ill. indictione, cumulo libertatis (r) largito, ab omni ſervili fortuna & conditione liberum eſſe cenſemus, civemque Romanum ſolutum ab omni ſubjectionis noxa decernimus:

(q) *Præceptum libertatis*] Deſumpta videri poteſt aliquatenus hæc formula ex epiſt. 12. lib. 5. Gregorii Magni, ubi Montana & Thomas libertate donantur, ſuntque cives Romani.

Porro autem plures ſunt in collectione V. C. Bignonii ingenuitatis formulæ, plures quoque eruditæ ad eas, ſive quæ apud Marculfum, ſive quæ in tribus aliis veterum formularum collectionibus habentur, notæ. Nulla tamen huic noſtræ conferenda, qua, *cui cumulum libertatis largitur, civem Romanum declarat*; nec jure cuiquam debere *aliud*, *niſi ſolam ſalutationem, profectoque rite poſſe degere*: quibus omnia ingenuitatis jura comprehendi apertum eſt. Merito igitur hæc ſingularis forma [illegible] eſt.

(r) *Cumulo libertatis*] Id eſt, pleniſſima illa libertate, quæ juſta appellatur, *Inſtit. de libertinis, tit. 5.*

nec aliud cunctis, niſi ſolam ſalutationem debere, ut perfecto, abſolutus jugo ſervili, ritu poſſis degere, quibus advixeris diebus, & more liberorum, Deo agens gratias, pro cujus hoc amore & mandato te conſtat promeruiſſe.

CAPUT VII.

Diverſa Privilegia Apoſtolicæ autoritatis, conceſſa Monaſteriis, Diaconiis, & Xenodochiis.

ARGUMENTUM.

Comprehenduntur hoc capite diverſa privilegia Apoſtolicæ autoritatis, Monaſteriis, Diaconiis, & Xenodochiis, aliisque piis locis conceſſa; neque viſus eſt debere ullus alius ordo ſtatuendus, quam qui reperitur in codice MS. in quo perturbate omnia permiſcentur: ponitur tamen in fronte, propter ſingularitatem, Prologus in Judicatum.

Non præſto ætatem omnium ejuſmodi formularum: ſuſpicor enim id accediſſe collectioni iſti, quod Ordini Romano, qui cum ſimplicior eſſet primum, breviorque, additamentis auctus eſt. Opinor ab audaci manu inſerta eſſe huic parti quædam ſequioris ævi: neque enim præcedentis ætatis leniori ſpiritu plena ſunt, ſed terribiliter minantur; qui genius novi decimique ſæculi.

Pauciſſima quædam obſervavimus ad ſingulas formulas, quoniam nihil admodum Eccleſiaſticæ vetuſtatis habent, nihil reconditioris doctrinæ: voces autem inclinatæ Latinitatis, ſi quæ occurrant, ex Gloſſario V. Clar. Cangæi facile intelligentur.

Prologus in Judicatum.

CUM pro exequendis juſtitiæ profectibus, & altercantium ſopiendis tergiverſationibus, paſtoralis nos vehementer pro-

provocare dignoſcatur ſollicitudo curæ: idcirco vigilantius inſiſtimus, ut, ſi qua inter partes deceptio exoritur, liquida protinus indagine jus perſcrutari, & æquitatis moderamine, quoad cuncta congruant, limari queat.

Et quoniam conſtat, &c.

Privilegium.

I.

QUONIAM (s) ſemper ſunt concedenda, quæ rationabilibus congruunt deſideriis, oportet ut devotio conditori piæ conſtructionis oraculi in privilegiis præſtandis minime denegetur.

Igitur quia poſtulaſti a nobis, quatenus Monaſterium Sancti Ill. ſitum in loco Ill. privilegiis ſedis Apoſtolicæ decoretur, ut ſub jurisdictione ſanctæ, cui, Deo autore, deſervimus Eccleſiæ, conſtitutum, nullius alterius Eccleſiæ jurisdictionibus ſubmittatur.

Pro quà re piis deſideriis faventes, hac noſtra autoritate, id quod expoſcitur, effectui mancipamus: & ideo omnem cujuslibet Eccleſiæ Sacerdotem in præfato Monaſterio ditionem quamlibet habere, vel autoritatem, præter ſedem Apoſtolicam, prohibemus: ita ut niſi ab Abbate Monaſterii fuerit invitatus, nec Miſſarum ibidem ſolemnitatem quiſpiam præſumat celebrare, omnimodo conſtituentes per hujus decreti noſtri paginam, atque interdicentes omnibus omnino cujuslibet Eccleſiæ Præſulibus, vel cujuscumque dignitatis poteſtate præditis, ſub anathematis interpoſitione: qui præſumpſerit, præſentis conſtituti a nobis præfato Monaſterio indulti, quolibet modo exiſtere temerator, &c.

Privi-

(s) *Quoniam, &c.*] Zacharias Papa hac formula privilegium Bonifacio, fundatori Monaſterii Fuldenſis, conceſſit anno circiter 750.

Privilegium.

II.

QUONIAM (t) ſemper, *ut ſupra, uſque ad hoc verba*, exiſtere temerator.

Statuentes inſuper Apoſtolica cenſura, ſub divini judicii obteſtatione, & validis atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut neque ullus Sacerdos unquam præſumat, vel quiſpiam alius, quæ in eodem ſancto loco largita atque oblata ſunt, & in poſtmodum illic conceſſa fuerint, vindicare, ſed firma ſtabilitate, juris ipſius prælati Monaſterii exiſtenda, atque in perpetuo permanenda ſtatuimus. Nec licentia ſit, ut dictum eſt, ex ejus, vel omnibus eidem Monaſterio pertinentibus, cuiquam magnæ parvæque perſonæ auferre, ut profecto isdem venerabilis locus juxta id, quod ſubjectus Apoſtolici conſtituti atque privilegii tenor conſiſtit, inconcuſſe dotandus permaneat.

Si quis autem, quod non optamus, nefario auſu præſumpſerit, hæc, quæ a nobis ad laudem Dei, pro ſtabilitate jam dicti Monaſterii, ſtatuta ſunt, refragari, aut in quoquam transgredi, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo & ejus atrociſſimis Pompis, (u) atque Juda, traditore Domini

(t) *Quoniam, &c.*] Hac formula, pluribus interpolatis, uſus eſt Stephanus II. anno 757. cum Fulrado, Abbati S. Dionyſii, diploma mitteret, de libertate Monaſteriorum, quæ vel ipſe, vel ſucceſſores per Franciam condituri eſſent.

(u) *Pompis*] Leo IX. undecimo ſæculo epiſtola II. ad Epiſcopum Salernitanum : *Si quis autem contra hujus noſtræ præceptionis privilegium agere præſumpſerit, aut præſumentibus conſenſerit, aut fautor extiterit, &c. ſciat ſe autoritate beati Petri, Apoſtolorum Principis, cælorum regni clavigeri, noſtraque anathematis vinculo innodatum, & a regno Dei alienatum, atque cum Diabolo, & ejus atrocis-*

Domini noſtri Jeſu Chriſti, æterni incendii ſupplicio concremandum deputari. At vero, qui pio intuitu obſervator in omnibus extiterit, cuſtodiens hujus noſtri Apoſtolici conſtituti ad cultum Dei reſpicientis præceptionem, benedictionis gratiam a miſericordiſſimo Domino noſtro multipliciter conſequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Privilegium Monaſterii.

III.

CREDITÆ ſpeculationis impellimur cura, atque etiam ardore chriſtianæ religionis, & ſtudio divini cultus promovendi, pro venerabilium locorum, atque Deo ſervientium, cogitare ſtabilitate, ut hoc provenientе pio labore & animæ Chriſto dicatæ, quæ ſe in illis diebus vitæ earum, ſervituras decreverunt, perſeverent imperturbatæ, nec non illa maneant fine tenus firma, quæ a Chriſtianis in Dei laudem conſtructa ſunt.

Quia

---

atrociſſimis Pompis tranſgreſſorum Sanctorum Patrum canonica traditione deputatum, &c.

Joannes VIII. ante ducentos annos in privilegio Monaſterii Tornutienſis pro Pompis Angelos dixerat: more Scripturæ: *Cum Diabolo & Angelis ejus perpetuo incendio cremandum.*

Si pateretur hic locus reconditioris doctrinæ aliquid comminiſci, diceretur forſan, emendanda lectio, legendumque *Pompæis*. Sunt enim Pompæi deductores animorum ad inferos, fuitque olim πομπαῖος Mercurii cognomen apud Sophoclem in Ajace: quamquam retineri poteſt vox *Pompis*, ut ſignificet ſatellites, &, ut loquitur Scriptura, Diaboli Angelos: nam Pompæ nomine intellexerunt veteres, non ſpectacula tantum, ſed & ſtipatores atque geſtatores ſpectabilium rerum: unde Cicero dixit *lictorum pompam.*

Quia igitur Monaſterium ſancti Chriſti Martyris, Stephani, (x) quod intra atrium beati Apoſtoli Pauli fundatum eſt, omnino conſtat, jam elapſo tempore, congregatione ſervorum aut ancillarum Dei, nudatum, & ſolitudini, nullo Præpoſito in eo aut Monachis habitantibus, traditum: permoti proinde compaſſione tanti piaculi, ac compulſi dolore, Apoſtolica autoritate, providimus Monaſterio tibi commiſſo idem Monaſterium ſociare, quatenus a præſenti III. indictione atque in perpetuum, a te tuiſque ſucceſſoribus, cum ſibi omnibus ſubjacentibus, in integro diſponatur, atque cum Dei timore regatur, ut veſtro conjunctum ſubſiſtat Monaſterio: ita ut in eodem venerabili loco Domino Deo noſtro laudes exolvere debeatis, nullam vos rationem exinde vel ei pertinentibus, niſi ſoli Deo, ſolvere, hac noſtra autoritate ſtatuimus: fabrica autem, ſeu luminariorum concinnatio, indifferenter, vobis ſine dubio procurantibus, efficiatur.

Nulla proinde in exolvendis Deo laudibus, vel in luminariis concinnandis, mora proveniat: ſed devota ſinceritate peragere feſtinate, ac ne per incautæ deſidiæ culpam judicii vos futuri metus concutiat, potius elaborare ſtudete, ut divina placetur veſtro conatu clementia, poſſitque manere hoc, quod a nobis juſta deliberatione decretum eſt, futuris inconvulſe perpetuiſque temporibus.

Privilegium.

IV.

SPIRITUALIUM præmiorum munificentiam religioſis viris, caſtamque vitam degentibus, cum mittit præſularis autoritas

(x) *Stephani.*] Leo IV. qui creatus eſt Pontifex anno 847. collapſum S. Stephani, Protomartyris, Monaſterium reſtituiſſe ſcribitur: verum cum Monaſterium illud vicinum Baſilicæ ſancti Laurentii fuiſſe dicatur; iſtud vero, de quo hic agitur, intra ſancti Pauli atrium, neceſſe eſt ut ſit diverſum.

ritas ad futuræ prorſus viciſſitudinis cumulum proficiens, laudabili poterit apud omnium conditorem mercimonio æternam obtinere memoriam.

Hinc proinde certam habentes ſolicitudinis tuæ religioſæ conſtantiam, piis ſemper ſtudiis inhærentis, & ſobria converſatione pollentis, præfata venerabilia loca Ill. beatorum Ill. poſita in loco Ill. nimia egeſtate obrui reperta, prædeceſſorum incuria, tibi per hujus noſtræ præceptionis paginam omnibus diebus vitæ tuæ, ad regendum ac diſpenſandum committimus, tuæ religioſitati & ſucceſſoribus tuis in perpetuum donantes Monaſterium Ill. ſitum in loco Ill. cum quo pariter conſociantes ei & dicto Ill. qui ponitur in loco Ill. cum omnibus ad eadem venerabilia loca pertinentibus urbanis, vel ruſticis prædiis in integrum: ea prorſus ratione, ut omnem, qua indigent præfata, fabricam ac reſtaurationem, ſeu luminariorum concinnationem, omni ſepoſito neglectu, perficere ſtudeas, ut hæc perficiens nullo modo a quopiam ejici, aut alienari dubites. Imo magis omnium eorumdem venerabilium locorum, ut præfatum eſt, augmentum & compendium, fabricam ac meliorationem perficere ſtudeas, ſub divinæ retributionis intuitu. Nos autem omnibus omnino indicimus noſtris poſteris ac ſucceſſoribus, hujus piæ diſpoſitionis cenſuram fine tenus inviolatam ſervare.

Privilegium.

V.

Cum magna nobis ſolicitudine inſiſtat cura pro univerſis Eccleſiis ac piis locis vigilandi, ne aliquam neceſſitatis jacturam ſuſtineant, ſed magis propria utilitatis ſtipendia conſequantur: ideo convenit nos paſtorali tota mentis integritate eorumdem venerabilium locorum maximæ ſtabilitatis integritatem procurare, & ſedule eorum utilitatum ſubſidia conferre: ut Deo noſtro omnipotenti, id, quod pro

ejus ſanctimoniis, honore etiam & laude, atque gloria ejus divinæ majeſtatis, venerabilibus nos certum eſt contuliſſe locis, ſit acceptabile, nobiſque, ab ejus locupletiſſima manu, digna hujuſmodi pii operis in ſidereis conferatur arcibus remuneratio.

Igitur quia petiiſtis a nobis, quatenus fundos Ill. atque Ill. ſitos in loco Ill. tuæ religioſitati ad tenendum, emiſſa præceptione, in perpetuum concedere deberemus: ita ſane, ut a vobis, &c.

Statuentes Apoſtolica cenſura, autoritate beati Apoſtolorum Principis, ſub divini judicii obteſtatione, & anathematis interdicto, ut nulli unquam noſtrorum ſucceſſorum Pontificum, vel alii cuilibet magnæ parvæque perſonæ, ipſa prænominata loca a poteſtate & ditione jam præfati Monaſterii auferre, vel alienare, ſit licitum, ſed potius in proprio ſuo conſiſtant.

Si qua autem temerario auſu parva magnaque perſona contra hoc noſtrum Apoſtolicum decretum agere præſumpſerit, ſciat ſe anathematis vinculo eſſe innodatam, & a regno Dei alienam, & cum omnibus impiis æterno incendio & ſupplicio condemnatam: at vero, qui obſervator extiterit præcepti, gratiam atque miſericordiam, vitamque æternam, a miſericordiſſimo Deo noſtro conſequi mereatur.

Privilegium.

VI.

CONVENIT (y) Apoſtolico moderamini pia religione poſcentibus benevola compaſſione ſuccurrere, & poſcentium

(y) *Convenit, &c.*] Agapetus II. hujus formulæ exordium uſurpavit, cum anno 949. Aymardo, Cluniacenſi Abbati, privilegium concederet: uſurpavit etiam Joannes XIII. cum Berengario, Virdu-

tium animis alacri devotione impertiri aſſenſum: tunc enim potiſſimum præmium apud conditorem omnium reponitur Deum, quando venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint, ſine dubio, ſtatum perducta.

Igitur, quia petiiſtis a nobis, quatenus fundum Ill. &c.

Statuentes Beati Petri, Principis Apoſtolorum, autoritate, cujus nos, etſi impares meritis, divina tamen gratia ſuffragante, vices gerimus, ſub anathematis interdictione, & divini judicii obteſtatione, hæc, quæ a nobis compaſſionis modo decreta ſunt, quempiam in quoquam convellere, ſed potius firma ſtabilitate inconvulſa perpetuis permanere temporibus, definimus.

Privilegium.

VII.

Tanto plus Eccleſiaſticæ res protenſiori incremento proficiunt, quantum ex eis ſtudio pietatis, egentibus aliquid fuerit, vel Chriſto ſervientibus, aut locis venerabilibus commodatum. Unde enim credita, miſerante Deo, ſuſcepimus, optima diſpenſatione ejus potentiæ reſtitui non dubitamus, atque nos fiduciam, de obtinendo præmio futuro, tenemus.

Igitur, quia petiiſtis a nobis, quatenus fundum Ill. &c.

Statuentes quapropter Apoſtolica autoritate, ſub interminatione futuri judicii, nulli licere noſtrorum ſucceſſorum, vel alii cuilibet, hæc, quæ a nobis intentione decreta ſunt pia, in quoquam convellere, potius firma ſtabilitate inconvulſa manere, atque ſub anathematis vinculo perpetuis temporibus obſervanda definimus.

Virdunenſi Epiſcopo, ſcriberet de Monaſterio, quod idem Berengerius in ſuo Epiſcopio conſtruxerat, privilegiis Apoſtolicis confirmando: uſurpavit denique Leo IX. cum anno 1049. Hugoni Cluniacenſi immunitatem largiretur.

Privilegium.

VIII.

DIVINA nos ac ſaluberrima præcepta, & ſanctorum Canonum ac venerabilium Patrum inſtruunt efficaciter documenta, omnium Eccleſiarum Dei, pio conſiderationis intuitu, imo & Apoſtolici moderaminis anniſu, utilitatum commoditatem, atque firmitatis perficere integritatem, quatenus procurata earum utilitatum ſubſidia exiſtunt, inconcuſſa permaneant, atque perſonæ divino cultui dedicatæ, in laudibus Dei diutiſſime perſolvendis valeant proficere.

Nam profecto inter cætera paſtoralis congruæ operationis certamina, quæ indeficienter ſtudemus procurare, hoc procul dubio commiſſa ſollicitudo nos provocat, pia conſideratione, ſancire, ut nullam indigentiæ inopiam, quæcumque Eccleſia, quæ ſub Epiſcopali regimine conſtituta eſt, quoquomodo perpeti debeat. Et ideo fas exigit æquanimiter nos uniuſcujuſque Eccleſiæ privilegia, juraque Parochiarum, ac Diœceſeon, & Monaſteriorum Apoſtolica cenſura promulgare poſſidenda, ut ex hoc & ſanctorum Canonum inſtituta illibata permaneant, & nobis lucri potiſſimum præmium a conditore omnium Deo conferatur.

Igitur, &c.

Privilegium. *

IX.

CUM piæ deſiderium voluntatis, & *laudanda de bonis* ** intentio Apoſtolicis ſit ſemper ſtudiis adjuvanda, cura eſt ſolicitudinis adhibenda, ut ea, quæ legaliter geruntur, & æqui-

* Habetur hic Privilegium Reginæ cuidam conceſſum, in gratiam monaſteriorum ab ea conditorum. Editi Reginæ nomen haud exprimunt: CODEX ROMANUS vocat CYNEDRIDAM.

** Rectius COD. ROM. *laudandæ devotionis*.

æquitatis formæ conveniunt, nulla valeant refragatione perturbari, ſed irrefragabili jure, Deo autore, debeant permanere; & ob hoc Apoſtolicis promulgatis ſanctionibus, propria unicuique, quæ ſuppetunt, rationis fas exigit, poſſidenda confirmari. (z)

Et ideo, quoniam conſtat, excellentiam veſtram plurima Monaſteria tam conſtruxiſſe, quam acquiſiviſſe, & cuncta in honore & nomine fautoris veſtri, beati Petri, *conſtituiſſe* * dedicare: quibus & diverſa agrorum prædia ac poſſeſſiones, & famulorum multitudinem videmini contuliſſe: quæ omnia ſub tuæ excellentiæ ditione, vel conjugis *tuæ Ill.* ** Reginæ, & natorum veſtrorum genealogiæ, in perpetuum eadem Monaſteria & agrorum poſſeſſiones, cum omnibus originalibus famulis, ac manentibus, vel univerſis ſibi pertinentibus, Apoſtolicæ ſedis privilegiis popoſciſtis confirmare detinenda, ſicuti inferius aſcripta, eadem loca atque agrorum prædia continere monſtratur, ſcilicet, &c.

Privilegium.

X.

CONVENIT Apoſtolico moderamini, pia religione poſcentibus, benevola compaſſione ſuccurrere, & poſcentium animis alacri devotione impertire aſſenſum: ex hoc enim

(z) Paſchalis I. ad Petronacium, Ravennatem Epiſcopum, utitur toto hoc exordio ad ea uſque verba, *& ideo, quoniam conſtat:* ſed voces in Conciliorum generalium Tomo VII. pag. 1502. ita mutilatæ ſunt, itaque corruptæ ac perturbatæ, ut omni ſenſu careant; hinc tamen emendari poſſunt.

* COD. ROM. habet: *conſtituiſſe ac dedicaſſe.*
** COD. ROM. legit: *tuæ ill. Cynedride Reginæ;* quæ Anglorum regina haud dubie fuit, aut certe Regis Angliæ filia. MABILL. *in muſ. Ital.*

enim huic potiſſimum præſidium, in conditore omnium Deo, & procul dubio; pro hoc conſervandum venerabilia loca, quæ ordinata, ad meliorem fuerint, ſine dubio, ſtatum perducta.

Igitur, quia petiiſti a nobis, quatenus Monaſterium Sancti Ill. poſitum in loco Ill. juris ſanctæ Romanæ, cui, Deo autore, deſervimus Eccleſiæ, tibi ad regendum, ac cum Dei timore diſpenſandum, emiſſa præceptione, concedere deberemus: inclinati precibus tuis, per hujus præcepti ſeriem, ſupra ſcriptum Monaſterium integrum, cum omnibus pertinentibus, a præſenti Ill. indictione, & donec, Deo jubente, advixeris, tibi concedimus, cum Dei timore regendum atque diſpenſandum: ea dumtaxat ratione, ut ſervos Dei Monachos, qui in eodem Monaſterio ſunt, vel quos aggregare potueris, ſub caſtitate & modeſtia, ſub regulari atque monachica diſciplina, ut paterfamilias, foveas & gubernes, ita ut quotidianis diebus ac noctibus juges Deo laudes canere debeant: & ut luminariorum concinnationem atque reſtaurationem omnem ſine mora procures. Loca etiam Monaſterii urbana vel ruſtica, ſi forſitan ab aliquibus ablata, vel perverſa cognoveris, hæc tuo ſtudio juri venerabilis Monaſterii elabores reducere: ut juxta quod a nobis es inſtitutus, in omnibus & erga omnes, ſolicitudinem pii ſtudii gerens, poſſis a Deo mercedem ſuſcipere, atque id, quod a nobis decretum eſt, cunctis diebus vitæ tuæ inconcuſſa firmitate valeat ſubſiſtere.

Privilegium.

XI.

Semper religioſis, caſtamque vitam viventibus, libenter in his, quæ poſtulant, annuimus: ideoque petente te a nobis, cum tua congregatione, Monaſterium beati Ill. juris ſanctæ noſtræ Eccleſiæ conſtitutum in hac Romana civi-

tate,

tate, regione Ill. quatenus ibidem commanentes, & jugiter piis operibus vacantes, quotidie Deo laudes decantare debeatis.

Ob hoc, per hujus noſtræ præceptionis ſeriem, tibi tuæque congregationi ipſum Monaſterium perenniter conceſſimus, videlicet ut nunquam te liceat tuamque congregationem exinde egredi, ſed ſemper ibidem inhabitare: quia, ut dictum eſt, a nobis pietatis intuitu compatientibus veſtræ peregrinationi, ipſum Monaſterium vobis eſt conceſſum.

Sed ſicut ſtatuimus, vos exinde minime egredi, ita firmamus, atque decernimus, nullum habere de noſtris ſucceſſoribus licentiam, vos exinde dejiciendi; ſed ſemper eſſe Monaſterium, in quo Domino noſtro Jeſu Chriſto, humani generis Redemptori, laudes decantare omnibus diebus congregatio veſtra debeat.

In qua præceptionis noſtræ, piæque mentis diſpoſitione ſubterſcripſimus, & tibi proinde atque tuæ congregationi pro æterno munimine veſtro tradidimus.

Privilegium Monaſterii in alia Provincia.

XII.

Si ſemper ſunt concedenda, quæ piis deſideriis congruunt, quanto potius ea, quæ pro divini cultus prærogativa poſcuntur, non ſunt omni modo abneganda, ut quæ ſunt a largitoribus non ſolum poſcenda, ſed etiam vi caritatis procul dubio exigenda.

Petis nos igitur, ut Monaſterio Ill. Sancti Ill. in loco Ill. conſtituto, in quo præeſſe dignoſceris, privilegia ſedis Apoſtolicæ largiamur: quatenus ſub jurisdictione ſanctæ

noſtræ, cui, Deo autore, deſervimus Eccleſiæ, conſtitutum, nullius Eccleſiæ juriſdictionibus ſubmittatur.

Pro qua re piis votis faventes hac noſtra autoritate, id, quod a tua religione expoſcitur, effectui mancipamus: & ideo omnem cujuslibet Eccleſiæ Sacerdotem in præfatum Monaſterium juriſdictionem quamlibet, autoritatemve extendere, atque ſua autoritate, niſi a Præpoſito Monaſterii fuerit invitatus, Miſſarum ſolemnitatem celebrare, omnimodo inhibemus.

Curæ ergo tuæ ſit, Monaſterii Fratres, in quo præes, egregiis moribus ac vita irreprehenſibili exornare, ut caritas tua, quos ſubjectis Apoſtolicis privilegiis maluit inconcuſſe dotandos, deſideret, aut potius anhelet, inviolabili cæleſtis affluentiæ munere, diurnis ſanctæ diſciplinæ precibus decorandos.

Sit profecto communis & ſincera vita, ſit ſobria communionis ſinceritas, ut, quibus mundus eſt mortuus ac ſepultus, per incentiva contentionis vitia minime ſuſcitetur: quia incaſſum quis & fruſtra laborare cognoſcitur, ſi ſuperbiæ vitiorum auctrici colla ſubmittere ſentiatur. Sit excelſa in Deo humilitas, quia per hanc electi arcem cæleſtium munerum poſſidebunt.

Sit igitur ante oculos mentis & corporis traditionum regula paternarum, ut unusquisque Prælatus noverit, qualiter debeat imperare ſubjectis, ne dum aſpera, & non unicuique fratri aptiſſima, videntur imponi, uſque ad contemptum prorumpant de imperantis indiſcretione ſubjecti.

Sit itaque moderata vivacitas, ſit ſolicitudinis ſupereminens in fratribus ſtrenuitas; ut dum regulariter omnes, qui ſe Deo integerrime conferunt, pro obedientiæ linea

bene

bene ſervientes exhibeant temporalia, & ad gaudia cæleſtis patriæ perveniant ſempiterna. Et hæc quidem, quæ ad ſolicitudinem pertinent, dixiſſe ſufficiat.

Ante omnia vero Redemptoris noſtri miſericordiam, cui ingemiſcimus redemptionem noſtram expectantes, enixius cum ſingultibus & gemitibus expectemus, ut ea, quæ pietas flagitat, fragilitas humanæ conditionis ſufficienter atque confidenter de ſui autoris ſuffragatione, adimpleat.

Præceptum de concedendo Xenodochio.

XIII.

PETENTIUM (a) deſideriis ita nos convenit impertire aſſenſum, ut tamen ſequentibus temporibus, nullis Eccleſiaſtica utilitas valeat ſubmitti diſpendiis: nam tunc petitorum poſtulatio congruum videtur ſuſcipere effectum, quando venerabilia loca opportune ordinata, ad meliorem fuerint ſine dubio ſtatum perducta.

Igitur, quia petiiſti a nobis, quatenus Xenodochium, quod appellatur Ill. conſtitutum in Romana regione Ill. juris ſanctæ Romanæ, cui, Deo autore, deſervimus Eccleſiæ, tibi ad regendum, emiſſa præceptione, concedere deberemus: inclinati precibus tuis, per hujus præcepti ſeriem, ſupra ſcriptum Xenodochium, cum omnibus ei pertinentibus, a præſenti Ill. indictione, diebus vitæ tuæ, ſub inferius aſcripta conditione concedimus diſpenſandum.

(a) *Petentium, &c.*] Tota hæc præfatio ad iſta uſque verba: *Igitur, quia petiiſti*, legitur in diplomate, quo Stephanus II. Fulrado, Abbati, Hoſpitale, & domum Romæ concedit, anno 772. Indict. 10. menſe Januario.

Ea prorſus ratione, ut in eodem venerabili loco lecti, cum ſtratis ſuis, tuo ſtudio præparentur, in quibus ægros ſemper ſuſcipias & egenos, eisque curam adhibeas, & neceſſaria tribuas, confectionem *idoneam* * infirmantibus atque indigentibus annue facias, atque præpares, vel omnia, quæ infirmantium neceſſitati ſunt utilia: medicos introducens, & curam ægris impendens, ut tali tuo ſtudio Chriſtus, Deus noſter, poſſit placari, atque præſens præceptio cunctis diebus vitæ tuæ maneat imperturbata, ne, ſi neglexeris, divinam indignationem incurras, & juſta mercede tuæ diſpenſationis fruſtreris.

Item aliud.

XIV.

Qui in commiſſis ſibi fidem propriam illibate exhibere feſtinant, maxime ex quibus pauperum poteſt provenire conſultum, ab iis nihil aliud agi creditur, quam ſi de proprio egentibus eleemoſynam adminiſtrent.

Quod quia ita eſſe non eſt ambiguum, tibi Ill. ſanctæ noſtræ Eccleſiæ Notario, cum Dei auxilio, Xenodochium Ill. omnibus diebus vitæ tuæ providimus committendum: ea videlicet ratione, ut omnipotentis Dei præ oculis habens judicium, pure ac fideliter converſans, nullius hominum, pro fideli & pia operis converſatione, hujus rei cautelam habens præ oculis, ita te in commiſſis ejusdem Xenodochii utilitatibus geras, ut curam infirmorum ibidem jacentium ſolertem ac fidelem, nec non efficacem exhibere feſtines; quatenus apud hominum opiniones laudem acquiras, & omnipotenti Deo nullis de neglectu reprehenſionum maculis ſubmittaris.

Conſti-

* COD. ROM. loco *idoneam* habet *olcorum*.

Conſtituentes videlicet hæc, quæ a nobis, per præſentis noſtræ præceptionis autoritatem, decreta ſunt, noſtros etiam in futuro ſucceſſores inconcuſſa modis omnibus conſervare.

Præceptum de Præpoſitatu.

XV.

QUANTUM nobis fidelium moderata ſinceritas, & diſpenſatorum diſcreta lætificat puritas, tantum paſtoralis providentiæ cura nos ſollicitat, in ſubjectis meritorum cumulare ſuffragia: hinc enim & pietatis integritas compendium ſuſtinet, & Apoſtolica Dei Eccleſia digne commiſſa meliori tantum flagravit ſtatu.

Idcirco certis veriſque indiciis experti de ſinceritatis tuæ certiſſima efficacia, quod Deum præ oculis præferas, per hujus noſtræ præceptionis paginam, Præpoſitum te in memorata Baſilica Beati Ill. quæ ſita eſt in loco Ill. eſſe cunctis diebus vitæ tuæ, a præſenti Ill. indictione, decernimus.

Ea vero ratione ſervata, ut, ſi qua expenſa aut mercede, in quacumque re prædicta, neceſſe habuerit Baſilica, ſeu luminariorum concinnatione, a tua induſtria expendatur: ita videlicet, ut ſummam ſolicitudinem & curam erga eandem ſacroſanctam Baſilicam nihilominus exhibeas, quatenus valeas Deo omnipotenti, ejuſque Martyri complacere.

Statuentes per hujus noſtræ præceptionis paginam, & ſub divini judicii obteſtatione prohibentes, ſi ſtudioſe ejus a te fuerit in omnibus utilitas procurata, nulli licere diebus vitæ tuæ de eodem Præpoſitatu te ſuadere, potius quod a nobis decretum, ſervari devote ſtatuimus.

Præceptum de concedendo puero in Monaſterio.

XVI.

NIHIL credimus minui ab Eccleſiæ jure, quoties ex bonis Apoſtolicis aliquid piis locis fuerimus largiti, præcipue tamen eis, providentia favente, qui in nomine Jeſu Chriſti, Dei noſtri, laudes jugiter ſolvunt.

Igitur tibi, Ill. Abbati Presbytero, & per te antefato venerabili Monaſterio irrevocabili jure pro Monachorum Fratrum congregatione, & ſtipendii victusque neceſſitate procuranda, a præſenti Ill. indictione, donamus, cedimus, atque largimur juri dominioque Monaſterii, ut præmiſſum eſt, poſſidendos, ex patrimonio Ill. vel Monaſterio Ill. ſeu in ſupraſcripta familia tales natione Ill. ita ut cunctis diebus vitæ eorum in eodem deſerviant Monaſterio, & omnes obedientiam vobis exhibeant, vel qui ex eis fuerint procreati, ſicut certe ſervi propriæ dominationis.

Nec licentia ſit cuiquam aliquem ſubtrahere, aut alienare, ſed jure perpetuo loco venerabilis Monaſterii, vel Diaconiæ ſervire ſubjaceant, in omnibus ſervitia exhibentes, in quibus fuerint imperati, & ordinati a congregatione illic conſtituta, ut certe propriæ dominationis.

Quod ſi quisquam contra hujus noſtræ præceptionis atque donationis paginam venire tentaverit, ſit autoritate beati Petri, Apoſtolorum Principis, anathematis vinculo innodatus, & perpetuæ condemnationi ſummiſſus.

Quam præceptionis paginam a nobis ſubſcriptam tibi Abbati Ill. tuoque Monaſterio contradidimus, pro futura cautela.

Privilegium Diaconias.

XVII.

DUM pro adipiſcendis cæleſtis regni gaudiis æternis ſunt procul dubio ad cultum divinæ majeſtatis conferenda ſtipendia, omnino fas exigit, eo, quo valemus, anniſu, quæcumque ad ſtabilitatis integritatem & profectum venerabilium pertinere noſcuntur locorum, enucleate perficere, maxime in quibus omnipotenti Deo laudes referuntur, & ſedula fratribus noſtris ſubminiſtratur alimonia, quatenus omnium indigentium, inopum etiam proſelytorum, copioſa proficiant ſubſidia: & ex hoc Redemptori noſtro hoc ipſum, quod ad gloriam ſancti nominis ejus dignoſcimur procuraſſe, ſit acceptabile, nobisque ab eodem omnium creatore, Domino Deo noſtro, in æthereis arcibus conferatur remuneratio.

Igitur, quia poſtulat a nobis tua fidelitas, quatenus fundum Ill. &c.

Eum, a præſenti III. indictione, tuæ magnitudini, & per te in eadem venerabili Diaconia, in perpetuum concedimus detinendum. Sed diſpenſator, qui pro tempore fuerit in eadem venerabili Diaconia, id eſt, quando lucina perficitur, (b) in eadem Diaconia pro remiſſione peccatorum noſtrorum, omnes diaconites & pauperes Chriſti, qui ibidem conveniunt, *Kyrie eleiſon*, exclamare ſtudeant: ita ſane, ut ſingulis quibusque Indictionibus penſio rationibus Eccleſiaſticis ter a tua magnitudine, ſucceſſoribusque tuis diſpen-

(b) *Quando lucina perficitur*] Id eſt, quo tempore luminaria accenduntur, atque adeo ſerotinæ preces complentur.

diſpenſatoribus, difficultate poſtpoſita, in perpetuum perſolvatur, omniſque, qua indiget defenſio, ſeu melioratio, indifferenter, vobis ſine dubio procurantibus, efficiatur, nullaque præterea ad dandam annue penſionem a tua magnitudine ſucceſſoribusque tuis diſpenſatoribus mora proveniat, ſed ultro actionariis ſanctæ noſtræ Eccleſiæ apto tempore perſolvatur.

Statuentes autoritate beati Petri, Principis Apoſtolorum, ſub divini judicii obteſtatione, & anathematis interdicto, ut nulli unquam noſtrorum ſucceſſorum Pontificum, vel alii cuilibet magnæ parvæque perſonæ, liceat ipſum prænominatum fundum quoquomodo auferre, vel alienare: potius autem in propria utilitate, uſu & poteſtate venerabilis Diaconiæ, pro ſuſtentatione & alimoniis fratrum noſtrorum Chriſti pauperum perpetuis maneat temporibus.

At vero, qui obſervaverit hoc noſtrum Apoſtolicum præceptum, habeat gratiam maximam, vitamque æternam a miſericordiſſimo Domino Deo noſtro conſequi mereatur.

Privilegium.

XVIII.

Supernæ miſerationis reſpectu ad hoc regiminis curam ſuſcepimus, ut juſte precantium *votis*, * & libramine æquitatis, cunctis in neceſſitatibus ſubvenire debeamus, præſertim iis, qui pro nomine Redemptoris, Domini Jeſu Chriſti, totis ſe vitæ temporibus, ad exhibenda ſedula ſervitia, & canendas potentias ejus, ſub religionis habitu, ſeptis monaſterialibus contulerunt: nam pontificalibus meritis

* COD. ROM. poſt *votis* addit: *faveam*.

meritis decoramur, dum ex mandato divino, exigente ratione, jure pertinentia cuique reſtituimus, & compaſſione paſtorali, ſi quos arctat neceſſitas, conſolamur.

Quia vero, plurimis tranſactis annis, Monaſterium, cui præeſt tua religio, Ill. Abbas, coram ſynodali Collegio, porrecta petitione, innotuiſti, poſſediſſe jure inconcuſſo fundum Ill. & Ill. & quod talis ſanctæ recordationis præceſſor ſupra ſcriptum fundum tuæ congregationi reſtituiſſet; juſtum fore decernimus, autoritate beati Petri, Apoſtolorum Principis, cujus, licet meritis impares, dignatione tamen divina, vices gerimus, ut a præſenti Ill. indictione atque perpetuis temporibus, eumdem fundum Ill. & Ill. Monaſterium tuum, tuaque congregatio, abſque qualibet annuali poſſideat functione, ſuoque jure defendat, propriisque uſibus vindicet, nullusque temeritatis auſu a vobis auferre, quovis ingenio aut occaſione, tentet vel temeret, ſed perpetuo jure & proprietate maneant venerabilis loci.

Si quis autem, quod non optamus, hujus noſtri fuerit auſus decreti paginam contra ire, vel moleſtiam inferre conatus fuerit parti veſtræ, vinculo anathematis innodetur, & Judæ percellatur maledictione traditoris: at vero obſervantes, ex meritis atque precibus Apoſtolorum, nec non Chriſti Confeſſoris Martini, vitæ futuræ præmiis perfruantur.

Privilegium.

XIX.

Summam gerentes ſolicitudinem venerabilium locorum, quantum ex divino adjutorio poſſibilitas datur, de eorum ſtabilitate ſatagere ſtudemus; hoc namque ſtudio, & divina placatur clementia, & laus Chriſti ac Eccleſiæ procuratur,

& nos potiori fiducia, pro impetranda venia delictorum, æternam pietatem audemus implorare.

Igitur improbitate quorumdam petentium contigit, elapſis jam annis, ut loci antedicti Præpoſito avaritia devicto, fundus Ill. & Ill. pupillorum, quo illorum alimentorum neceſſitas ſuſtentabatur, locaretur; ipſaque dum extenditur annorum conditio, mors acciderit, & a jure jam dicti Orphanotrophii præmiſſa alienarentur loca, & Domino proprio fruſtrarentur, dumque neceſſitate victus arctatur locus, frequentia ceſſavit infantium, quibus deerat expenſæ providentia.

Ne ergo Cantorum deficeret ordo, (c) atque hinc Dei Eccleſiæ contumelia irrogaretur, eadem curioſe inquirentes loca, a quibus ultra rationem detinebantur, præcipientes venerabili reſtituimus loco: juſtum fore cernentes, ut pro laude Dei pupillos nutrientibus miniſtrarent, quæ uſibus excolebantur exterorum.

Præcipimus proinde, ut a præſenti Ill. indictione, & futuris perpetuiſque temporibus, ex autoritate beati Petri, Apoſtolorum Principis, cujus, licet meritis impares, vices tamen gerimus, Deo miſerante, jam dictus fundus, cum omnibus ejus juribus redonatus, Orphanotrophii ſæpiusdicti perma-

(c) *Cantorum ordo*] Inde addiſcimus Cantorum ſcholam ex Orphanotrophiis fuiſſe ſuppletam. Sancivit porro S. Gregorius in Synodo Romana, ne Presbyteri Diaconive in Eccleſia canerent, ſed Subdiaconi tantum, minoresque Ordines ac pueri tantum. Non diu obtinuit mos ille, quamvis a Sancto Pontifice non infirma ratione ſtabilitus: alia aliis temporibus diſciplina Eccleſiæ eſt.

permaneat proprius ſub inconcuſſa firmitate, utilitati ejus, vel infantium miniſtraturus: nec liceat cuiquam magno vel parvo eum conducere, aut ab utilitate ejus alienare, ſed & ſemper uſibus loci venerabilis, & neceſſitatibus conſervetur.

Si quis itaque extiterit temerator, vel contra hujus decreti paginam venire tentaverit, anathematis vinculo inſolubiliter innodetur, atque Judæ traditoris maledictione condemnetur.

Privilegium firmationis (d) loci.

XX.

QUÆCUMQUE intuitu pietatis geruntur, inconvulſa debent firmitate manere; atque ita convenit ſtudere, ut omnium jura perenni ſubſiſtant ſtabilita tempore, præſertim cum pro laude Domini Dei noſtri, devota ſinceritate pauperibus Chriſti provideantur ſubſidia vitæ, eo nempe dicente: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequuntur*; atque in ſe dicente redigi, quod uni fuerit ex minimis factum. *Matth. 5. v. 7.*

(d) *Privilegium firmationis*] Epiſcopus condiderat Diaconiam, & quidem, ut credibile eſt, in fundo ditionis ſuæ: petit id, quod contulerat in ſuſtentationem pauperum, privilegio ſedis Apoſtolicæ firmari, ne quis aliquando fraudaret pauperes. Si fuit Epiſcopus ille ordinationis Apoſtolicæ, nihil inde colligitur, niſi quod arctiſſimis fuit limitibus coercita ejuſmodi Præſulum poteſtas. Si forenſis erat, intelligere licet, quæ fuerit illis temporibus Præſulum de Romani Pontificis autoritate opinio.

Hac ſpe fretus, condidiſſe Diaconiam in honorem ſanctæ Dei genitricis, ſemperque virginis Mariæ, Dominæ noſtræ, in loco Ill. venerabilis frater, dignoſceris, opportune certus, quod mercedis præmia obtineas in futuro: ibique ob id contuliſti, atque alii pro amore omnipotentis Dei noſtri, fidelium offerre, pro adminiſtratione pauperum ejus, & propter redimenda peccata, ſtudent.

Ne ergo aliquis æmulatione quadam contra ſalutem temerator exiſtens, ex rebus ſemel Deo dicatis, aviditate devictus, abſtrahat aut defraudet, noſtræ ut autoritatis præcepto venerabilis loci immunitas protegeretur, ſperaſti.

Quapropter præcipimus beati Petri, Apoſtolorum Principis, autoritate, per hujus decreti paginam, omnibus omnino qualibet dignitate præditis & poteſtate, ut ex rebus ejuſdem venerabilis Diaconiæ nemo præſumat quidquam auferre. Sed quidquid illud eſt, ſuo ſemper poſſideat jure, & omnia ſibi vindicet conceſſa, vel ſi qua fuerint oblata, ita, ut ſub tuitione & regimine ac diſpenſatione loci Ill. maneat.

Sub judicii metu æterni ſtatuentes Pontificali cenſura, atque ſub anathematis interdicto, nullum exiſtere temeratorem.

Privilegium, quando ſub proprio loco conceditur.

XXI.

Dum magna nobis cura inſiſtit, pro ſtabilitate omnium locorum ſanctorum cogitare, ut eorum devotiſſimæ commoditatis proficiat integritas, convenit. Certe nos pro Eccleſia tam Ill. quam Ill. maximam gerere ſollicitudinem, ne minus illic luminariorum concinnatio habere videa-

videatur [illegible] de ejus propriis prædiis, ſcilicet loca Ill. ſubter via Ill. in præfato venerabili titulo, pro uſu & utilitate ejusdem ſancti loci, atque Presbyteri, qui omni tempore ejusdem venerabilis tituli curam geſſerit, perennibus ac perpetuis temporibus permanſuros confirmamus ſupra ſcriptos Ill. fundos, & præſenti Ill. indictione, & in perpetuum, in uſu & utilitate præfati tituli, ut dictum eſt, permanſuros.

Statuentes Apoſtolica cenſura, ſub divini judicii obteſtationibus, & anathematis interdictionibus, ut nullus noſtrorum ſucceſſorum Pontificum, vel qualibet magna parvaque perſona, ipſos prænominatos fundos ab eodem venerabili titulo & uſu Presbyteri auferre, vel alienare præſumat. Sed nec Presbyteri, aut Viſitatores, (e) qui ejusdem ſancti loci in tempore curam geſſerint, audeant cartulam, aut aliud quodlibet munimen, exinde cuiquam emittere; potius autem, ut præfati ſumus, firma ſtabilitate in uſu & utilitate ipſius ſancti loci, vel omnium ejus Presbyterorum, perpetuis permaneant temporibus.

Aa 3 Privi-

(e) *Aut Viſitatores*] Ut Eccleſiæ, Epiſcopo orbatæ, ita loci pii Presbyteris commendabantur Viſitatoribus: atque hinc fortaſſe origo prima commendarum, quas vocant, mandato in conceſſionem degenerante.

Privilegium ad confirmationem Monaſterii.

XXII.

DESIDERIUM, (f) quod ad religioſum propoſitum, & ſanctorum locorum ſtabilitatem pertinere monſtratur, ſine aliqua eſt, Deo autore, dilatione perficiendum, ut, quoties in quibusdam ejus utilitatibus & commodis noſtrorum aſſenſum, & ſolitæ Apoſtolicæ autoritatis expoſcitur præſidium, ultro benignitatis intuitu nos conveniat ſubvenire, & jura, pro integra ſecuritate, ex ratione ſolidare; ut ex hoc ipſius venerabilis loci Ill. ſalus & indemnitas proficiſcatur, & nobis quoque lucri potiſſimum præmium a conditore omnium Deo in ſidereis arcibus præſcribatur.

Convenit reverentiæ Ill. nos imploraſſe, ut præfatum Monaſterium Sancti Ill. autoritatis ſerie muniamus, & omnia ei pertinentia perenni jure ibidem inviolabiliter permanenda confirmamus.

Propterea flexi precibus tuis, per hujus præceptionis paginam ſtatuentes, decernimus, ut cuncta loca urbana, vel ruſtica, id eſt, maſſas, caſales, diverſa prædia, culta vel inculta, colonos vel familias, quæ præcepto per Ill. & Ill. & Ill. in eodem venerabili Monaſterio conceſſa ſunt, vel etiam per alias monitiones in eodem pio loco advenerint, ſicuti omnia præfatum tuum Monaſterium detinuit temporibus ſanctæ recordationis Ill. atque Ill. prædeceſſoris noſtri, ex nunc, cum magna ſecuritate, quietus debeas poſſidere; & per te etiam venerabili tuo Monaſterio, vel ſucceſſoribus tuis

(f) *Deſiderium, &c.*] Præfatio hæc ex parte legitur in epiſtola 70. Paſchalis II. ad Hugonem Cluniacenſem.

tuis Abbatibus, ſit facultas poſſidendi ac tenendi, ut juriſdictione in perpetuum fruentes defendant, & in utilitatibus ejusdem pii loci perenniter proficiant.

Pro quo, ſub divini judicii obteſtatione promulgantes, decernimus, ut nullo modo cuiquam publicæ actionis virorum, vel etiam cujuscumque ſit dignitatis, magnæ vel parvæ perſonæ, cuilibet liceat habere juriſdictionem in dicto Monaſterio, maſſis, fundis, caſalibus, prædiis, cultis vel incultis, vel aliis poſſeſſionibus, colonis etiam & familiis, vel diverſis rebus, ubicumque detinére videmini, nec quiſpiam horum ex eodem pio loco auferre, aut diripere præſumat, neque ullam læſionem, aut contrarietatem malam in ipſo Beati Ill. Monaſterio, atque omnibus annexis ei pertinentibus, pro quovis ingenio aut argumento, inferre audeat, potius autem jure perpetuo in eodem venerabili Monaſterio, ut ſuperius affatum eſt, proficiat, & in poteſtate atque ditione religioſitati tuæ, vel omnibus ſucceſſoribus tuis Abbatibus perenniter permaneat diſponendi atque poſſidendi licentia.

Si quis autem temerario auſu, contra hujus noſtræ Apoſtolicæ præceptionis ſeriem, pie a nobis promulgatam, venire vel agere tentaverit, ſciat ſe Domini noſtri & Apoſtolorum Principis, Petri, anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo & ejus atrociſſimis Pompis, atque cum Juda traditore, Domini Dei & Salvatoris noſtri, Jeſu Chriſti, in æternum igne concremandum, ſimulque in chaos demerſus, cum impiis, deficiat.

Qui vero intuitu pietatis cuſtodes, & obedientes, atque obſervantes hujus noſtræ ſalutiferæ præceptionis extiterint, benedictionis gratiam, & cæleſtis retributionis æterna gaudia a juſto judice, Domino Deo noſtro, conſequi mereantur.

Privi-

Privilegium, quando loca, quæ ablata ſunt in Monaſterio, in uſus priſtinos reſtituuntur.

XXIII.

Divinæ præceptionis monent cunctos eloquia, ut, quoties res aliena contra rationis ordinem a quoquam detinetur, æquitate debeat imminente reſtitui.

Conſtat ſiquidem fundum Ill. in loco Ill. conſtitutum, qui dudum a tuo Monaſterio detinebatur ab Ill. & Ill. fuiſſe illicite invaſum, & uſque hactenus detentum.

Nunc igitur, quoniam, ſupernæ pietatis gratia ſuffragante, prædictum Monaſterium tuum, nos, ſicut ex antiquitus fuit, denuo confirmamus, ſtatuimus, ut hoc, quod ſuum eſt, debeat ſine cunctatione recipere.

Ea de re hujus privilegii autoritate confirmantes, antedictum locum in præfato Monaſterio conſtituimus, quatenus ad jus ejuſdem Monaſterij, de quo ablatum fuerat, revertatur, & in ipſius dominio ſine ambiguitate permaneat.

Statuentes, &c.

DISSERTATIONES
AD
LIBRUM DIURNUM.

DISSERTATIO I.

APPENDIX

AD NOTAS CAPITIS I.

De Indiculo ſcribendæ Epiſtolæ.

I.

DUBITARE non licet, literas Pontificias ita aliquando inſcriptas fuiſſe, ut nomen ſuum Pontifex poſtponeret nomini illius, ad quem ſcriberet: id enim plurimæ Pontificum epiſtolæ aperte docent.

II. Quo primum tempore uſus iſte cœperit, definiri non poteſt, quando quidem epiſtolæ, quæ circumferuntur datæ ante Damaſi Siriciique ætatem, aut dubiæ ſunt, aut certo ſuppoſititiæ, præter paucas, quæ probatorum Scriptorum libris inſeruntur.

III. Quamdiu manſerit, ex eo conſtat, quod a Damaſi Siricii-que temporibus deduci poteſt ad nonum uſque ſæculum traditio, qua tam diu ſervatus oſtenditur.

IV. Traditio eo certior eſt, quo infirmiora ſunt argumenta duo, quæ in contrarium afferri queunt. Primum eſt, referri epiſtolas unius ejusdemque Papæ, utroque modo inſcriptas. Alterum, regeſta Leonis Magni, Gregoriique pariter Magni, quibus nulla fuerunt primis ſæculis numeroſiora, plena eſſe epiſtolis, in quibus nomen Pontificis priore loco ponitur.

V. Fatendum eſt, ſub finem quarti ſæculi, quintique initium, utriusque modi inſcriptiones uſitatas eſſe: ſed fatendum ſimul, a Leone Magno, qui anno 440. Pontificatum inivit, uſque ad Joannem VIII. qui anno 872. ſedere cœpit, unicum morem invaluiſſe, poſtponendi nempe nominis Pontificis.

VI. Neque credendum regeſtis Leonis Gregoriique, propterea quod a collectoribus neglectæ ſint ſolemnes epiſtolarum inſcriptiones ac ſubſcriptiones, quas probati Autores alii ſuis ſcriptis inſeruerunt. Cum enim collectores vellent parcere faſtidio lectorum, quod perpetua ejusdem formulæ repetitio pareret, contenti ſunt dicere, quis cui ſcriberet, & qua de re: ſed hæc poſtea prolixius. Nunc texenda traditionis ſeries, præmiſſis tamen cautionibus ſex.

VII. Prima: Mos ille, de quo loquimur, non repente inductus eſt, ſed paulatim, aliis aliter epiſtolis ejusdem Pontificis inſcriptis, donec quinto tandem ſæculo penitus invaluerit: idem videtur fuiſſe definendi, qui incipiendi modus.

Secunda: Non ſunt, ut jam monui, conſulenda ſuper ea quæſtione regeſta Pontificum, qui a quarto ſæculo ad nonum ſederunt: collectores enim ſolemnes inſcriptiones ſubſcriptionesque prætermiſerunt. Epiſtolæ igitur S. Leonis, quæ in recentiori editione Operum ſolemnem formulam præferunt, aliunde acceptæ ſunt ab Editore nupero, & adjectæ collectioni veteri.

Tertia: Quorum Pontificum epiſtolæ ſuis a collectoribus detruncatæ ſunt, minutæque quaſi capite & pedibus, illæ, ſi quando apud probatos Autores aliis inſertæ ſcriptis reperiuntur, integræ ſunt, ut plurimum, & hinc idcirco petendæ.

Quarta: Cum Pontifices vel ſententias damnationis in aliquos, ut Vigilius in Ruſticum & Sebaſtianum, vel ad homines communione privatos, ut Felix ad Acacium, ſcribunt, tunc nomen ſuum præferunt, quod ratio & judicii, & fidei jubet.

Quinta: Nonnullis videntur Pontifices, cum præcellentibus quibusdam perſonis ſcriberent, nomen ſuum poſtpoſuiſſe; cum inferioribus, præpoſuiſſe. Id ut a vero abeſſe demonſtremus, in texenda traditionis ſerie, exemplis utemur epiſtolarum ad Imperatores, Epiſcoporum cœtus, & privatas perſonas datarum.

Sexta: In traditionis ſerie ſervabitur ordo ſuccedentium ſibi Pontificum; nec ullus omittetur, cujus habeantur epiſtolæ, vel germanæ, vel honorificam inſcriptionem, ſubſcriptionemque continentes. Hæc enim nota docet epiſtolas a collectoribus relatoribusque non fuiſſe mutilatas.

IV. Se-

IV. SÆCULO.

Damaſus ſedere cœpit anno 367.

Dilectiſſimis fratribus Acholio, Eurydico, Severo, Vranio, Philippo & Joanni, Damaſus.

Dilectiſſimo fratri Acholio, Damaſus.

Siricius, anno 385.

Dilectiſſimo fratri Anyſio, Siricius.

V. SÆCULO.

Innocentius, anno 402.

Dilectiſſimo fratri Anyſio, Innocentius.

Dilectiſſimo fratri Rufo, Innocentius.

Bonifacius I. anno 418

Dilectiſſimo fratri Rufo, Bonifacius. Eadem inſcriptione aliæ duæ ſunt ejusdem ad eumdem epiſtolæ.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis per Theſſaliam conſtitutis, Bonifacius.

Dilectiſſimis fratribus Rufo, & cæteris Epiſcopis per Macedoniam, Achaiam, Theſſaliam, Epirum veterem, Epirum novam, Prævalem, & Daciam conſtitutis, Bonifacius.

Celeſtinus, anno 423.

Dilectiſſimis fratribus, Perigeni, Dynato, &c. Epiſcopis per Illyricum, Celeſtinus.

Dilectiſſimo fratri Neſtorio, Celeſtinus.

Xyſtus III. anno 432.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis, Synodo apud Theſſalonicam congregandis, Xyſtus.

Dilectiſſimo fratri Proclo, Xyſtus.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis per Illyricum conſiſtentibus, Xyſtus.

Leo I. anno 440.

Dilectiſſimo fratri Anatolio, Leo. Eadem inſcriptione aliæ duæ ſunt ejusdem epiſtolæ ad eumdem.

Dilectiſſimis fratribus, Epiſcopis Metropolitanis, per Illyricum conſtitutis, Leo. Eadem inſcriptione eſt alia ad Metropolitanos per Achaiam.

Glorioſiſſimo & clementiſſimo, Theodoſio Auguſto, Leo Epiſcopus, & ſancta Synodus, Romæ collecta.

Glorioſiſſimæ & clementiſſimæ filiæ, Pulcheriæ Auguſtæ, Leo Epiſcopus, &c.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis per Viennenſem provinciam, Leo.

Dilectiſſimis fratribus Conſtantino, Audentio, &c. Leo Papa.

Dilectiſſimo fratri Ravennio, Leo.

Hilarus, anno 461.

Dilectiſſimo fratri Aſcanio, Hilarus Epiſcopus. Eadem inſcriptione ſunt aliæ quatuor ad Leontium Arelatenſem.

Dilectiſſimis fratribus, Epiſcopis provinciæ Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ, & Alpium Penninarum, Hilarus Epiſcopus. Eſt ad eosdem eadem inſcriptione altera epiſtola.

Dilectiſſimis fratribus Victuro, Ingenuo, &c. Hilarus.

Simplicius, anno 467.

Dilectiſſimo fratri Zenoni, Simplicius. Eadem inſcriptione ad Acacium binas literas dedit.

Felix, anno 483.

Glorioſiſſimo ac ſereniſſimo filio Zenoni, Felix Epiſcopus, in Domino ſalutem.

Dilectiſſimo fratri Zenoni, Felix.

Gelaſius, anno 492.

Dilectiſſimo fratri Euphemiano, Gelaſius. Eadem inſcriptione bis ad Honorium, Dalmatiæ Epiſcopum, ſemel ad Æonium Arelatenſem, ſemel pariter ad Ruſticum Lugdunenſem.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis per Dardaniam conſtitutis, Gelaſius Epiſcopus. Eadem inſcriptione ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutios & Siciliam, & ad Orientales.

Anaſtaſius, anno 496.

Glorioſiſſimo & clementiſſimo filio, Anaſtaſio Auguſto, Anaſtaſius Epiſcopus.

Symmachus, anno 498.

Dilectiſſimo fratri Æonio Symmachus. Eſt & alia ad eundem eadem inſcriptione. Sunt aliæ duæ ejusdem inſcriptionis ad Cæſarium Arelatenſem.

Dilectiſſimo atque cariſſimo fratri Laurentio, Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Symmachus Epiſcopus, in Domino ſalutem.

Dilectiſſimis fratribus, Epiſcopis Afris, Symmachus. Eadem inſcriptione ad Epiſcopos per Galliam conſiſtentes.

VI. Sa-

VI. SÆCULO.

Hormiſdas, anno 514.

Dilectiſſimo fratri Remigio, Hormiſda. Eandem inſcriptionem præferunt epiſtolæ ad Dorotheum, Joannem, Salluſtium.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis per Hiſpaniam conſtitutis, Hormiſda. Ejusdem modi eſt epiſtola ad Epiſcopos per Bœticam.

Dilectiſſimo fratri Cæſario, vel his, qui ſub dilectionis tuæ ordinatione conſiſtunt, Hormiſda.

Felix IV. anno 526.

Dilectiſſimo fratri Cæſario, Felix.

Bonifacius II. anno 530.

Dilectiſſimo fratri Cæſario, Bonifacius.

Joannes II. anno 533.

Glorioſiſſimo & clementiſſimo filio, Juſtiniano Auguſto, Joannes, Epiſcopus urbis Romæ.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis per Gallias conſtitutis, Joannes.

Dilectiſſimo fratri, Cæſario, Joannes.

Agapetus, anno 535.

Dilectiſſimo fratri, Cæſario, Agapetus.

Dilecto fratri, Petro, Agapetus.

Vigilius, anno 540.

Dilectiſſimo fratri Cæſario, Vigilius. Eadem eſt inſcriptio ad Eutherium, & iterum ad Cæſarium.

Glorioſiſſimo & clementiſſimo filio, Juſtiniano, Vigilius.

Dilectiſſimo fratri, Mennæ Epiſcopo, Vigilius Epiſcopus. Eadem inſcriptio eſt trium epiſtolarum ad Auxanium Arelatenſem, eadem & ad Aurelianum.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis omnium provinciarum per Gallias, qui ſub regno vel poteſtate glorioſiſſimi filii noſtri Childeberti, Regis Francorum, conſtituti ſunt: ſed & his, qui ex antiqua conſuetudine ab Arelatenſi conſecrati ſunt, vel conſecrantur, Epiſcopo, Vigilius.

Eadem inſcriptio epiſtolæ ad eosdem de Aureliano, cui ſuas vices committit: uno verbo, nulla eſt Vigilii epiſtola, ne ipſo quidem Conſtituto excepto, quæ non eamdem inſcriptionis formam præferat, præterquam quæ excommunicationis ſententiam adver-

adverſus Ruſticum & Sebaſtianum continet, quæque ad univerſam Eccleſiam dirigitur: in illa enim judex reis, in iſta caput membris ſcribit.

Pelagius I. anno 555.

Dilectiſſimis fratribus Gaudentio, Maximiano, Gerontio, Juſto, Terentio, Vitali & Laurentio, per Tuſciam annonariam, Pelagius.

Dilectiſſimo fratri Sapaudo, Pelagius. Sunt aliæ tres ad eumdem eadem inſcriptione.

Domino filio glorioſiſſimo atque præcellentiſſimo, Childeberto Regi, Pelagius Epiſcopus. Sunt aliæ tres pariter ad eumdem eodem modo inſcriptæ.

Pelagius II. anno 577.

Dilectiſſimo fratri Annachario, Pelagius, urbis Romæ Epiſcopus.

Dilectiſſimis fratribus Eliæ, aliiſque Epiſcopis, univerſis filiis, in Iſtriæ partibus conſtitutis, Pelagius, Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ urbis Romæ. Sunt aliæ duæ ejusdem modi ad eosdem.

Gregorius I. anno 590.

Nulla eſt in toto ipſius Regeſto epiſtola, quæ non ſit a collectore, ſuis, quas haberet, ſolemnibus formulis ſpoliata: habuiſſe tamen omnes, vel ex eo uno apertum eſt, quod ad ſæculares viros feminasque multæ datæ ſint, nec ulla tamen Domini Dominæque nomen in epigraphe præferat, quamvis id numquam omiſſum Joannes Diaconus tradat. Accedit, quod cum Gregorius in epiſtolis, eodem Diacono teſte, poſt Joannis Conſtantinopolitani inſolentem arrogantiam, ſe ſemper ſervum ſervorum Dei inſcriberet, nullæ tamen, ut nunc habentur, hanc inſcriptionem præferant; deinde cum epiſtolas Pelagii II. ad Iſtriæ Epiſcopos ſcripſerit, uſitatamque formam in iis ſervaverit, credibile non eſt, eum a more prædeceſſoris receſſiſſe. Quid quod alienum a ratione videtur, eum, qui ſe præ humilitate ſervum ſervorum Dei dixerit, nomen ſuum, aut jubentis Imperatoris more, aut edicentis Prætoris modo, præpoſuiſſe. Denique epiſtola ad Etherium Arelatenſem commendatitia Auguſtini in Angliam proficiſcentis, quæ in Regeſto caret omni forma, refertur a Beda lib. 1. Hiſt. cap. 25. cum idonea inſcriptione & ſubſcriptione: *Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Etherio, Coepiſcopo, Gregorius, ſervus ſervorum Dei.* Et in fine: *Deus te incolumem cuſtodiat, reverendiſſime frater.* Ejusdem formæ epiſtola ad Virgilium, Etherii ſucceſſorem, & ad

Augu-

Auguſtinum, Eboracenſem Epiſcopum, ab eodem Beda refertur cap. 28. & 29. Quin etiam cap. 30. ad Mellitum Abbatem: *Dilectiſſimo filio Mellito Abbati, Gregorius, ſervus ſervorum Dei.*

Et ad Regem Edilbertum, *Domino glorioſiſſimo atque præcellentiſſimo filio Edilberto, Anglorum Regi, Gregorius Epiſcopus.* Et in fine: *Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat, Domine fili.*

VII. SÆCULO.

Bonifacius IV. anno 607.

Domino excellentiſſimo atque præcellentiſſimo Regi Anglorum, Athelberto, Bonifacius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.

Bonifacius V. anno 617.

Dilectiſſimo fratri Juſto, Bonifacius.

Viro glorioſo Edwino, Regi Anglorum, Bonifacius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.

Dominæ glorioſæ filiæ Edelburgæ Reginæ, Bonifacius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.

Honorius I. anno 626.

Domino excellentiſſimo atque præcellentiſſimo filio Edwino, Regi Anglorum, Honorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Et in fine: *Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.*

Dilectiſſimo fratri Honorio, Honorius. SUBSCRIPTIO: *Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime frater.*

Martinus I. anno 649.

Domino piiſſimo & sereniſſimo victori, triumphatori, filio, diligenti Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Conſtanti Auguſto, Martinus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. SUBSCRIPTIO: *Piiſſimum Domini imperium ſuperna gratia cuſtodiat, & omnium gentium cervices ei ſubdat.*

Electo ſpirituali conſenſu Catholicæ Carthaginenſium Eccleſiæ, & omnibus, qui ei ſubſunt, Epiſcopis, Clericis, Populiſque Chriſti amantibus, Martinus, ſervus ſervorum Dei, ejus gratia Epiſcopus ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ.

Joanni, Epiſcopo Philadelphiæ, Martinus, ſervus ſervorum Dei, ſanctæ ejus Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanorum Epiſcopus. Eadem forma inſcribitur epiſtola ad Theodorum, Esbrutiorum Epiſcopum, Antonium Bocathorum, Paulum Theſſalonicæ.

Georgio Archimandrita, Martinus, ſervus &c. ut ſupra.

Eodem modo inſcribitur epiſtola ad Pantaleonem, *Petro illuſtri, Martinus, ſervus ſervorum Dei, &c.*

Dilectis fratribus, qui ſanctæ Chriſti Dei noſtri civitati, nempe Hieroſolymitanæ ſedi ſacerdotaliter ſubſunt, orthodoxis Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Præfectis Monaſteriorum, Monachis, Aſcetis, Populis Chriſtum diligentibus: ſimiliter & iis, qui cenſentur ſub Antiochena ſede, Martinus, &c.

Chriſtum diligenti Clero & Populo ſanctæ Dei Catholicæ Theſſalonicenſium Eccleſiæ, Martinus, &c.

Vitalianus, anno 655.

Domino excellentiſſimo filio Oſwio, Regi Saxonum, Vitalianus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei.

Adeodatus, anno 667.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Epiſcopis, in Galliæ partibus commorantibus, Adeodatus.

Agatho, anno 678.

Dominis piiſſimis & sereniſſimis, victoribus ac triumphatoribus, cariſſimis filiis, amatoribus Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, Conſtantino Majori Imperatori, Heraclio & Tiberio Auguſtis, Agatho Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Subscriptio: *Piiſſimorum Dominorum imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat.* Ejuſdem modi eſt ſequens altera epiſtola ad eoſdem.

Leo II. anno 683.

Piiſſimo & tranquilliſſimo Domino, victori & triumphatori, filio, dilecto Dei, & Jeſu Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Conſtantino Imperatori, Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Subscriptio: *Piiſſimum Domini imperium gratia ſuperna cuſtodiat, &c.* ut ſupra.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Eccleſiarum Præſulibus per Hiſpaniam conſtitutis, Leo. Subscriptio: *Deus vos incolumes cuſtodiat, dilectiſſimi fratres.*

Dilectiſſimo fratri Quiricio, Leo.

Domino glorioſo filio, Simplicio Comiti, Leo, ſervus ſervorum Dei.

Domino excellentiſſimo filio Ervigio, Leo. Subscriptio: *Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.*

VIII. Sa-

VIII. SÆCULO.

Joannes VII. anno 705.

Dominis eminentiſſimis, Etelredo, Regi Merciorum, & Alfrido, Regi Decrorum & Berniciorum, Joannes Papa.

Gregorius II. anno 714.

Domino glorioſo filio Carolo Duci, Gregorius Papa.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio, Coepiſcopo, Gregorius, ſervus ſervorum Dei.

Gregorius III. anno 731.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio, Coepiſcopo, ad illuminationem gentis Germaniæ, vel circumquaque in umbra mortis morantibus gentibus in errore conſtitutis, ab hac Apoſtolica ſede directo, Gregorius, ſervus ſervorum Dei.

Dilectiſſimis nobis Epiſcopis in Provincia Bajoariorum & Alamanniæ conſtitutis, Wigoni, Lindoni, Rodulpho, Vinilo ſeu Adda, Gregorius Papa.

Domino excellentiſſimo filio Carolo Subregulo, Gregorius Papa. Ejusdem modi eſt altera.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio, Gregorius, ſervus ſervorum Dei.

Zacharias, anno 741.

Reverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio, Zacharias, ſervus ſervorum Dei. Sunt & aliæ ſeptem ejusdem ad eumdem pari inſcriptione.

Dilectiſſimo nobis Burchardo, ſanctæ Eccleſiæ Wirtziburgenſis Epiſcopo, Zacharias Papa.

Dilectiſſimis nobis Reginfrido, Rotomagenſi Epiſcopo, (tum recenſitis aliis undecim) *& cæteris amantiſſimis Coepiſcopis, Presbyteris etiam, & Diaconis, cunctisque orthodoxis Eccleſiarum Dei Clericis, Apoſtolicam doctrinam tenentibus, Zacharias, divina gratia præditus, Apoſtolicæ ſedis Pontifex, ſervus autem ſervorum Dei, in Domino ſalutem dicit.*

Stephanus II. anno 752.

Domino excellentiſſimo filio Pipino Regi, Stephanus Papa. Ejusdem formæ eſt inſcriptio alterius epiſtolæ ad Pipinum, Carolum & Carolomannum, niſi quod Pipinum vocat ſuum ſpiritualem compatrem.

Paulus

Paulus I. anno 757.

Domino excellentiſſimo filio, & noſtro ſpirituali compatri, Pipino, Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Paulus Papa. Aliæ ſex epiſtolæ ad eumdem eamdem præferunt inſcriptionem, atque etiam ſubſcriptionem: *Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.*

Stephanus III. anno 767.

Domina Religioſa filia Bertrada, Deo ſacrata, ſeu Domino filio, Regi Francorum, & Patricio Romanorum, Stephanus Papa. SUBSCRIPTIO: *Incolumem religioſitatem veſtram, atque excellentiam tuam gratia ſuperna cuſtodiat.*

Dominis excellentiſſimis filiis, Carolo & Carolomanno, Regibus Francorum, & Patriciis Romanorum, Stephanus Papa. SUBSCRIPTIO: *Incolumem &c.*

Hadrianus I. anno 770.

Domino excellentiſſimo filio, Carolo, Regi Francorum & Longobardorum, atque Patricio Romanorum, Hadrianus Papa. SUBSCRIPTIO: *Incolumem &c.* Sunt aliæ tredecim ad eumdem eadem forma inſcriptionis & ſubſcriptionis.

Dilecto fratri Taraſio Patriarchæ, Hadrianus, ſervus ſervorum Dei.

Leo III. anno 795.

Domino excellentiſſimo filio Kenulpho, Regi Merciorum provinciæ Saxoniæ, Leo Papa.

Domino piiſſimo & ſereniſſimo, victori ac triumphatori, filio, amatori Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti, Karolo Auguſto, Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. SUBSCRIPTIO: *Piiſſimum Domini imperium, &c.* Sunt aliæ novem ad eumdem ejuſdem formæ.

Gregorius IV. anno 827.

Dilectiſſimis fratribus, univerſis Coepiſcopis, per Galliam, Germaniam, Europam, & per univerſas provincias conſtitutis, Gregorius, ſervus ſervorum Dei.

IX. SÆCULO.

Poſt Gregorios tres, II. III. & IV. qui conſtantes non fuerunt in retinendo uno ſcribendi modo, ſed aliquando hunc, aliquando iſtum uſurparunt, conſtanter Leo IV. nomen ſuum præpoſuit, Leoniſque exemplum conſequentes Pontifices ſecuti ſunt. Semel tamen Formoſus,

moſus, ſemel etiam Benedictus VII. nomen ſuum ſubjunxit: ille, cum ad Epiſcopos Angliæ; iſte, cum ad Gallos & Germanos ſcriberet. Verum utraque epiſtola non magnam facit fidem: nam quæ Formoſi, vulgo dicitur vitio non carere; quæ Benedicti, non ita pridem e latebris prodiit: & cum id reſtituat, quod olim Symmachus conſtituiſſet, etiam inſcriptio Benedicti Symmachi inſcriptionem imitata dici poteſt.

Quin & tunc temporis abſtinuerunt Pontifices ab appellatione Domini Dominæque, cum ſæcularibus literas darent, etiam Imperatoribus atque Reginis: quamquam Joannes VIII. ſemel epiſtolam 92. ita inſcripſit: *Dilectiſſimæ filiæ, Dominæ Angelbertæ, Imperatrici, piæ memoriæ Ludovici, invictiſſimi Imperatoris, conjugi, ſereniſſimæ Auguſtæ.*

Imo Nicolaus I. paſſim prætermiſit ſolemnem ſubſcriptionem, qua prædeceſſores utebantur, nec jam incolumem cuſtodiri a ſuperna gratia eum precabatur, cui ſcribebat: ſed *vel optamus, &c.* appoſuit, vel *bene vale*, vel aliud ſimile. Acceptum tamen a majoribus morem epiſtola 36. & 67. retinuit. Nicolaum imitati ſunt ſucceſſores, niſi quod Joannes VIII. veterem morem ſemel, aut iterum obſervavit.

Gregorius VII. induxit in morem, qui poſtea obtinuit, ut ſalutem & Apoſtolicam benedictionem iis impertiretur, quibus literas daret.

Ex his, quæ hactenus allata ſunt, poſſunt conducibilia quædam ad hiſtoriam Eccleſiaſticam concludi.

I. Circa noni ſæculi initia, formulas, Diurno Libro comprehenſas, paulatim deſuefactas eſſe.

II. Id eo tempore contigiſſe, quo magnæ converſiones rerum factæ ſunt, expulſiſque Italia Exarchis, & everſo Longobardorum regno, non mediocre dominium Apoſtolica ſedes obtinuit.

III. Non repente conſuetudinem veterem abolitam eſſe, ſed quaſi per partes, ne miraretur orbis, & forſan reclamaret.

IV. Mirum videri, quod Bernardinus Ferrarius refert lib. 2. de antiquis Eccleſiaſticis epiſtolis, de ſalute & Apoſtolica benedictione, a Summis Pontificibus in fronte literarum impertita iis, quibus ſcriberent. *Hanc conſuetudinem*, inquit, *quemadmodum a Cleto Romano Pontifice primum invectam tradunt Polydorus Virgilius de Invent. rerum lib. 8. cap. 2. & Gilbertus Genebrardus in Chronolog. lib. 3. ad annum Chriſti 93. in Cleto; ita ab eo mutuatas reliquos deinde Pontifices conſtanter retinuiſſe affirmant.* Id vero, quis non miretur, cum ante

Gregorium VII. qui ſæculo undecimo ſedit, aut nullus, aut vix ullus ea ſalutatione reperiatur uſus. Unde vero aſſeri poſſit, Cletus fuiſſe hujus ſalutationis autor, nullus ſcio, cum nullæ habeantur ipſius epiſtolæ, neque ſcriptores, Polydoro, Virgilio, Genebrardoque majores, monimentis literarum hac de re quidquam tradiderint. Quod ille ſalutem precatus ſit, gratiamque Dei more Apoſtolorum iis, ad quos ſcriberet: admodum credibile eſt. Verum non de ſalute, ſed de Apoſtolica benedictione agitur, quam ſe impertiri, nullus Apoſtolus ſuis literis præfatus eſt.

Erit forte qui optet, ut, poſtquam expoſitum eſt, qua forma Pontifex inſcriberet ſubſcriberetque literas, quas aliis daret, oſtenderetur deinceps, quæ forma inſcriptionis eſſet, quæ ſubſcriptionis literarum, quas ab aliis acciperet. Verum id, quoniam non pertinet ad Diurnum Librum, in quo quæ agenda Pontifici præſcribuntur, non quæ ab aliis, omitti jure poſſet: præſertim cum ad arbitrium quisque ſuum ſcripſiſſe videatur, nec conſtanter idem modus ab omnibus, etiam unius dignitatis, puta Imperatoriæ, Auguſtæ, &c. obſervatus reperiatur.

Non erit tamen alienum ab argumento breviter referre, quid ſuper ea re ſub finem ſexti ſæculi, quando ſedit Gregorius Magnus, aliisque duobus ſequentibus totis, a Principibus, Auguſtis, Patritiis, &c. uſurpatum ſit: quamquam pauca admodum reperiantur, ſive in collectionibus pontificiarum literarum, ſive apud Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptores exempla, aliunde vero curioſius inquirere operæ pretium non eſt.

Imperator ad Summum Pontificem, anno 682. *Flavius Conſtantinus, fidelis in Jeſu Chriſto Deo Imperator, Leoni, ſanctisſimo & beatisſimo Archiepiſcopo veteris & clarisſimæ urbis Romæ, & æcumenico Papæ.* SUBSCRIPTIO piiſſimi Imperatoris: *Deus te in multa tempora cuſtodiat, ſanctisſime & beatisſime Pater.*

Anno 687. *Imperator Cæſar Flavius Juſtinianus, fidelis in Jeſu Chriſto, pacificus, pius, perpetuus Auguſtus, Joanni ſanctisſimo ac beatisſimo antiquæ almæ urbis Romæ, atque univerſali Papæ.* Et diva manu: *Divinitas te ſervet per multos annos, ſanctisſime ac beatisſime Pater.*

Oecumenica Synodus: *Sanctum & univerſale Concilium, quod per Dei gratiam, & piam ſanctionem piisſimi ac fidelisſimi magni Imperatoris Conſtantini congregatum eſt, in hac a Deo conſervanda & regia Conſtan-*

Conſtantinopoli nova Roma, in ſecreto ſacri palatii, dicto Trullo, ſanctiſſimo ac beatiſſimo Papa ſenioris Roma Agathoni, in Domino ſalutem.

Synodus Africana univerſalis ad Summum Pontificem: *Domino beatiſſimo, Apoſtolico culmine ſublimato, Patri Patrum Theodoro Papa, & Summo omnium Praſulum Pontifici. Columbus, prima ſedis Epiſcopus Concilii Numidia, & Stephanus, prima ſedis Epiſcopus Concilii Byzaceni, & Reparatus Epiſcopus prima ſedis Concilii Mauritania, & univerſi Epiſcopi de tribus Conciliis antedictis Africana Provincia.*

Patriarcha ad Summum Pontificem anno 712. *Sanctiſſimo & beatiſſimo fratri & comminiſtro, Domino Conſtantino, Joannes, indignus Epiſcopus, in Domino ſalutem.* Subscriptio: *Fortis in Domino, ora pro nobis, ſanctiſſime & beatiſſime frater.*

Primas Africæ ad Summum Pontificem: *Domino beatiſſimo & honorabili, ſancto fratri Theodoro Papa, Victor.*

Epiſcopus ad Summum Pontificem, anno 741. *Domino cariſſimo, ſummi Pontificatus infula prædito, viro Apoſtolico, Zacharia, Bonifacius, ſervus ſervorum Dei.*

Reverendiſſimo Patri, dilectiſſimo Domino, cum timore & tremore venerando Magiſtro, Apoſtolici honoris privilegio prædito, Pontificatus infula Apoſtolica ſedis ſublimato Zacharia, Bonifacius, exiguus ſervus veſter, licet indignus & ultimus, tamen Legatus Germanicus devotiſſimus, optabilem in Chriſto immarceſſibilis caritatis ſalutem.

Obſerva I. Conſtantinum Pogonatum & Juſtinianum II. nomen ſuum nomini Leonis II. Pontificis præponere, nec ſecutos Marciani in literis ad Leonem I. exemplum: *Leoni, reverendiſſimo Epiſcopo Eccleſia glorioſa civitatis Roma, Marcianus;* ſecutos tamen formam Juſtini & Juſtiniani I. Ille enim ad Hormiſdam: *Victor Juſtinus, pius, felix, inclytus, triumphator, ſemper Auguſtus, Hormiſda ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo alma urbis Roma, & Patriarcha.* Hic ad Joannem II. *Victor Juſtinianus, pius, felix, inclytus, triumphator, ſemper Auguſtus, Joanni, ſanctiſſimo Archiepiſcopo alma urbis Roma & Patriarcha.* Et ad Agapetum: *Imperator Caſar Flavius Juſtinianus, Alemannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor ac triumphator, ſemper Auguſtus, Agapeto, ſanctiſſimo Archiepiſcopo alma urbis Roma, & Patriarcha.*

Obſerva

Obſerva II. neque in collectionibus pontificiarum epiſtolarum, neque apud Baronium reperiri ullius Auguſtæ epiſtolam ad Summum Pontificem cum ſolemni forma, præterquam Pulcheriæ ad S. Leonem, quæ ejusdem modi cum forma, qua Marcianus uſus eſt.

Obſerva III. œcumenicam Synodum ſextam nomen Pontificis poſtpoſuiſſe ſuo, in quo exemplum quartæ, referentis ad S. Leonem I. de rebus actis Calchedone, imitata eſt. Relatio enim ſic inſcribitur: *Sancta & magna & univerſalis Synodus, quæ per Dei gratiam, & ſanctionem piiſſimorum, & amatorum Chriſti Imperatorum noſtrorum collecta eſt, in Calchedonenſium Metropoli Provinciæ Bithyniæ, ſanctiſſimo ac beatiſſimo Romanorum Archiepiſcopo, Leoni.*

Incertum eſt, an Calchedonenſi præiverit Epheſina: variant enim in variis codicibus relationis inſcriptiones.

Neutrius Synodi Patres Summum Pontificem expreſſe fratrem Patremque, & Dominum vocant, quamquam Calchedonenſes in ipſa relationis ſerie, modo ſe fratres, modo filios appellent. Unde viderint, qua ratione ſe tueantur, qui ex eo, quod Calchedonenſes Leonis ſe filios nominaverint, multa ſibi argumentari videntur.

Obſerva IV. Patriarchas quatuor majores, Alexandrinum, Antiochenum, Conſtantinopolitanum & Hieroſolymitanum, atque etiam Epiſcopum Carthaginenſem, qui totius Africanæ Diœceſis Primas, cum literas dant ad Summum Pontificem, fratrem & comminiſtrum dicere, ſed ſimul Dominum vocare: qua Domini appellatione viciſſim non utitur Pontifex, cum ſuas ad ipſos literas inſcribit.

Obſerva V. Provinciales Synodos, quibus neque Patriarchæ præſunt, neque Patriarchis ſuppar Africanæ Diœceſis Primas, in epiſtolis Summum Pontificem, & Dominum & Patrem vocare, in quo ab œcumenicis Synodis differunt. Id ex antiquo ſervatum: nam anno 416. Milevitani Concilii Patres, quibus præerat Silvanus, Numidiæ propter ætatem Primas, datam ad Innocentium I. Synodicam ſic inſcribunt: *Domino beatiſſimo, meritoque venerabili, & in Chriſto honorando Papæ Innocentio, Silvanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Reſtitutus, Lucianus, Alipius, Auguſtinus, &c.* Carthaginenſis tamen Synodi, cui præſidebat totius Africæ Primas, epiſtola ſic ſe habet: *Domino beatiſſimo, & honorandiſſimo fratri, ſancto Innocentio Papæ, Aurelius, Numidius, &c.*

DISSER-

DISSERTATIO II.

APPENDIX AD NOTAS CAPITIS II.

De ordinatione Summi Pontificis.

Caput ſecundum tres in partes tribuitur: complectitur vero, prima literas, quibus ante ordinationem electi Pontificis, vel nuntiabatur obitus præceſſoris, vel electionis decretum continebatur, vel decreti approbatio petebatur: ſecunda ritum, quo peragebatur Pontificis conſecratio: tertia profeſſiones expoſitionesque fidei catholicæ. Ad ſingulas id obſervandum ſupereſt, quod brevitas ratioque notarum vetuit textui Diurni ſubjungere.

§. I. *De literis pertinentibus ad ordinationem Summi Pontificis.*

I.

Dixi in notis, non Ravennam tantum, ſed in urbem quoque regiam miſſas fuiſſe a Romanæ Eccleſiæ Clero, Populoque Romano literas ad Principem, ut Electi approbatio obtineretur; & ad Antiſtitem, Patriciosque & aulæ Principes, nec non ſedis Apoſtolicæ Apocriſiarium, ut de negotio apud Principem promovendo monerentur. Id facile intelligitur ex Gregorii Magni epiſtolis, tum ad Joannem, Conſtantinopolitanum Epiſcopum, tum ad alterum Joannem, Exconſulem ac Patritium, tum denique ad Philippum, Comitem Excubitorum. Cum enim illi, qua valebant apud Imperatorem autoritate, id præſtitiſſent, quod rogati fuerant, utique a Clero per literas Roma ſcriptas, de violata amicitia ſanctus Pontifex cum ipſis conqueritur, & cum Joanne quidem Epiſcopo: *Quo ſtudio Epiſcopatus pondera fugere* Epiſt. 4. *volueritis, ſcio; & tamen hæc eadem Epiſcopatus pondera, ne mihi deberent imponi, non reſtitiſtis. Conſtat ergo, quia non me, ſicut vos, diligitis, qui illa me voluiſtis onera ſuſcipere, quæ vobis imponi noluiſtis.* Cum Joanne autem Patritio: *Contra amorem non modice contriſtor, quia* Epiſt. 30. *quietem me quærere cognoviſtis, & ad inquietudinem perduxiſtis, &c.* Cum Philippo denique Excubitorum Comite: *Indignus ego ad ſuſci-* Epiſt. 31.

pienda Epiſcopatus onera, juſſioni omnipotentis Dei, veſtraque voluntati me ſubdidi, cui me praeeſſe largitate magis gratiæ, quam judicii æſtimatione voluiſtis. Dubium non eſt, quin Honorato Diacono, ſedis Apoſtolicæ Reſponſali, in eamdem ſententiam ſcripſerit.

II. Dixi etiam, ſuſpicari neminem debere, ejuſmodi literarum formulam Diurnum deficere: datæ ſunt ſiquidem proportione a paribus, paucis, ut fit, immutatis; eædem nempe Conſtantinopolitano Antiſtiti, quæ Ravennati, &c. Id ut aſſeram, efficiunt duo: alterum, quod eadem fuerit ſcribendi cauſa ad Conſtantinopolitanos ac Ravennates, idem argumentum, eadem neceſſitas: alterum, quod conſuetudo obtinuerit illis temporibus, literas, cum de eadem re pluribus mitterentur, ſimiles omnibus dari, quod a pari dicebatur, id eſt, argumento pari. Id ex epiſtolis Gregorii Magni conſtat.

III. Addidi, nuſquam reperiri formam, qua vel Exarchus, vel Imperator, electione probata, per ſubſcriptionem, ut opinor, decreti ad ſe allati, ordinandi Pontificis poteſtatem faceret. Id nemo revocaverit, credo, in dubium, qui libros ea tempeſtate confectos legerit; quamquam apud Marculfum lib. 1. reperitur gemina Regis de ordinando Epiſcopo præceptio, qua reſpondet plebi poſcenti ſibi Epiſcopum concedi. Tres illæ formulæ, quæ corruptiſſimæ ſunt in Editione Bignonii, emendatæ a Sirmondo ſubjunguntur tomo II. Conciliorum Galliæ.

IV. Eſt etiam apud Caſſiodorum epiſtola Athalarici ad urbis Senatum, qua gratiſſimum animo ſuo profitetur, quod Theodorici, avi ſui, Felicem IV. eligentis in Pontificem, judicium probaſſent, contentioque priſtina Clericorum, laïcorumque in partes ſciſſorum, receptione Pontificis a Principe electi, poſuiſſet.

§ II. *De ritu, quo Summus Pontifex ordinabatur.*

I.

Ritus iſte varius fuit variis temporibus: nam alius in Diurno, Ordineque Romano vetere deſcribitur; alius a Cencio Camerario in coronatione Celeſtini III. alius ab Auguſtino Patritio in Libro Rituum Eccleſiaſticorum; alius paulo diverſus nunc obſervatur.

II. An ſervatus ſit ante ſeptimum ſæculum alter, quam qui ſolitus in conſecratione aliorum Metropolitanorum, imo & Epiſcoporum, non aperte conſtat. Ea certe tempeſtate, non ex Epiſcopis Summi

Ponti-

Pontifices fiebant: id enim tentatum primo in Formoſo; ſed ex Diaconis ut plurimum, & Presbyteris Eccleſiæ Romanæ, ut Hiſtoria Pontificum docet. Quare tunc tres ritus conjungi ſimul contigit, quibus nempe continuo, qui electus fuerat, Presbyter, Epiſcopus, & Summus Pontifex crearetur.

III. Fiebat vero Presbyter & Epiſcopus aliorum more, Summus autem Pontifex impoſitione pallii accepti ex altari S. Petri, & ἐνθρονισμῷ. Id oſtendunt hæc verba: *Archidiaconus annectit ei pallium, & aſcendit ad ſedem.* Pallium, plenitudinem poteſtatis, ἐνθρονισμὸς præſidentiam ſignificabat, nondum ulla coronationis mentio, Roma ſerviente adhuc ſæculari poteſtati.

IV. Supremæ in univerſam Eccleſiam autoritatis indicium fuit, non præciſe acceptio pallii: communis enim fuit cum omnibus Patriarchis; ſed acceptio ex altari S. Petri, cui Deus ovile ſuum paſcendum commiſit, cujusque in locum ſuccedit Pontifex.

V. Quem ſervaverit olim Eccleſia orientalis ritum in ordinandis ſuis Patriarchis, non eſt expreſſe traditum in Ritualibus Græcorum Libris. Liberatus Diaconus de Alexandrino hæc tradit: *Conſuetudo eſt Alexandriæ, illum, qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo beati Marci pallium, & tunc legitime ſedere,* id eſt, inthronizari poſſe. Quæ non perinde accipienda ſunt, ac ſi ſolo ejusmodi ritu quis ex Presbytero fieret Epiſcopus, nec alia conſecratio adhiberetur, quod nonnullis temere venit in mentem; ſed quod præter communem ordinandi Epiſcopi ceremoniam, hæc ſolemnis foret conſtituendi Patriarchæ ratio, cujusmodi aliquid in electione Summi Pontificis nunc contingit, etiamſi Epiſcopus nondum fuerit.

VI. Nam quod aliqui dicunt, Presbyteros Alexandrinæ Eccleſiæ, de quibus loquitur Hieronymus, fuiſſe omnes Chorepiſcopos, & eos quidem Epiſcopali charactere præditos, vix ego poſſim admittere. licet enim fatear, in ſuburbiis Alexandriæ, locisque vicinis plures extitiſſe Epiſcopos, ſcio tamen temporibus Alexandri, qui Arium ejecit, & Cyrilli, qui Neſtorium profligavit, multos fuiſſe in Eccleſia Alexandrina Presbyteros, cujusmodi erat Eulogius, ad quem Commonitorium Cyrillus ſcripſit, tertiæ parti Concilii Epheſini inſertum.

§. III. *De profeſſionibus fidei, a Summis Pontificibus in ordinatione ſua emiſſis, in genere.*

I.

Summos Pontifices cum ordinarentur, ſuæ fidei profeſſionem emiſiſſe, indubitatum eſt; neque enim ſolum a catechumenis, cum Baptiſmum, ſed etiam a fidelibus, cum Presbyterium ac Epiſcopatum ſuſciperent, factam fuiſſe fidei confeſſionem, diſcimus ex variis Scriptorum locis, & in primis ex epiſtola Euſebii Cæſarienſis ad ſuos, apud Theodoretum lib. I. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. XII. Quod autem ab Epiſcopis ſingulis præſtari oportuit, quoniam debent eſſe Eccleſiæ ſuæ doctores, id certe Epiſcopus Romanus, cum totius Eccleſiæ ſit doctor, non omiſit.

II. Non perinde certum, ſaltem non ita vulgo notum, qua forma, qui ante ſeptimum ſæculum eligebantur ad Summum Pontificatum, fidem profeſſi ſint. Conducibile igitur eſt ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam illuſtrandam, id inquirere: ſed ne inter inquirendum fallat incautos error, oportet initio, profeſſiones duas diſtinguere: alteram, quæ ab ordinando; alteram, quæ ab ordinato ederetur.

III. Utramque diſcrevit Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii, illique Symbolo nomen fecit, huic Synodicæ: illud privati erat hominis, hæc Eccleſiæ doctoris: Electus illo fidem profitebatur, iſta Pontifex exponebat, quid credi deberet ab omnibus, atque in ſede Petri docebat Dei populum. Prioris mentio vix reperitur ante Gregorium Magnum; poſterioris non pauca exempla extant.

IV. De Symbolo Gregorii ita Joannes Diaconus: *In ſpecula ſanctæ univerſalis Eccleſiæ, vir totius humanitatis aut autoritatis orthodoxæ, unde videri & audiri clarius Evangelicus præco valeret, conſiſtens, oris ſui diviniſſimo gladio, & rectam fidem munivit, & cunctas hæreſes uno Symbolo diſſipavit: quod videlicet ſacræ confeſſionis Symbolum ita ſe habet:* Credo in unum Deum omnipotentem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, tres perſonas, unam ſubſtantiam. Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum vero Sanctum, nec genitum, nec ingenitum, ſed coæternum, de Patre & Filio procedentem. Confiteor unigenitum Filium conſubſtantialem, & ſine tempore natum de Patre, omnium viſibilium & inviſibilium conditorem, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, ſplendorem gloriæ, figuram ſubſtantiæ

qui

qui manens Verbum ante ſæcula, perfectus homo creatus eſt juxta finem ſæculorum, conceptus & natus ex Spiritu Sancto, & de Maria Virgine, qui naturam noſtram ſuſcepit abſque peccato: & ſub Pontio Pilato crucifixus eſt & ſepultus, tertia die reſurrexit a mortuis: die autem quadrageſimo aſcendit in cælum, & ſedet ad dexteram Patris, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos; poſiturus ante oculos omnium omnia occulta ſingulorum: daturus juſtis perpetua præmia regni cæleſtis, iniquis autem ſupplicia ignis æterni: innovaturus ſæculum per ignem, & carnis reſurrectionem. Confiteor unam fidem, unum Baptiſma, unam Apoſtolicam & univerſalem Eccleſiam, in qua ſola poſſunt laxari peccata, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

V. De Synodica hæc ſcribit: *Synodicam quoque ſuam Gregorius, ſecundum priſcum deceſſorum ſuorum morem, Joanni Conſtantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Joanni Hieroſolymitano, & Anaſtaſio, Patriarchæ Antiocheno, deſtinavit, quæ ita ſe habet:* Conſideranti mihi, quod impar meritis, ac toto animo renitens, paſtoralis curæ pondera portare compulſus ſim, caligo mœroris occurrit, &c. Triſte cor nihil aliud, niſi ea, quæ videri nil ſinunt, tenebras videt: nam quid Antiſtes ad Dominum, niſi pro delictis populi interceſſor eligitur? Qua itaque fiducia ad eum pro peccatis alienis interceſſor venio, apud quem de propriis ſecurus non ſum? Si fortaſſe quiſpiam apud potentem virum, qui & ſibi iratus, & mihi eſſet incognitus, interceſſorem ſuum me fieri quæreret, protinus reſponderem; ad intercedendum venire nequeo, quia ejus notitiam ex ſedula familiaritate non habeo. Si igitur recte homo apud hominem, de quo minime præſumpſiſſem, fieri interceſſor erubeſcerem, quantæ hoc audaciæ eſt, quod apud Deum pro populo locum interceſſoris obtineo, cui familiarem me eſſe, per vitæ meritum, non agnoſco? Qua in re, eſt mihi adhuc aliud gravius formidandum, quia ſicut cuncti liquido cognovimus, cum is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur, & valde pertimeſco, ne commiſſa mihi plebs fidelium, reatus mei additamento, depereat, cujus nunc uſque Dominus æquanimiter delicta tolerabat. Cum vero utcumque hunc timorem ſupprimo, & conſolatam mentem ad Pontificalis operis ſtudia accingo, conſiderata ipſa rei immenſitate, deterreor. Perpendo quippe, quod omni cura vigilandum eſt, ut rector cogitatione ſit mundus, operatione præcipuus, diſcretus in ſilentio, utilis in verbo, ſingulis in compaſ-

compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, bene agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ erectus, &c.

Præterea, quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: ſicut ſancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor: Nicænum ſcilicet, in quo perverſum Arii dogma deſtruitur: Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur: Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorii impietas judicatur: Calchedonenſe vero, in quo Eutychetis, Dioſcorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione cuſtodio: quia in his, velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis norma conſiſtit: quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epiſtola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur, & Theodorus perſonam mediatoris Dei & hominum in duabus ſubſtantiis ſeparans, ad impietatis perfidiam cecidiſſe convincitur. Scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, auſu dementiæ prolata refutantur. Cunctas vero, quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas venerantur, amplector: quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit, aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt. Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit.

VI. Hæc Joannes de Symbolo & Synodica S. Gregorii, quæ ut ad rem noſtram exponantur utilius & clarius, obſervanda duo. Primum, unius rei tria fuiſſe nomina, Fidem, Symbolum, Indiculum: Fidei nomen ab argumento factum eſt; Symboli, ab articulorum ordine, brevitate, & teſſeræ ſimilitudine; Indiculi a forma, quæ ſcripto tradebatur, velut inſtrumentum ſuis omnibus, perſonæ, temporis & teſtium, adjunctis munitum, & in archivo aſſervandum.

Alterum, fuiſſe pariter alterius nomina tria, Expoſitionem fidei, Sermonem, & Synodicam. Dicta eſt Expoſitio fidei, quia explanatio quædam fuit Symbolo prolixior, & ad hæreſes damnandas accommodatior: Sermo, quoniam pro concione fidelium fiebat: Synodica, quoniam, & e Synodo Romana mittebatur ad Patriarchas, & in Synodo Patriarcharum legenda fuit, ut tota Eccleſia ſui doctoris fidem agnoſceret.

VII. De

VII. De forma fidei, quam Symbolum diximus, quaque Electus ante ordinationem utebatur, occurrunt quæſtiones duæ. Prima, cujusmodi fuerit priſcis temporibus: priſca dico, quæ Gregorii Magni ætatem præceſſerunt, fuitne dumtaxat Symbolum, quod Apoſtolicum vocatur, & illud quidem, quale uſurpamus, an quomodo erat olim in uſu Romæ? Secunda, quale fuerit priſcum Romanæ Eccleſiæ Symbolum.

VIII. Ut prima quæſtio plane ſolvatur, priſca primum tempora dividenda ſunt, tum Romana Symbola diſtinguenda. Prioribus temporibus, id eſt, ante annum 400. quando Rufinus, Aquilejenſis Presbyter, nihil dum additamenti factum fuiſſe ſcribit Romano Symbolo, non aliam puto emiſſam ab Electis profeſſionem fidei, quam quæ Symbolo Romano additionis puro continebatur: poſterioribus vero, id eſt, ab anno circiter 400. ad Gregorium Magnum, recitatum arbitror ab iiſdem Electis Symbolum idem Apoſtolicum, ſed cum additamentis, modo paucioribus, modo pluribus, prout exigebat ratio temporum, & propius ad ſeptimum ſæculum accedebatur, quo tempore ea fidei profeſſio emiſſa eſt, quæ Libro Diurno continetur, & ad decimum quintum uſque ſæculum, aut etiam ulterius, in uſu fuit.

IX. Quæ ut manifeſtiora fiant, ſolvenda eſt altera quæſtio, quale fuerit Romæ Apoſtolicum Symbolum, cui nihil adhuc additum, Rufinus, paulo ante quadringenteſimum Chriſti annum, ſcribebat. Ex veteribus monumentis, ita ſe habuiſſe intelligitur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unigenitum, Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus, tertia die reſurrexit, aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem.* In eo deſunt tria, quæ in vulgari continentur, *Creatorem cœli & terræ, deſcendit ad inferos, vitam æternam.*

X. Inde oritur tertia quæſtio, quando contigerit, & quorſum addi hæc tria? Nemo, quod ſciam, id inquiſivit, utile tamen eſt noſſe, vel per conjecturam.

XI. Videtur nonnullum Rufinus conjiciendi locum dare, cum tradit, Romanum Symbolum additamentis tunc caruiſſe, cum ſcriberet, *propter-*

propterea quod nulla illic hæreſis ſumpſiſſet exordium; in ceteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos, addita quædam videri, per quæ novellæ doctrinæ ſenſus crederetur excludi.

XII. Inde enim videor mihi non improbabiliter concludere, neceſſitatem acceſſionis faciendæ tunc extitiſſe, cum capitales tres hæreſes, Origenis, Manichæi, & Arii, in Romanam Eccleſiam irrepere conatæ ſunt. Conatæ ſunt vero, & cum liber Origenis περὶ ἀρχῶν Romæ viſus eſt, & cum Manichæi clam latentes, certis indiciis deprehenſi, producti ſunt in publicum, & cum Eutychianus error, Ariani ſoboles quædam, percrebuit.

XIII. Liber περὶ ἀρχῶν temporibus Anaſtaſii I. Romam venit; Manichæos inſectatus eſt Leo Magnus anno 443. Eutychiana hæreſis ſub eodem Pontifice turbas ubique movit, occaſione Latrocinii Epheſini. Adverſus Origenis temporalem & mutabilem beatitudinem ſanctorum *vita æterna* credita eſt: adverſus Manichæiſmum de mundi ſenſibilis a dæmone conditione, *factor cæli & terræ*: adverſus Arii errorem, quod nulla fuerit in Chriſto anima, *deſcenſus ad inferos* animæ, cum corpus jaceret in ſepulcro.

XIV. Hæc ſola quidem triplex additio acceſſit ad Symbolum, prout tradebatur catechumenis, & in baptiſmo reddebatur: ſed longe major videtur facta, cum ab ordinandis, ut fidem ſuam puram erroris probarent, proferebatur. Id conſtat ex Symbolo Gregorii Magni, quod quam diverſum ſit a vulgari, nemo non videt.

XV. Septimo ſæculo, cum Summi Pontifices ordinarentur, jam non Symbolum, quod antea fiebat; ſed pro Symbolo fuit forma fidei, cujusmodi exhibetur in Diurno. Obtinuit illa vero, non tantum ad decimum ſaltem ſæculum, quo vivebat Yvo Carnotenſis, ſed etiam ad tempora Baſileenſis Concilii, ut poſtea dicetur: Yvo enim aperte ſatis innuit, ſuis etiam temporibus, Summos Pontifices in ordinatione profeſſionem illam emiſiſſe, cujus non mediocrem partem ex Diurno refert, & Baſileenſes hanc exigunt ab ordinando Pontifice.

XVI. Oritur etiam quarta quæſtio, quo tempore commutatio Symboli in formam fidei, Diurno contentam, facta ſit? Factam opinor, poſtquam prioribus ſex Conciliis œcumenicis religionis chriſtianæ principia duo, conſubſtantialitas perſonarum divinarum, & Incarnationis veritas, conſtituta eſſent: tunc enim Concilia recipere, & hæreſes, quas proſcripſiſſent, arceri, indubitata fuit ὀρθοδοξίας nota.

XVII.

XVII. Oritur & quinta, an ſine diſcrimine, Summi Pontifices, aliique Epiſcopi, ſaltem qui Romæ conſecrabantur, ſive forenſes eſſent, ſive ordinationi ſedis Apoſtolicæ ſubditi, ſuam profiterentur fidem. Fuit illud vel maximum diſcrimen, quod Pontifices ſancto Petro *ejuſque*, Epiſcopi ſucceſſori ſancti Petri, fidem ſacramento obligarent.

XVIII. Oritur & hæc poſtrema, quam verum ſit, aut potius, quo examine egeat, quod Euthymius Zygabenus tit. XII. ſuæ Panopliæ refert, ex Photii Conſtantinopolitani diſſertatione de Spiritus Sancti proceſſione, *uſque ad tempora Sergii Conſtantinopolitani*, (ordinatus eſt anno 608.) *Romanos Pontifices in Epiſcopatus ſui exordio, fidei, quam profitebantur, literis canonicis ad ſedes omnes Patriarchales tranſmiſſis, Symbolum ſine mutatione inſeruiſſe.* Primo enim mutatio, de qua loquitur, ea ſola eſt, qua Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedere diceretur. Deinde, quod ait, Summos Pontifices, & Symbolum ſuis canonicis adjunxiſſe uſque ad tempora Sergii Conſtantinopolitani, & in ſuo Symbolo non poſuiſſe proceſſionem Spiritus Sancti a Patre & Filio, refellitur exemplo Gregorii Magni, qui ſedere cœpit anno 590; ſiquidem, & in Symbolo ſuo profeſſus eſt Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere, & ſuis ad Patriarchas literis Symbolum non adjunxit.

XIX. Quod pertinet ad Synodicas literas, quas Summi Pontifices, ſtatim atque Apoſtolicam ſedem aſcendiſſent, ad Patriarchas, Patriarchisque ſuppares Antiſtites, dabant, præter ea, quæ dicta ſunt in notis, non abs re quæri poſſunt iſta ſeptem: quam antiquus fuerit ille mos, quando cœperit, ad quos Synodicæ mitterentur, quid continerent, quis mittendi finis, quando deſierunt mitti, quorum Pontificum Synodicæ ad nos pervenerint?

XX. Veterem fuiſſe morem, docet Gelaſius epiſtola I. ad Euphemium, II. ad Laurentium, Lignidenſem Præſulem, & III. ad Dardaniæ Epiſcopos. Ad Euphemium enim Conſtantinopolitanum conquerentem, quod Synodicam nondum a Gelaſio accepiſſet, reſpondet Pontifex in hæc verba: *Apoſtolicam ſedem inſtitutum ſibi noviter Sacerdotem, præeuntibus oportuiſſe dixiſti literis indicare. Fuit quondam Eccleſiaſtica vetus hæc regula apud Patres noſtros, quibus una Catholica, Apoſtolicaque communio ab omni prævaricatorum libera pollutione conſtabat: nunc autem, cum ſocietatem præferre malitis externeam, quam ad beati Petri purum redire, illibatumque conſortium, quomodo cantabimus*

canticum Domini in terra aliena? quomodo diſpoſitionis Apoſtolicæ antiqua fœdera præbeamus hominibus communionis externæ?

Ad Laurentium, in Macedonia Epiſcopum: *Quia mos eſt Romanæ Eccleſiæ Sacerdoti noviter conſtituto, formam fidei ſuæ ad ſanctas Eccleſias prærogare; hæc eadem compendioſa nimis brevitate ſtudui renovare, ut ſub qua fide vivendum ſit, ſecundum ſtatuta Patrum, in hac noſtra epiſtola, propter brevitatem, ſine faſtidio lector agnoſcat.*

Ad Epiſcopos Dardaniæ: *Regimen Apoſtolicæ ſedis adeptis, ſtrepitu publico retardante, commiſſum nobis ſacræ diſpenſationis officium, propriis, ut mos erat, literis nequivimus indicare, quo veſtra fraternitas de communionis Domini munere nobiſcum gratuletur.* Tum adverſus graſſantem hæreſim Eutychianam exponit fidem, & ſub finem addit: *Hæc autem veſtra dilectio etiam ad contiguas ſibi quaſque Provincias, vicinoſque Pontifices faciat pervenire, ut Eccleſiarum Præſides, univerſæ veritatis inſtructione percepta, mortiferam declinare valeant falſitatem.*

XXI. Sed quando Eccleſiaſtica hæc, quæ fuit apud Patres, vetus regula initium acceperit, obſcurum eſt: licet tamen veritatis aliquid videre, ſi modo diſtinguantur duo in ejuſmodi literis, alterum, quod renuntiarent de ordinatione, alterum, quod fidei expoſitionem contineret. Opinari ſiquidem non improbabiliter quiſpiam poſſit, primum fuiſſe ſemper, in eamque rem utiliter proferri teſtimonium Cypriani ad Cornelium recens ordinatum reſcribentis: ſecundum, hujus licet mentio non reperiatur ante Gelaſii tempora, extitiſſe tamen longe antea, ortumque duxiſſe, jam inde à temporibus Aureliani Imperatoris, id eſt, circiter annum Chriſti 270.

Nam Gelaſius anno 493. teſtatur, *morem fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Sacerdoti noviter conſtituto, formam fidei ſuæ ad ſanctas Eccleſias prærogare.* Mos ille igitur jam dudum obtinuerat. Teſtatur etiam, fuiſſe veterem apud Patres regulam: ergo obtinuerat ex longo tempore. Sed ex quo? Non ſane ab origine Eccleſiæ, neque primis duobus ſæculis, ſiquidem nec ullum extat veſtigium, nec ulla conjiciendi ratio, cum tunc lateret Eccleſia, minitantibus undique Imperatoriis mucronibus.

Reſtat ergo, ut mos ille tunc ortus ſit, cum fides Eccleſiæ Romanæ patefieri potuit publice, ipſis etiam volentibus Imperatoribus, ut eſſet credendi norma, & orthodoxiæ regula. Id vero contigit ſub Aureliano primum, deinde ſub Conſtantino: nam Aurelianus, quamvis

ethnicus,

ethnicus, adverſus Paulum Samoſatenum ab Synodo II. Antiochena exauctoratum ſancivit, ut illi Eccleſiæ Antiochenæ domus tribueretur, cui Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus tribuendam cenſeret, quaſi diceret, eum haberi debere Catholicum Eccleſiæ Antiochenæ Præſulem, cujus fidem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus probaret.

Conſtantinus vero, qui Eccleſiam a ſervitute eripuit, fecit, ut quod habet a Chriſto Eccleſia Romana docendi fidem orbis privilegium, in actum libere erumperet, & ab omnibus agnoſceretur.

Hæc igitur opinio menti meæ inſedit, jam inde ab ætate Aureliani Epiſcopum Romanum, cum primum ſuccederet in ſedem Petri, qui juſſus eſt fratres ſuos confirmare, ad omnem Dei populum formam fidei ſuæ, id eſt, catholicæ, miſiſſe.

XXII. Mittebat vero ad Patriarchas, ut antea diximus, ſupparesque Patriarchis Præſules autocephalos. Id conſtat partim ex Gelaſio, partim ex Gregorio Magno: nam ille ad Macedones, & Dardanos epiſtolas dedit, hic ad Joannem Conſtantinopolitanum, Eulogium Alexandrinum, Gregorium Antiochenum, Joannem Hieroſolymitanum, & Anaſtaſium itidem Antiochenum literas a paribus, quibus ſuæ *Lib. 1. ep. 24.* fidei profeſſionem complexus eſt.

Obſervandum porro ex Gelaſio & Gregorio, Pontifices Synodicas ſuas ad Præſules ſchiſmate diviſos non miſiſſe; miſiſſe vero ad eos, qui, etſi dejecti per vim, & injuriam ferrent de throno, manebant tamen in communione ſedis Apoſtolicæ factum improbantis. Nam Gelaſius neque ad Joannem Conſtantinopolitanum ſcripſit, neque ad Theſſalonicenſem Epiſcopum, propterea quod uterque erat Acaciano ſchiſmate impeditus; ſcripſit tamen, & ad Dardanos ſubjectos Conſtantinopolitano Patriarchæ, & ad Laurentium, Lignidenſis Eccleſiæ Præſulem, Theſſalonicenſi ſubditum, ut ne carerent communione fidei, qui ſuis Primatibus ſchiſmaticis non conſentiebant.

Dedit literas Gregorius ad Anaſtaſium illum nobilem, qui dicitur Sinaita, ex Antiochena ſede per injuriam expulſum, perinde ac ad alios Patriarchas, licet in ipſius locum inductus eſſet Gregorius; imo parilem epiſtolam dediſſe non contentus, aliam miſit, ubi poſt alia: *Præterea ſicuti Patriarchis aliis paribus veſtris, Synodicam vobis Epiſtolam direxi, quia apud me ſemper hoc eſtis, quod ex omnipotentis Dei munere accepiſtis eſſe, non quod ex voluntate hominum putamini non eſſe.*

XXIII. Synodica porro continebat tria vel quatuor: nuncium de ordinatione Summi Pontificis, formam fidei, precum expoſtulationem, atque etiam exhortationem ad munus implendum. Id conſtat partim ex Synodica Gregorii Magni, partim ex Diurni formulis.

XXIV. Ex his apparet, quo fine mitterentur, nimirum, ut Chriſti ovile foret unum, ut oves paſtoris ſui vocem audirent & ſequerentur, ut Eccleſiæ unitas, cujus vinculum eſt fides, ac membrorum capitiſque conſenſio, integra ſervaretur: nam literis, & paſtor oves, cum darentur; & oves paſtorem, cum reciperentur, agnoſcebant.

XXV. Obtinuit mos ille, quamdiu Eccleſia Orientalis ab Occidentali non receſſit. Poſtquam vero dirum ſchiſma alteram ab altera diſtraxit, jam non fuit opportunum, neque ſcribere fidei formam ad homines, qui ſedem Apoſtolicam erroris arguerent: neque caritatis paternæ vinculo complecti eos, qui per ſuperbiam amplexus paternos repellerent.

XXVI. Paucorum porro Pontificum Synodicæ ad nos pervenerunt. Curioſe inquiſivi, nec inveni plures extra Diurnum, quam quatuor, Gelaſii I. Pelagii I. Gregorii Magni, & Leonis IX. ſi tamen hæc poſtrema, ſtricte loquendo, Synodica dici debet. Iſtas hunc in locum referre, operæ pretium eſt: collatæ enim cum his, quas Diurnus exhibet, non mediocriter ad eccleſiaſticam doctrinam conducunt.

XXVII. Gelaſius igitur in epiſtola mox laudata ad Laurentium Lignidenſem: *Confitemur*, inquit, *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, ante omnia quidem ſæcula, ſine principio, ex Patre natum ſecundum deitatem; in noviſſimis autem diebus de ſanctiſſima Virgine Maria eumdem incarnatum, & perfectum hominem ex anima rationali & corporis ſuſceptione, homouſion Patri ſecundum deitatem, & homouſion nobis ſecundum humanitatem: duarum enim naturarum perfectarum unitas facta eſt ineffabiliter, propter quod unum Chriſtum, eumdem Filium Dei & hominis, unigenitum a Patre, & primogenitum ex mortuis confitemur: ſcientes, quod quidem coæternus ſit ſuo Patri ſecundum divinitatem, ſecundum quam opifex eſt omnium, & naſci dignatus ſit, poſt conſenſionem ſanctiſſimæ Virginis, cum dixit ad Angelum:* Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Ineffabiliter ſibi ex ipſa ædificavit templum, & ſibi univit, quod non coæternum de ſua ſubſtantia e cælo detulit corpus, ſed ex maſſa noſtræ

ſubſtan-

ſubſtantia, hoc eſt, ex Virgine hoc accipiens, & ſibi uniens, non Deus Verbum in carnem verſus eſt, neque ut phantaſma apparuit, ſed inconvertibiliter & incommutabiliter ſuam conſervavit eſſentiam, primitiaſque naturæ noſtræ ſuſcipiens, ſibi univit.

Nam Deus Verbum has noſtræ naturæ primitias multa ſibi bonitate unire dignatus eſt, qui non permixtus, ſed in utriuſque ſubſtantia unus & ipſe viſus, ſecundum quod ſcriptum eſt: Solvite templum iſtud, & in tribus diebus reſſuſcitabo illud. *Solutum enim Chriſtus Jeſus, ſecundum noſtram ſubſtantiam, quam ſuſcepit, & ſolutum ſuſcitat proprium templum, hoc ipſe ſecundum divinam ſubſtantiam, ſecundum quam & omnium artifex eſt.*

Nunquam autem poſt reſurrectionem unitionis noſtræ natura diſceſſit a proprio templo, nec diſcedere poteſt propter ineffabilem ſuam benignitatem, ſed eſt ipſe Dominus Jeſus Chriſtus paſſibilis & impaſſibilis; paſſibilis ſecundum humanitatem, impaſſibilis ſecundum divinitatem.

Suſcitavit igitur ſuum templum Deus Verbum, & in ſe naturæ noſtræ reſurrectionem & renovationem operatus eſt, & hanc Dominus Chriſtus noſter Deus, poſtquam reſurrexit a mortuis, diſcipulis ſuis oſtendebat, dicens: Palpate me, & videte; quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet, quemadmodum me videtis habere. *Non dixit, quemadmodum me dicitis eſſe, ſed* habere: *ut & qui habet, & qui habetur conſiderans, non permixtionem, non converſionem, non mutationem, ſed unitatem factam reſpicias. Propterea & formas clavorum, & fixionem lanceæ demonſtravit, & cum diſcipulis manducavit, ut per omnia reſurrectionem noſtræ naturæ in ſe renovatam doceret.*

Et quia ſecundum beatam divinitatis ſubſtantiam inconvertibilis eſt, incommutabilis, impaſſibilis, immortalis, nullius indigens, perficiens omnia, paſſiones permiſit proprio inferri templo, quod virtute propria ſuſcitavit, & per propriam perfectionem templi ſui, renovationem noſtræ naturæ operatus eſt.

Qui autem dicunt ſubtilem hominem Chriſtum, aut paſſibilem Deum, aut in carnem verſum, aut congenitum habuiſſe corpus, aut de cœlo hoc detuliſſe, aut phantaſma eſſe, aut mortalem dicentes, Deum Verbum indiguiſſe, ut a Patre ſuſcitaretur, ſine anima corpus, aut ſine ſenſu hominem ſuſcepiſſe, aut duas ſubſtantias Chriſti, ſecundum permixtionem confuſas, unam factam fuiſſe ſubſtantiam; & non confitentes Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum duas eſſe naturas inconfuſas, unam autem perſonam,

ſonam, ſecundum quod unus Chriſtus, unus idem filius, iſtos anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

Expoſitio iſta fidei, tota quanta eſt, pertinet ad veritatem incarnationis, adverſus hæreſes ea tempeſtate graſſantes, quas inter Apollinariana, Neſtoriana, & Eutychiana eminebant.

XXVIII. Pelagius I. in epiſtola ad Regem Childebertum, apud quem calumnioſe accuſatus fuerat, quaſi de Incarnatione Verbi divini non perinde ſentiret, ac S. Leo, poſt laudatum, quem aliis literis receperat, Leonis tomum, priorumque quatuor Synodorum honorificam mentionem.

Credo, inquit, *in unum Deum, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, Patrem ſcilicet omnipotentem, ſempiternum, ingenitum: Filium vero ex ejuſdem Patris ſubſtantia genitum, ante omne omnino vel temporis vel cujuſquam initium, de omnipotente omnipotentem, æqualem, conſempiternum, & conſubſtantialem genitori: Spiritum quoque Sanctum omnipotentem, utrique, Patri ſcilicet ac Filio, æqualem, conſempiternum atque conſubſtantialem, qui ex Patre intemporaliter cedens, Patris eſt Filiique Spiritus. Hoc eſt, tres perſonas, ſive tres ſubſiſtentias unius eſſentiæ, ſive naturæ, unius virtutis, unius operationis, unius beatitudinis, atque unius poteſtatis, ut trina ſit unitas, & una ſit Trinitas, juxta vocem Dominicæ veritatis, dicentis:* Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

In nomine, inquit, *non nominibus, ut & unum Deum, per indiſtinctum divinæ eſſentiæ nomen oſtenderet, & perſonarum diſcretionem ſuis demonſtratam proprietatibus edoceret: quia dum tribus unum deitatis nomen eſt, æqualitas oſtenditur perſonarum, & rurſus æqualitas perſonarum nihil extraneum, nihil accidens in eis permittit intelligi: ita ut & unuſquiſque eorum verus perfectuſque ſit Deus, videlicet ex plenitudine divinitatis, nihil minus in ſingulis, nihil amplius intelligatur in tribus.*

Ex hac autem ſancta & beatiſſima, atque conſubſtantiali Trinitate, credo atque confiteor, unam perſonam, id eſt, Filium Dei, pro ſalute humani generis, noviſſimis temporibus deſcendiſſe de cælo, nec patriam ſedem, nec mundi gubernacula relinquentem, & S. Spiritu ſuperveniente in beatam Virgine Maria, atque obumbrante ei virtute Altiſſimi, eumdem Verbum ac Filium Dei in utero ejuſdem ſanctæ Virginis Mariæ clementer ingreſſum, & de carne ejus ſibi uniſſe carnem, anima rationali & intellectuali animatum.

Nec ante creatam eſſe carnem, & poſtea ſuperveniſſe Filium Dei, ſed ſicut ſcriptum eſt, Sapientia ædificante ſibi domum, mox carnem in utero Virginis, mox Verbi Dei carnem factam, exindeque, ſine ulla permutatione aut converſione Verbi carniſque naturæ, Verbum ac Filium Dei factum hominem, unum in utraque natura, divina ſcilicet, & humana, Chriſtum Jeſum, Deum verum, eumdemque verum hominem proceſſiſſe, id eſt, natum eſſe, ſervata integritate maternæ virginitatis, quia ſic eum virgo permanens genuit, quemadmodum virgo concepit. Propter quod eamdem beatam Virginem Mariam, Dei genitricem, veriſſime confitemur: peperit enim incarnatum Dei Verbum.

Eſt ergo unus atque idem Jeſus Chriſtus, verus Filius Dei, & idem ipſe verus filius hominis; perfectus in deitate, & idem ipſe perfectus in humanitate, utpote totus in ſuis, & idem ipſe totus in noſtris: ſic per ſecundam nativitatem ſumens ex homine matre, quod non erat, ut non deſiſteret eſſe, quod per primam, qua ex Patre natus eſt, erat.

Propter quod eum ex duabus & in duabus manentibus indiviſis, inconfuſiſque credimus eſſe naturis. Indiviſis quidem; quia & poſt aſſumptionem naturæ noſtræ unus Chriſtus Filius Dei permanſit & permanet: inconfuſis autem, quia ſic in unam perſonam atque ſubſiſtentiam adunatas credimus eſſe naturas, ut utriuſque proprietate ſervata, neutra converteretur in alteram. Ac propterea, ſicut ſæpe diximus, unum eumdemque Chriſtum eſſe verum Filium Dei, & eumdem ipſum verum Filium hominis confitemur, conſubſtantialem Patri ſecundum deitatem, conſubſtantialem nobis eumdem ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato, paſſibilem carne, eumdem ipſum impaſſibilem deitate.

Quem ſub Pontio Pilato ſponte pro ſalute noſtra paſſum eſſe carne, confitemur, crucifixum carne, mortuum carne, reſurrexiſſe tertia die, glorificata & incorruptibili eadem carne, & converſatum poſt reſurrectionem cum diſcipulis ſuis, ac multis modis evidenter eis oſtendiſſe ſui corporis veritatem, & quadrageſimo die videntibus eiſdem diſcipulis aſcendiſſe in cælos; ſedere etiam ad dexteram Patris, credo & confiteor, ſecundum teſtificationem angelorum, ſicut aſcendit in cælos, ita venturum, judicare vivos & mortuos. Omnes enim homines ab Adam uſque ad conſummationem ſæculi natos & mortuos, cum ipſo Adam ejuſque uxore, qui non ex aliis parentibus nati ſunt, ſed alter de terra, altera autem de coſta viri, creati ſunt: tunc reſurrecturos eſſe confiteor, & adſtare ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bona,

ſive

ſive mala; & juſtos quidem per largiſſimam gratiam Dei, utpote vaſa miſericordiæ in gloriam præparata, æternæ vitæ præmiis donaturum, in ſocietate videlicet angelorum, absque ullo jam lapſus ſui metu, ſine fine victuros: iniquos autem, arbitrio voluntatis propriæ, vaſa iræ apta in interitum permanentes, qui viam Domini, aut non agnoverunt, aut cognitam diverſis captu prævaricationibus reliquerunt, pœnis æterni atque inextinguibilis ignis, ut ſine fine ardeant, juſtiſſimo judicio traditurum.

Nullus ſermo fit de V. Synodo, quoniam adhuc in Galliis male audiebat, quaſi Calchedonenſi repugnaret: fit autem de prædeſtinatione & vaſis miſericordiæ, propterea quod quæſtiones ea de re adhuc movebantur in regno Childeberti, quamvis Arauſicana II. Synodus, habita anno 529. ſententiam dixiſſet, eamque Bonifacius II. confirmaſſet.

XXIX. Gregorius I. ad Patriarchas ſcribens more majorum, poſt expoſitas prolixe oneris paſtoralis difficultates, imploratasque fratrum preces, quibus ad implendum munus juvetur, ſic habet: *Præterea,* quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, *ſicut ſancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor . . . . Quintum quoque Concilium pariter veneror, &c.* quæ pag. 214. allata ſunt.

XXX. Quinque Synodorum ſuſceptio fuit his temporibus plena certaque fidei Catholicæ expoſitio. Quintæque idcirco facta eſt diſtinctior expreſſiorque mentio, quoniam a multis nondum recepta fuerat, & in ipſa quoque Italia, vicinisque locis ſchiſmatici adhuc movebant turbas, a quibus ſe diſcernere, Catholicorum intererat.

§. IV. *De prima profeſſione fidei.*

XXXI.

Hactenus de profeſſionibus fidei generaliter, nunc de ſingulis: & de prima quidem obſervavimus duo: alterum, eam circa ſeptimum ſæculum ſucceſſiſſe Symbolo, quod eo uſque in uſu fuerat, pro temporibus tamen additamenta quædam paſſum; alterum, ſuis & ipſam acceſſionibus affectam fuiſſe, prout a ſeptimo ſæculo, quo uſurpari cœpit, receſſum eſt longius ad tempus, quo deſiit: utrumque abunde in notis probatum eſt.

XXXII. Reſtat inquirere, quo tempore deſierit: erat adhuc in uſu ætate Yvonis Carnotenſis, ut in præfatione diximus, id eſt, anno [illegible] imo & anno 1294. quo anno Bonifacius VIII. S. Celeſtino V. ſucceſſit:

ſucceſſit: eam enim in ordinatione ſua emiſit, ut eſt apud Bzovium, ex MS. Vatic. Libet initium huc adducere: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, ducenteſimo, nonageſimo quarto, Indictione octava. Ego Benedictus Cajetanus, S. R. E. Diaconus Cardinalis, & Electus, ut fiam per Dei gratiam.* Cætera, quæ ſequuntur, ſunt eadem omnino, quæ in Baroniana.

XXXIII. Videtur deſiiſſe ſæculo ſequenti: nam Conſtantienſes eam velut antiquatam aliquatenus revocare velle ad uſum viſi ſunt, cum ſeſſ. 39. ſtatuerunt, qua formula Summus Pontifex, antequam ipſius electio publicaretur, fidem ſuam profiteretur. Sic enim edicunt.

Quanto Romanus Pontifex eminentiori inter mortales fungitur poteſtate, tanto clarioribus ipſum decet fulciri fidei vinculis, & ſacramentorum Eccleſiaſticorum obſervandis ritibus alligari. Eapropter ut in futurum Romani Pontificis, in ſuæ creationis primordiis, ſingulari ſplendore luceat plena fides, ſtatuimus & ordinamus, quod deinceps quilibet in Romanum Pontificem eligendus, antequam ſua electio publicetur, coram ſuis electoribus publice confeſſionem & profeſſionem faciat infra ſcriptas.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Anno a Nativitate Domini milleſimo, &c. Ego N. electus in Papam, omnipotenti Deo, cujus Eccleſiam ſuo præſidio regendam ſuſcipio, & beato Petro, Apoſtolorum Principi, corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita conſtitutus fuero, me firmiter credere & tenere ſanctam fidem catholicam, ſecundum traditiones Apoſtolorum, generalium Conciliorum, & aliorum ſanctorum Patrum, maxime autem ſanctorum octo Conciliorum generalium, videlicet primi Nicani, ſecundi Conſtantinopolitani, tertii Epheſini, quarti Calchedonenſis, quinti & ſexti Conſtantinopolitanorum, ſeptimi item Nicani, octavi quoque Conſtantinopolitani; nec non Lateranenſis, Lugdunenſis, & Viennenſis, generalium etiam Conciliorum; & illam fidem uſque ad unum apicem immutilatam ſervare, & uſque ad animam & ſanguinem confirmare, defenſare & prædicare. Ritum pariter Sacramentorum Eccleſiaſticorum catholicæ Eccleſiæ traditum omnimode proſequi & obſervare.

Hanc autem profeſſionem meam per Notarium Scriniarium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, me jubente, ſcriptam propria manu ſubſcripſi, & tibi, omnipotenti Deo, pura mente & devota conſcientia ſuper tali altari, &c. ſinceriter offero, in præſentia talium, &c. Datum, &c.

XXXIV. Idem decreverunt Baſileenſes, eandemque ſtatuerunt formam conſenſus, ut loquuntur, niſi quod Conciliis addiderunt Baſileenſe, & confeſſioni pollicitationem atque juramentum. *Polliceor etiam fideliter laborare pro tuitione fidei catholicæ, & extirpatione hæreſium ac errorum, reformatione morum, ac pace in populo Chriſtiano. Juro etiam proſequi celebrationem Conciliorum generalium, & confirmationem electionum, juxta decreta ſacri Baſileenſis Concilii. Hanc autem profeſſionem, &c.*

Ad hæc formam adjunxerunt, qua ſingulis annis Summus Pontifex, anniverſario die ſuæ exaltationis, inter Miſſarum ſolemnia, a primo Cardinali, de officio moneretur: quæ forma nonnihil habet ſimile monitis, quæ recens ordinatus Epiſcopus a Summo Pontifice accipiebat, ut eſt in capite III. Diurni, tit. IX.

XXXV. Cum ab ordinatione Bonifacii VIII. ad decretum Conſtantienſe effluxerint anni circiter 123. neceſſe eſt, eo temporis intervallo antiquatam eſſe veterem formulam. Incertum vero, qua definite intervalli parte: incertum etiam, quam ob cauſam. Neque enim audiendi ſunt ſedis Apoſtolicæ importuni quidam obtrectatores, qui quæ ſomniant, temere effutiunt, deſiiſſe uſum formulæ, in qua mentio fit Conciliorum, cum moveri cœpit quæſtio, de Pontificum & Conciliorum autoritate comparata.

XXXVI. Non alia porro emiſſa eſt in ordinatione forma profeſſionis a S. Celeſtino V. quam quæ a Bonifacio ſucceſſore: quare ea etiam verba protulit ſanctiſſimus Pontifex, quæ in forma fidei habentur. *Profiteor tibi, beate Petre, Apoſtolorum Princeps, ſanctaque tua Eccleſia, quam hodie tuo præſidio regendam ſuſcipio, quod quamdiu in hac miſera vita conſtitutus fuero, ipſam non deſeram, non relinquam, non abnegabo, non abdicabo aliquatenus, nec ex quacumque cauſa, cujuſcumque metus vel periculi occaſione dimittam, nec me ſegregabo ab ipſa.*

XXXVII. Atque hinc præſertim argumentum ſuppetebat Bonifacii octavi hoſtibus, cur S. Celeſtini abdicationem illegitimam jactarent: quippe factam contra ſolemnem promiſſionem Deo Eccleſiæque factam. Verum hujus quæſtionis nihil ſupereſt, quod prudenter tractari poſſit, poſt Bonifacii conſtitutionem, Corpori Juris Canonici inſertam, & Ægidii Romani, aliorumque libros.

§. V. De

§. V. *De ſecunda profeſſione fidei.*

XXXVIII.

DE ſecunda vero id nunc tractandum, quod attigimus in notis, lectore ad hunc locum remiſſo, ſi de ſermone S. Leonis in die ordinationis habito edoceri vellet.

XXXIX. Sermonem hunc, qui primus omnium, a ſancto Pontifice dictorum, numeratur, editi Codices, etiam qui nuper, factum dicunt *in die anniverſario aſſumptionis ejus ad Romanæ ſedis culmen & onus.* Irrepſiſſe vocem hanc *anniverſario*, ſermo ipſe docet, ſeque habitum in ipſo aſſumptionis die evidenter oſtendit; quod quia nonnullius eſt ad hiſtoricam veritatem momenti, & apprime congruit loco, in quo verſamur, exponendum eſt manifeſtius, ac comprobandum: ſed prius proferendus ſermo totus.

Laudem Domini loquatur os meum, & nomen ſanctum ejus anima Pſal. 144. v. 21.
mea ac ſpiritus, caro & lingua benedicat. Quia non verecundæ, ſed ingratæ mentis indicium eſt, beneficia tacere divina; & ſatis dignum eſt, a ſacrificiis Dominicæ laudis obſequium conſecrati Pontificis inchoare; *quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri* Dominus, & bene Pſal. 135. v. 23.
dixit nobis; quia *fecit mirabilia magna ſolus*, ut præſentem me cerne Ibid. v. 5.
ret veſtræ ſanctitatis affectio, quem fecerat neceſſitas longæ peregrinationis abſentem.

Ago igitur Deo noſtro gratias, & ſemper acturus ſum *pro omni-* Pſal. 115. v. 3.
bus, quæ tribuit mihi: veſtri quoque favoris arbitrium debita gratiarum actione concelebro, evidenter intelligens, quantum mihi poſſint reverentiæ, amoris & fidei, ſtudia veſtræ dilectionis impendere, animarum veſtrarum ſalutem paſtorali ſolicitudine cupienti, qui tam ſanctum de me, nullis admodum præcedentibus meritis, judicium protuliſtis.

Obſecro igitur per miſericordias Domini, juvate votis, quem deſideriis expetiiſtis, ut & Spiritus gratiæ maneat in me, & judicia veſtra non fluctuent, præſtet in commune nobis omnibus pacis bonum, qui vobis unanimitatis ſtudia infudit: ut omnibus diebus vitæ meæ in omnipotentis Dei ſervitium, & ad veſtra paratus obſequia, cum fiducia poſſim Dominum deprecari: *Pater ſancte, conſerva eos in* Joan. 17. v. 11.
nomine tuo, quos dediſti mihi, ſemperque proficientibus vobis ad ſalutem, *magnificet anima mea Dominum*, & in futuri retributione judicii Luc. 1. v. 46.

ita mihi apud juſtum judicem ſacerdotii mei ratio ſubſiſtat, ut vos
1. Theſſ. 2. v. 19. mihi per bona opera veſtra ſitis *gaudium*, vos *corona*, qui bona voluntate ſincerum præſentis vitæ teſtimonium præſtitiſtis.

Honorabilem igitur mihi, dilectiſſimi, hodiernum diem fecit divina dignatio, quæ dum humilitatem meam in ſummum gradum provehit, quod neminem ſuorum ſperneret, demonſtravit: unde etſi neceſſarium eſt trepidare de merito, religioſum eſt tamen gaudere de dono, quoniam qui mihi oneris eſt autor, ipſe mihi fiet adminiſtrationis adjutor: & ne ſub magnitudine gratiæ ſuccumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem.

Recurrente igitur per ſuum ordinem die, quo me Dominus Epiſcopalis officii voluit habere principium, vera mihi in gloriam Dei cauſa eſt lætandi, qui mihi, ut multum a me diligeretur, multa dimiſit; & ut mirabilem faceret gratiam ſuam, in eum munera ſua contulit, in quo meritorum ſuffragia non invenit. Quo opere ſuo Dominus, quid cordibus noſtris inſinuat, quidve commendat, niſi ut de juſtitia ſua nemo præſumat, & de ipſius miſericordia nemo diffidat? Quæ tunc evidentius præeminet, quando peccator ſanctificatur, & abjectus erigitur. Neque enim de qualitate noſtrorum operum pendet cæleſtium
Job 7. v. 1. menſura donorum, aut in iſto ſæculo, in quo tota *vita tentatio eſt*, hoc
Pſal. 129. v. 3. unicuique retribuitur, quod meretur, ubi, *ſi iniquitates Dominus obſervaret, nullus judicium ſuum ſuſtineret*.

Pſal. 33. v. 4. *Magnificate* ergo, dilectiſſimi, *Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in invicem*, ut tota ratio celebritatis hodiernæ ad laudem ſui referatur autoris: nam quod proprie ad affectum animi mei pertinet, confiteor me plurimum de omnium veſtrum devotione gaudere; cumque hanc venerabilium conſacerdotum meorum ſplendidiſſimam frequentiam video, angelicum nobis in tot ſanctis ſentio intereſſe conventum. Nec dubito nos abundantiore hodie divinæ præſentiæ gratia viſitari, quando ſimul adſunt, & uno lumine micant tot ſpecioſiſſima tabernacula Dei, tot membra excellentiſſima corporis Chriſti.

Nec abeſt, ut confido, ab hoc cœtu etiam beatiſſimi Apoſtoli Petri pia dignatio, & fida dilectio: nec veſtram devotionem ille deſeruit, cujus nos reverentia congregavit. De veſtro itaque & ipſe gaudet affectu, & in conſortibus honoris ſui obſervantiam Dominicæ inſtitutionis amplectitur, probans ordinatiſſimam totius Eccleſiæ caritatem,

tatem, qua in Petri ſede Petrum forte ſuſpicit, & a tanti amore paſtoris, nec in perſona tam imparis tepeſcit heredis.

Ut ergo hæc pietas, dilectiſſimi, quam erga humilitatem meam unanimiter exhibetis, fructum ſui ſtudii conſequatur, miſericordiſſimam Dei noſtri clementiam ſupplices obſecrate, ut in diebus noſtris expugnet impugnantes nos, muniat fidem veſtram, multiplicet devotionem ac dilectionem, augeat pacem, meque ſervulum ſuum, quem *ad oſtendendas divitias gratiæ ſuæ*, gubernaculis Eccleſiæ voluit præſidere, ſufficientem tanto operi, & utilem veſtræ defenſioni dignetur efficere, & ad hoc tempora noſtræ ſervitutis extendere, ut proficiat devotioni, quod fuerit largitus ætati, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

XXXX. Si attentius ſermo conſideretur, ſingulaque ipſius diligentius perpendantur, confectum fatebitur quiſque, id quod intendimus. Quorſum enim verba hæc? *Dignum eſt a ſacrificiis Dominicæ laudis obſequium conſecrati Pontificis inchoare, &c. ut præſentem me cerneret veſtræ ſanctitatis affectio, quem fecerat neceſſitas longæ peregrinationis abſentem, &c. veſtri quoque favoris arbitrium debita gratiarum actione concelebro, &c. Obſecro igitur, juvate votis, quem deſideriis expetiiſtis, ut & Spiritus gratia in me maneat, & judicia veſtra non fluctuent, &c. Honorabilem igitur mihi hodiernum diem fecit divina dignatio, qua dum humilitatem meam in ſummum gradum provehit, &c. Recurrente igitur die, quo me Dominus Epiſcopalis officii voluit habere officium, &c.*

XXXXI. Quorſum, inquam, hæc verba, ſi anniverſarius dies ſignificari debeat, & non ipſemet natalis? Quorſum dicitur, *obſequium conſecrati Pontificis inchoari?* Quorſum mentio *reditus a longa peregrinatione?* Quorſum actio gratiarum pro electione? Quorſum præſentis temporis verbum *provehit*, ſi jam unum ſaltem annum totum in Pontificali ſede tranſegiſſet? *Rom. 9. v. 23.*

XXXXII. Iis igitur, a quibus tituli ſermonibus Leonis additi ſunt, impoſuerunt hæ voces: *Recurrente igitur die, quo me Dominus Epiſcopalis officii voluit habere principium.* Viſæ ſunt enim recurſum anniverſarii diei, & non ſolius feriæ, poſt ſeptem hebdomadas, innuere.

XXXXIII. Adde, quod adjuncta omnia hiſtorica electionis, aſſumptioniſque idipſum oſtendunt: nam cum Sixtus præceſſor exiiſſet

e vita die 28. Martii, Leo, qui procul in Galliis, ad reconciliandos Aetium & Albinum diſſidentes, verſabatur, unanimi ſtudio electus eſt, miſſaque legatione, Romam, quo poſt quadraginta dies venit, ad Pontificatum ineundum revocatus; quo temporis intervallo, & mira quadam pace omnia tranſacta ſunt, & plurimi Præſules ad ordinationis feſtivitatem confluxerunt, & maximo omnium plauſu peracta conſecratio, recurrente electionis die, ut ſcilicet, qui electus fuerat feria 6. quæ dies 29. Martii, ordinaretur eadem feria, quæ dies 10 Maji, cum vacaſſet nimirum ſedes amplius 40. diebus, ut eſt in Chronico credito Proſperi, vel ut habetur apud emendatum Anaſtaſium, 42. diebus.

§. VI. *De cauſa Honorii, Summi Pontificis, & VI. Synodi generalis.*

Attigimus etiam in notis ad hanc profeſſionem, pauca de Honorio Papa, qui tamen in ea damnatur: operæ pretium eſt, de cauſa tanta diſſerere, quoniam a variis varie agitatur, & ex eo loco, in quo verſamur, definiri poteſt, quomodo diximus in Præfatione, id eſt, ſalva ſedis Apoſtolicæ & œcumenicæ Synodi reverentia.

I. Anceps viſa eſt in hunc uſque diem, difficiliſque illa cauſa, non ipſa per ſe, opinor, ſed quoniam animorum affectio autores in partes diviſit: omnes enim fere ad diſputationem afferunt præjudicatam ſententiam, aliis Honorium nolentibus a ſexta Synodo damnatum, aliis aliquid contrarium vehementer volentibus. Qui nolunt damnatum, illi ut plurimum contendunt acta Synodi, quæ habentur, eſſe corrupta; ſunt tamen ex iis, qui Synodum erraſſe pugnent. Qui damnatum volunt, hi partim affirmant Synodum erraſſe, partim Honorium Monotheliſmi inſimulant: atqui tria hæc corrupta eſſe acta, erraſſe Synodum, Honorium Monothelitam fuiſſe, difficilia creditu, imo improbabilia merito videri queunt: nam corrupta eſſe acta, nemo nunc affirmanter defenderit, qui bona fide rem agat; reliqua autem duo offendunt animos eorum, qui vel Synodum, cui præſedit Spiritus Sanctus; vel ſedem Apoſtolicam, in qua fides Petri immobiliter manet, venerantur & colunt.

II. Operæ pretium eſt, incredibilitatem horum trium demonſtrare, ut diſcuſſis vanarum commentationum nebulis, veritas affulgens, & actorum integritati, & Synodi ſententiæ, & ſedis Apoſtolicæ puritati, honorifice conſulat.

III. Ut

III. Ut id vero præſtetur, probandum eſt primo, adulterata non fuiſſe acta ſextæ Synodi, tum ab eadem Synodo Honorium re ipſa damnatum, poſtea nec illam erraſſe, nec illum Monothelitarum hæreſi infectum fuiſſe; ſed prius de Monothelismo aliquid breviter prælibandum.

IV. Docet tria fides catholica, I. duas eſſe in Chriſto naturas, divinam & humanam; II. eas ſubſtantialiter conjungi, III. conjunctionem hanc ſubſtantialem eſſe tantum hypoſtaticam. Subſtantialem naturarum unitionem aliqui, cum aſſequi non valerent, Neſtorianiſmum de duabus in Chriſto perſonis excogitarunt; alii, cum intelligere non poſſent ſubſtantialem unionem, quæ hypoſtatica tantum eſſet, hæreſim de una in Chriſto natura pepererunt. Peccarunt hi & illi, ſed priores per defectum, ſolam unionem σχετικὴν agnoſcentes; poſteriores per exceſſum, fingentes, aut Verbum informaſſe carnem inſtar animæ ac mentis, aut naturas duas confuſas fuiſſe, aut ineffabilem quandam alterius in alteram contigiſſe converſionem, qua fieret, ut cum ante unitionem duæ extitiſſent, poſt unitionem unica remaneret, ſed quæ tamen alterius ſpeciem retineret, eaque ſe indueret.

V. Primus error fuit Arianorum & Apollinarii; ſecundus Polemonis; poſtremus Eutychis, aut Armenorum potius Monachorum, qui deliro ſeni illuſerunt.

VI. Eutyches igitur Incarnationem eo fere modo factam aſſeruit, quo ſolent Catholici conſecrationem Euchariſtiæ, converſione ſcilicet alterius ſubſtantiæ in alteram, ſpecie illius, quæ convertitur, remanente, alterique adhærente: dicebat nempe naturam humanam, cum *Verbum caro factum eſt*, converſam ita in Verbum, ut remaneret tamen humana ſpecies, qua indutum Verbum perinde incurreret in oculos, ac Chriſti corpus, ſpecie panis poſt peractam converſionem remanente obvelatum, ferit ſenſus.

VII. Inde vero conſequebantur plurima, ſed hæc maxime ſex: I. unicam eſſe reipſa poſt unitionem naturam, cum antea fuiſſent duæ, itaque interpretabatur Eutyches Cyrilli dictum de una poſt unitionem incarnata Verbi natura. II. Chriſtum eſſe Deum οὐσιωδῶς, hominem ſpecie. III. Verbum vere eſſe natum ex virgine, vere paſſum ac crucifixum. IV. Unicam fuiſſe Chriſti operationem, unam voluntatem. V. Adhæſiſſe Eutychem Docetis hæreticis, qua parte negabat humanam

nam naturam reipſa manere. VI Conſenſiſſe ex parte Ario & Apolinario, perfectam non agnoſcentibus in Chriſto humanitatem.

VIII. Error ille, ut potentiſſimis duobus nitebatur præſidiis, autoritate Cyrilli, ementita quidem, ſed credita; & vera Eutychis formidoloſaque, propter Chryſaphium Eunuchum, potentia, ita exiguo tempore incredibiliter invaluit: nam & Ægyptum fere totam obtinuit, propter Cyrilli nomen; & Conſtantinopoli dominata eſt, propter Chryſaphium; & apud Monachos Orientis altas egit radices, ob Eutychis Monachi famam, ac ſpeciem ſanctitatis.

IX. Damnatus eſt Conſtantinopoli primum a ſancto Flaviano; deinde Romæ a Leone Magno; denique Calchedone a ſexcentis & triginta Patribus: extinctusque videri tunc potuit, & revera erat, niſi alte animis hominum de vulgo inſediſſet vana quædam opinio, inter Eutychis & Neſtorii partes nihil eſſe medium, & eum, qui duas naturas fateretur, adhærere Neſtorio; qui unam perſonam, Eutychi: naturam enim a perſona, hoc in negotio, vulgus non diſcernebat.

X. Poſt Concilium Calchedonenſe Oriens tres in partes ſciſſus eſt: nam Concilii definitionem alii omnino rejecerunt, alii omnino receperunt: nonnulli partim rejecerunt, partim receperunt: receperunt omni ex parte Catholici, Eutychiani omni ex parte rejecerunt; tertiam viam ingreſſi ſunt, qui a Græcis διακρινόμενοι, a Latinis Hæſitantes dicti: ex his ortum Monothelitæ habuerunt.

XI. Nonnulli enim, cum autoritate Concilii cogerentur, duas fateri in Chriſto naturas, καθ᾽ ὑπόστασιν unitas, nec adhuc tamen depoſuiſſent animo præjudicium illud Apolinarii, quod Cyrillus refert in Apologetico ad Theodoſium, uniri ſubſtantialiter non poſſe, ſed σχετικῶς tantum, quæ ſingula perfecta eſſent, atque ita eo requiri, ut aliquid uni deſit, quod ab altero ſuppleatur: cumque illud, quod deeſſe deberet, in neutra natura reperire poſſent; utraque enim integra & perfecta inerat Chriſto, divina quidem, quia ſimplex eſt; humana vero, quoniam carni neque anima humana deerat, neque mens. Id in operatione ponendum cenſuerunt, atque ita unam dixerunt eſſe Chriſti operationem, & unam θέλησιν, ſeu voluntatem, eamque divinam; unde etiam nacti ſunt appellationem Monothelitarum.

XII. Fuerunt, fateor, argumenta alia, quibus ſe poſtmodum hæreſis ſtabilire conata eſt: ſed erat præcipuum in eo, quod dixi, præſidium, ſi modo, quod viſum omnibus fere communiter Patribus,

Mono-

Monothelitæ inter Eutychianos, aut Apolinariſtas potius, cenſentur; nam alia illa, quæ protulerunt, adducere pro ſe ipſi quoque potuerunt. Neſtoriani; qui revera Monothelitæ extiterunt, antequam hoc nomen audiretur: definiebant ſcilicet Chriſtum, hominem a verbo *ἐνεργούμενον*, ajebantque hominem divini Verbi merum eſſe inſtrumentum, illudque ſimile ferramentis, quibus artifex utitur, quibusque motum imprimit, cum a ſe nullum prorſus habeant.

XIII. Inde factum eſt, ut in epiſtola Agathonis Papæ ad Conſtantinum Imperatorem, quæ in ſexta Synodo act. 4. relecta eſt, inter recenſenda teſtimonia hæreticorum pro una operatione, de Neſtorio hæc habeantur: *Item ex libro IV. Neſtorii hominicale, quem inſcripſit præclara initiationis. (ἐπιφανοῦς μυήσεως) Inconfuſas cuſtodimus naturas, non ſecundum ſubſtantiam unitas, ſed voluntate; propter quod earum unam voluntatem, operationem & dominationem ſtatuimus, dignitatis æqualitate oſtenſa. Deus enim Verbum aſſumens, quem prædeſtinavit hominem, per poteſtatis rationem, ad eum non eſt ſecretus, propter præſtitutum affectum.*

XIV. Quam vero voluntatem Monothelitæ intelligerent, & humanæ naturæ detraherent, facultatem ipſam volendi, an ſolam operationem, diſputant recentiores Theologi; ſed immerito, ut mihi quidem videtur: controverſiam enim fidei, eamque maximam, imprudenter revocant ad levem illam Philoſophorum quæſtionem, utrum facultates animæ reipſa differant ab ipſius ſubſtantia; ſi enim non differant, qui poſſit abeſſe volendi facultas, ubi anima eſt?

XV. Volebant igitur, in quo erant hæretici, humanam in Chriſto naturam eſſe inſtrumentum divinæ perſonæ: inſtrumentum inquam, non quod ageret cum ageretur, ut ſentit Eccleſia; ſed quod ageretur tantum, aut potius pateretur, inſtar inſtrumentorum vitæ expertium, quæ ex ſe, ſuoque proprio motu agunt nihil, ſed pure patiuntur ab artifice.

XVI. Ita vero ſi conſtituta ſit Monothelitarum hæreſis, conſonant mirifice omnia, quæ vel ipſi pro ſe afferunt, vel ipſis Catholici objiciunt. Proferunt illi pro ſe duo potiſſimum, nempe quod, cum ita ſentiunt, & a damnatis in Concilio Calchedonenſi hæreticis recedant longe, & Chriſti dignitati, ut qui maxime, conſulant.

XVII. Damnati ſunt, inquiebant, in Concilio Calchedonenſi Arius, Apollinarius, Neſtorius, Eutyches, & confuſionis autor Polemon.

Ab his recedimus longe, & ab Ario quidem ac Apollinario, quoniam in Chriſto naturas duas integras perfectaſque fatemur; ab aliis autem, propterea quod, & unitionem hypoſtaticam naturarum admittimus, contra Neſtorium; & poſt unitionem naturas duas agnoſcimus, adverſus Eutychem; & confuſionem naturarum rejicimus, contra Polemonem.

XVIII. Ad dignitatem Chriſti, quod huc attinet, faciunt præſertim duo, unitas, atque impeccabilitas. Unitati conſulere ſibi Monothelitæ videbantur: primum, quod uni eidemque Verbo tribuerent omnia, quæ dicuntur de Chriſto, humana & divina. Deinde, quod non dividerent voces Evangelicas & Apoſtolicas de Chriſto. Denique, quod Deum vere natum de Virgine aſſererent, vereque paſſum & mortuum.

XIX. Impeccabilitatem Chriſti illæſam ſervare ſe jactabant, cum peccati radicem omnem evellerent, pugnam ſcilicet judiciorum & voluntatum. Neque enim duas in Chriſto operationes voluntateſque ponebant, ſed unicam, quæ Dei foret: ſic enim ratiocinabantur. Voluntas eo ipſo, quod creata ſit, peccabilis eſt: ſi qua igitur ejuſmodi in Chriſto ponatur, Chriſtus peccabilis dicitur: non eſt autem peccabilis Chriſtus: non eſt igitur in eo voluntas creata. Deinde, ubicumque ſunt voluntates duæ, & illæ quidem duarum differentium naturarum propriæ, poteſt eſſe pugna; ſic enim in homine voluntas carnis, & voluntas ſpiritus pugnant. Pugnare vero voluntatem humanam cum divina, peccare eſt: peccare igitur poſſet Chriſtus, ſi humanam haberet voluntatem: peccare autem non poteſt; non habet igitur humanam voluntatem.

XX. Hæc pro ſe hæretici, Catholici vero præter varios Scripturæ locos, quibus humana in Chriſto anima voluntaſque probatur, objiciebant potiſſimum quatuor: I. Quod unius voluntatis aſſertores cum Docetis, Apollinarianiſque, & Neſtorianis, ac Eutychianis ſentirent. II. Quod repugnarent Apoſtolo Chriſtum docenti, fratribus per omnia ſimilem factum, præter peccatum. III. Quod Incarnationis perfectionem tollerent. IV. Quod perimerent veritatem redemptionis hominum per Chriſtum.

XXI. Objiciebant iſta Catholici, paradoxe quidem in ſpeciem, ſed reipſa vere: quantumvis enim verbis catholicis hæretici errorem diſſimularent, re vera tamen ſentiebant, & cum Docetis, ſaltem ex parte, vide-

videbatur enim eſſe humana in Chriſto voluntas, quæ nulla erat: & cum Apollinarianis, quia ubi eſt natura rationis particeps, neceſſe eſt etiam eſſe naturalem ipſius operationem: & cum Eutychianis, quoniam ut omnes Patres adverſus Trinitatis *ὁμουσίου* impugnatores aſſumunt, ubi una eſt operatio, una quoque natura eſt: & denique cum Neſtorianis, humana ſiquidem Chriſti natura, ſi voluntate propria, quæ libera, careat, merum eſt Verbi divini inſtrumentum, operationis naturalis expers; Chriſtusque aliud nihil eſt, quam homo a Verbo *ἐνεργούμενος*.

XXII. Deinde clamat Apoſtolus *debuiſſe Chriſtum per omnia* Heb. 2. v. 17.
fratribus ſimilari, excepto peccato, ut interpretantur Patres; non potuit vero tanta ſimilitudo intercedere, ſi Chriſto defuit, quod in aliis præſtantiſſimum eſt *αὐτεξούσιον*, id eſt, operatio animæ rationalis propria.

XXIII. Poſtea incarnatio peracta eſt eo fine, ut liberaretur homo a ſervitute peccati; ſi ergo Verbum voluntatem humanam non aſſumpſit, eam certe non liberavit, cum tamen ea vel maxime, vel ſola per ſe ſerviret, quippe quæ proprie ſola rea eſt: Verbum enim non liberavit, niſi quod aſſumpſit, liberatio ſiquidem efficitur *κατὰ τὸ σύμφυες*, ut docent Patres.

XXIV. Denique redimere Chriſtus homines non potuit, niſi merito & ſatisfactione; nullum vero eſt meritum, nulla ſatisfactio, ubi nulla operatio creata libera; nam mereri & ſatisfacere inferioris eſt, qui libere actiones paſſionesque idoneas ſuperiori offenſo exhibeat.

XXV. Ex his conſtat, quæ fuerit Monothelitarum hæreſis: negabant ſcilicet ullam eſſe in Chriſto voluntatem liberam præter divinam, quæ humanam moveret, ut purum inſtrumentum artifex.

XXVI. Illa vero hæreſis, ut ſalutis humanæ caput petebat, ita Catholicorum animos vehementer commovit: ſenſerunt enim continuo agi de ſumma totius ſalutis, & id occulte moliri dæmonem, ut per miniſtros ſuos, ſpeciem Catholicorum, Calchedonenſem fidem profitentium, ementitos, perſuaderet populis, aut piam eſſe unius operationis ſententiam, aut quæſtionem de una vel duabus voluntatibus eſſe levem, quæ ſilentio ſopiri deberet potius, quam verbis agitari.

XXVII. Inde factum, ut Chriſtianus orbis tres in partes ſcinderetur; aliis duas operationes ſingularum Chriſti naturarum proprias defendentibus; aliis unicam reipſa, eamque Dei propriam dicentibus;

 aliis

Aliis denique ab unius aut duarum appellatione abſtineri volentibus, quaſi ad ὀρθοδοξίαν ſufficeret, ſimpliciter operationem Chriſti Dei & hominis profiteri; cætera enucleatius exponere, ſuperfluum, atque etiam noxium. Duas voluntates operationesque Catholici dicebant, unicam Monothelitæ: nec unam, nec duas dici debere, edixit Conſtantius in Typo, cauſatus, eam fuiſſe Honorii Papæ ſententiam. Quo jure id cauſatus ſit, nunc videndum.

XXVIII. Parentum ætate multi, cum audirent hæreticos Honorio crimen hæreſis Monothelitarum objicere, & importune congerere teſtimonia, falſa quidem reipſa, ſed probabilia tamen in ſpeciem, crediderunt temere rem ita ſe habere, opinioque velut conteſtata obtinuit. Nunc vero poſtquam agitata eſt diligentius ſanctiusque cauſa, pauci numero, iique vel ſuſpectæ aliunde fidei, vel non maximæ autoritatis, Honorium Monotheliſmi damnant, reliqui bene multi abſolvunt.

XXIX. Quam illi inconſiderate ſentiunt, tam iſti circumſpecte: neque enim aliter de quæſtione ſcripſit Honorius, quam S. Leo, niſi quod fidei dogma ſanctus Leo brevius preſſiusque, prolixius Honorius expoſuit. Ita St. Leo: *Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt; Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt; & carne exequente, quod carnis eſt.* Honorius: *Utraſque naturas in uno Chriſto unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus: & divinam quidem, quæ Dei ſunt, operantem; & humanam, quæ carnis ſunt, exequentem, &c.*

XXX. Videtur ergo fere ſuperfluum, diutius in hoc argumento verſari, præſertim cum epiſtolæ duæ Honorii, quæ in ſexta Synodo prolatæ ſunt act. 12. & 13. ſi conferantur cum ipſa definitione fidei ab eadem Synodo compoſita, nulla in parte inveniantur differre, niſi quod, & in priore fit mentio unius voluntatis, & in utraque, per quamdam œconomiam, ad coërcendas animorum contentiones, prohibetur, ne unius vel duarum operationum voces inter prædicandum uſurpentur.

XXXI. Verum prior differentia nullius eſt momenti, poſterior parvi ad rem, qua de agitur: nam una illa voluntas, cujus meminit Pontifex, nihil ad quæſtionem Monothelitarum pertinet: fuit enim humana & ſpiritus propria, excludens eam dumtaxat, quæ carnis dicitur, quæque in nobis originis peccato infectis, adverſus rationem rebellat.

rebellat. Negavit id unum ſcilicet Honorius, quod & omnes Catholici, aſſumptam eſſe a Verbo naturam, in qua pugnantes inter ſe forent voluntates, & exiſteret fomes, ut ajunt, peccati. Iſtud aperte oſtendunt hæc verba: *Unam fatemur voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, quia profecto a Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa; illa profecto, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem vitiata.* Et poſtea: *Non eſt itaque aſſumpta, ſicut præfati ſumus, a Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus;* ſed venit quærere & ſalvare, quod perierat, *id eſt, vitiatam hominis naturam: nam lex alia in membris, aut voluntas diverſa non fuit, vel contraria Salvatori, quia ſuper legem natus eſt humanæ conditionis, &c.*

XXXII. Hunc in ſenſum accipi debere verba Honorii, docent tres locupletiſſimi teſtes: Joannes Abbas, qui epiſtolam nomine Honorii compoſuit. Joannes IV. Honorii poſt annum medium ſucceſſor, in Apologia; & ſanctus Maximus Martyr, utriusque teſtimonio ſanctum Pontificem defendens, partim in diſputatione cum Pyrrho, partim in epiſtola ad Marinum.

XXXIII. Abbas igitur Joannes apud Maximum: *Unam voluntatem diximus in Domino, non Divinitatis ejus & humanitatis, ſed humanitatis ſolius. Cum Sergius ſcripſiſſet, quod quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, reſcripſimus, Chriſtum non duas voluntates contrarias habuiſſe, carnis, inquam, & ſpiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantum, quæ naturaliter humanitatem ejus ſignabat.*

XXXIV. Joannes IV. vel Joannes idem Abbas ipſius nomine: *Prædictus ergo deceſſor meus, docens de myſterio Incarnationis Chriſti, dicebat non fuiſſe in eo, ſicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium ſenſum convertentes, Divinitatis ejus & humanitatis unam eum voluntatem docuiſſe ſuſpicati ſunt; quod veritati omnimodis eſt contrarium.*

XXXV. Obſervandum obiter ad hæc teſtimonia, valere ipſa plurimum ad evertendam conjecturam nuperi Hiſtoriæ Monothelitarum ſcriptoris. Quærenti enim, qua ratione poſſet objectionem repellere, venit in mentem opinari, corruptionem, quam a Græcis factam, in literis Honorii queritur Maximus, in eo fuiſſe poſitam, quod pro *nova* voluntate, quam dixiſſet Honorius, *unam* ſubſtituerint, cum Latinas voces interpretarent Græce. Verum, ſi res ita ſe haberet, nec idonea foret interpretationis ratio, qua uterque Joannes utitur; nec

tolerari poſſet amborum patientia, de corruptione tacentium; imo nec ferri Joannis Diaconi ſocordia, qui Græcam epiſtolam cum authentica Latina contulit in Synodo, nec de fraude tanti momenti Patres monuit.

XXXVI. Quid ergo, inquies, ſexta Synodo fiet? an erravit, & quidem ſciens, cum poſt utriusque Joannis ſolemnem, datis ad Imperatorem literis, expoſitionem, Honorium damnavit, velut unius voluntatis aſſertæ, reumque ex ſuis ipſius epiſtolis peregit? Non erravit, procul dubio, ſancta Synodus, cum foret œcumenica: ex ſuis, fateor, epiſtolis damnavit Honorium; ſed quod unius voluntatis aſſertæ reum fecerit, id enimvero nego; imo contendo, non poſſe quidquam ex Synodi actis afferri, unde id concludi queat, quod mox demonſtrabitur, ubi de integritate actorum cum Baronio diſſeruerimus.

XXXVII. Diximus, orbem Chriſtianum ſciſſum fuiſſe tres in partes, propter motam de una Chriſti vel duabus voluntatibus a Monothelitis quæſtionem. Ut pax Eccleſiæ redderetur, & orbi concordia, collectum eſt ſextum Concilium Conſtantinopoli, in quo Catholici præ zelo & ardore veri dogmatis defendendi uno eodemque anathemate perculerunt Ecthesim Heraclii & Typum Conſtantii, hoc eſt, unius operationis defenſores Monothelitas, & Monothelitarum fautores, qui de una & duplici operatione taceri vellent.

XXXVIII. Hoc anathemate implicatus reperitur Honorius in actis Concilii, qualia nunc habentur: opinatur Baronius non haberi ſincera, opinionemque ſuam ita probabilibus conjecturis confirmat, ut viris etiam doctis eam perſuaſerit. Sincera eſſe quæ habentur, contendunt alii, multisque & gravibus argumentis pugnant.

XXXIX. Ad opinionem ſuam firmandam Baronius argumentis quatuor utitur: ait enim, nec Honorii ex parte quidquam fuiſſe cauſæ, cur damnaretur; nec poteſtatem habuiſſe Synodum, qua primam ſedem judicaret; nec fuiſſe tacituros, qui aderant, ſedis Apoſtolicæ Legatos, ſi quid ejusmodi attentatum fuiſſet; nec adulteratorem denique adulterandique cauſas latere.

XL. Primum ex eo conficit: I. Quod epiſtolæ duæ Honorii nihil Monotheliſmi contineant, nec damnent ullomodo duas voluntates, niſi quæ mutuo pugnent, ut caro & ſpiritus: quod catholicum eſt. II. Quod in ſuis literis Agatho, Honorii ſucceſſor, affirmet præceſſores ſuos integros fide, purosque erroris extitiſſe. III. Quod lite-

rarum Agathonis momentum per ſe graviſſimum augeat Synodi œcumenicæ autoritas, cum eas quaſi ab ipſo Petro conſcriptas recepit.

XLI. Concludit alterum eo maxime argumento, quod prima ſedes a nemine judicetur, eamque juris canonici regulam traditione, uſu & autoritate multorum, ſive ſummorum Pontificum, ſive Patrum, confirmat.

XLII. Jam vero tertium probat conjecturis. Legati, ait, ſi quid contra ſedis Apoſtolicæ honorem tentari vidiſſent in cauſa Honorii, reſtitiſſent certe eodem, aut etiam majore ſtudio, quam quo calumniam Vigilio in eadem Synodo illatam repulerunt: neque enim par tantum, ſed etiam longe major ratio impellebat, ſiquidem Vigilii memoria remotior foret, Honorii pæne præſens. Deinde id unum Cardinales Legati ſedis Apoſtolicæ Presbyteri duo, & Diaconus Joannes habuerunt in mandatis, *ut nihil præſumerent augere, vel minuere aut mutare, ſed traditionem hujus Apoſtolicæ ſedis, ut a prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtitutum eſt, ſinceriter enarrare.* Miſſi vero ab Occidentali Synodo Epiſcopi in aliud nihil damnandum conſentire poterant, quam quod ipſa Synodus, cujus erant vicarii, prius damnaſſet; alioquin peccaſſent in religionem ſui muneris, & in obſervantiam ſedis Apoſtolicæ, cujus integritas & fides videbatur lædi, vel ipſa capitis accuſatione. At Synodus Occidentalis nihil ſtatuerat in Honorium, nihil Pontificis tam ſancti culpaverat.

XLIII. Quartum denique ſic conficit: Theodorus damnatus eſt in VI. Synodo, nec usquam actorum ipſius mentio fit: adulteravit igitur acta, & quidem priusquam ederentur, nomenque Honorii, deleto ſuo, ſubſtituit. Damnatum probat, partim quia Monothelita fuit, Macariique Antiocheni fidem ſubſcripſit; partim quod nemini Synodus parcitum voluerit, qui in ea hæreſi fuiſſet. Adulteraſſe acta, ex ſilentio colligit, inſertosque poſt II. actionem quaterniones, quibus damnatio Honorii contineretur, factamque adulterationem ante acta edita dataque Legatis ſedis Apoſtolicæ, aliorumque Patriarcharum, exemplaria. Id vero facinoris quis tentare auſus, niſi is, cujus maxime intererat, fueratque in Romanos Pontifices vetus odium, ut qui ab Imperatore importunis precibus obtinuerat, ne Vitaliani nomen ſacris diptychis inderetur. Perficere vero potuit quod tentare auſus, quoniam cum, defuncto Georgio, reſtitutus eſſet in ſedem Conſtantinopolitanam anno 682, in poteſtate habuit acta ipſa authentica, priusquam

usquam ex urbe regia Legati Romani recederent: ipſis igitur ac aliis vitiata tradidit.

XLIV. Qui aliter quam Baronius de tanta cauſa ſentiunt, illi ut dudum ſunt generum, ita diverſas ad primum Cardinalis argumentum reſponſiones adhibent. Qui Honorium credunt Monothelisſmi reum, negant indulgendum humanis hac in parte conjecturis, ſed ſtandum judicio œcumenicæ Synodi, quippe cui præſedit Spiritus Sanctus, Legati ſedis Apoſtolicæ interfuerunt, ſummi Pontifices eumdem honorem, quem aliis quinque univerſalibus, paremque venerationem exhibent, univerſa Eccleſia Catholica conſenſum præbuit, & Eccleſia Romana ſuum cultum ad initium usque noſtri ſæculi teſtatum eſſe voluit publicis ſuis precibus, dum in feſto St. Leonis II. legendam præſcriberet tertiam hanc quartamque Lectionem, ad matutinum Officium. *Hic ſuſcepit ſanctam ſextam Synodum, quæ nuper per Dei providentiam in regia urbe celebrata eſt, Græco eloquio conſcriptam, exequente ac reſidente piiſſimo ac clementiſſimo magno Principe, Conſtantino, intra palatium, quod appellatur Trullus: ſimulque cum eo reſidebant Legati ſedis Apoſtolicæ, & duo Patriarchæ, Conſtantinopolitanus & Antiochenus, atque centum quinquaginta Epiſcopi: in qua Synodo condemnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus & Petrus, nec non Macarius cum diſcipulo ſuo Stephano; ſed & Polychronius novus Simon, qui unam voluntatem & operationem in Domino Jeſu Chriſto dixerunt, vel prædicaverunt, &c.*

XLV. Nunc aliter iſta, breviusque leguntur. *Probavit acta ſextæ Synodi, quæ Conſtantinopoli celebrata eſt, præſidentibus Legatis ſedis Apoſtolicæ, præſente quoque Conſtantino Imperatore, & duobus Patriarchis, Conſtantinopolitano & Antiocheno, ac centum & ſeptuaginta Epiſcopis, quam & in Latinum tranſtulit. In eo Concilio Cyrus, Sergius & Pyrrhus condemnati ſunt, unam tantummodo voluntatem & operationem in Chriſto prædicantes.*

XLVI. Qui vero Honorium erroris purum arbitrantur, aliam ob cauſam damnatum defendunt, nempe quod *autorum novi hæretici dogmatis pravis aſſertionibus fomentum impenderit*; quod *hæreſeos fautor, concurſor atque confirmator extiterit*; quod *Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtraverit, ſed profana proditione immaculatam maculari permiſerit*; quod *flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apoſtolicam autoritatem, incipientem extinxerit, ſed negligentia confo-*

confoverit; quod *immaculatam Apoſtolicæ traditionis regulam, quam a prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſerit.*

XLVII. Ad alterum Baronii argumentum, nihil melius afferri poteſt teſtimonio Adriani II. Pontificis, de ſuo prædeceſſore dicentis in Synodo Romana, quod in VIII. Synodi action. 7. refertur: *Intolerabilis eſt iſta præſumtio, & hanc aures præcordiorum, fateor, ſuſtinere non poſſunt. Quis autem veſtrum tale quid, precor, audivit, vel quis hujusmodi temeritatis, ſaltem lectione, immenſitatem invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus, de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus libere reſpuendi, quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi ſententiam, niſi ejusdem primæ ſedis præceſſiſſet autoritas.*

XLVIII. Quod pertinet ad Legatos, facilis eſt ſolutio rationis, quam Baronius ex ipſorum ſilentio deſumit. Nam primo, ſunt qui eos timiditatis accuſent, ut qui meticuloſe ceſſerint Orientalibus, Sergii ſui, quem mirifice colerent, nec ſubducere poſſent anathemati, dedecus communione damnationis cum Romano Pontifice minuere volentibus. Deinde, ſunt qui prudentem œconomiam laudi dent, ſiquidem communem univerſæ Eccleſiæ pacem unius hominis honori prætulerint. Tertio, non improbabiliter aliqui id eis in mandato datum credunt, quod & teſtimonio Adriani mox allato probant. Quarto, nihil aliud forſan in Concilio factum Honorio, quam quod in Synodo Romana, & in Agathonis literis; niſi quod Conſtantinopoli patentius & expreſſius actum, quod in Synodo Romana, ipſisque Agathonis literis implicite & ſubobſcure.

XLIX. Jam quod dicitur de Theodoro actorum corruptore, fidem fere omnem omni ex parte ſuperat. Nam primo, quod propter Monotheliſmum depoſitus ſit, & quidem paulo ante Synodum, nemo veterum tradit, nemo ante Baronium: quamquam ſuſpicio Baronii non improbabilis videtur: nam & Macarii Antiocheni fidei ſubſcripſit, & eo facto depoſitionem meruit, qua Macarius mulctatus eſt. Deinde, etſi conſenſerit Macario, quemadmodum & Georgius ſucceſſor, at pertinax non manſit, ſed Georgium imitatus, reſipuit: quam-

uſquam ex urbe regia Legati Romani recederent: ipſis igitur ac aliis vitiata tradidit.

XLIV. Qui aliter quam Baronius de tanta cauſa ſentiunt, illi ut dubium ſunt generum, ita diverſas ad primum Cardinalis argumentum reſponſiones adhibent. Qui Honorium credunt Monothelismi reum, negant indulgendum humanis hac in parte conjecturis, ſed ſtandum judicio œcumenicæ Synodi, quippe cui præſedit Spiritus Sanctus, Legati ſedis Apoſtolicæ interfuerunt, ſummi Pontifices eumdem honorem, quem aliis quinque univerſalibus, paremque venerationem exhibent, univerſa Eccleſia Catholica conſenſum præbuit, & Eccleſia Romana ſuum cultum ad initium usque noſtri ſæculi teſtatum eſſe voluit publicis ſuis precibus, dum in feſto St. Leonis II. legendam præſcriberet tertiam hanc quartamque Lectionem, ad matutinum Officium. *Hic ſuſcepit ſanctam ſextam Synodum, quæ nuper per Dei providentiam in regia urbe celebrata eſt, Græco eloquio conſcriptam, exequente ac reſidente piiſſimo ac clementiſſimo magno Principe, Conſtantino, intra palatium, quod appellatur Trullus: ſimulque cum eo reſidebant Legati ſedis Apoſtolicæ, & duo Patriarchæ, Conſtantinopolitanus & Antiochenus, atque centum quinquaginta Epiſcopi: in qua Synodo condemnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus & Petrus, nec non Macarius cum diſcipulo ſuo Stephano; ſed & Polychronius novus Simon, qui unam voluntatem & operationem in Domino Jeſu Chriſto dixerunt, vel prædicaverunt, &c.*

XLV. Nunc aliter iſta, breviusque leguntur. *Probavit acta ſextæ Synodi, quæ Conſtantinopoli celebrata eſt, præſidentibus Legatis ſedis Apoſtolicæ, præſente quoque Conſtantino Imperatore, & duobus Patriarchis, Conſtantinopolitano & Antiocheno, ac centum & ſeptuaginta Epiſcopis, quam & in Latinum tranſtulit. In eo Concilio Cyrus, Sergius & Pyrrhus condemnati ſunt, unam tantummodo voluntatem & operationem in Chriſto prædicantes.*

XLVI. Qui vero Honorium erroris purum arbitrantur, aliam ob cauſam damnatum defendunt, nempe quod *autorum novi hæretici dogmatis pravis aſſertionibus fomentum impenderit*; quod *hæreſeos fautor, concurſor atque confirmator extiterit*; quod *Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtraverit, ſed profana proditione immaculatam maculari permiſerit*; quod *flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apoſtolicam autoritatem, incipientem extinxerit, ſed negligentia confo-*

confoverit; quod *immaculatam Apoſtolicæ traditionis regulam, quam a prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſerit.*

XLVII. Ad alterum Baronii argumentum, nihil melius afferri poteſt teſtimonio Adriani II. Pontificis, de ſuo prædeceſſore dicentis in Synodo Romana, quod in VIII. Synodi action. 7. refertur: *Intolerabilis eſt iſta præſumtio, & hanc aures præcordiorum, fateor, ſuſtinere non poſſunt. Quis autem veſtrum tale quid, precor, audivit, vel quis hujusmodi temeritatis, ſaltem lectione, immenſitatem invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus, de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus libere reſpuendi, quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi ſententiam, niſi ejusdem primæ ſedis præceſſiſſet autoritas.*

XLVIII. Quod pertinet ad Legatos, facilis eſt ſolutio rationis, quam Baronius ex ipſorum ſilentio deſumit. Nam primo, ſunt qui eos timiditatis accuſent, ut qui meticuloſe ceſſerint Orientalibus, Sergii ſui, quem mirifice colerent, nec ſubducere poſſent anathemati, dedecus communione damnationis cum Romano Pontifice minuere volentibus. Deinde, ſunt qui prudentem œconomiam laudi dent, ſiquidem communem univerſæ Eccleſiæ pacem unius hominis honori prætulerint. Tertio, non improbabiliter aliqui id eis in mandato datum credunt, quod & teſtimonio Adriani mox allato probant. Quarto, nihil aliud forſan in Concilio factum Honorio, quam quod in Synodo Romana, & in Agathonis literis; niſi quod Conſtantinopoli patentius & expreſſius actum, quod in Synodo Romana, ipſisque Agathonis literis implicite & ſubobſcure.

XLIX. Jam quod dicitur de Theodoro actorum corruptore, fidem fere omnem omni ex parte ſuperat. Nam primo, quod propter Monotheliſmum depoſitus ſit, & quidem paulo ante Synodum, nemo veterum tradit, nemo ante Baronium: quamquam ſuſpicio Baronii non improbabilis videtur: nam & Macarii Antiocheni fidei ſubſcripſit, & eo facto depoſitionem meruit, qua Macarius mulctatus eſt. Deinde, etſi conſenſerit Macario, quemadmodum & Georgius ſucceſſor, at pertinax non manſit, ſed Georgium imitatus, reſipuit: quam-

obrem defuncto mox ſucceſſit, reſtitutus in ſedem prius relictam. Synodus vero neminem proſcripſit, niſi aut defunctum, aut pertinacem.

L. Verum etſi ficte profeſſus dicatur catholicam fidem cupiditate ſedis recipiendæ, etſi retinuerit animo non tantum errorem, ſed etiam odium in ſedem Apoſtolicam, qua ratione tandem potuit, quamvis maxime tentaverit, toties acta vitiare, quoties Honorii mentio facta eſt? quomodo licuit homini uni profeſſionem fidei Epiſcoporum manibus ſubſcriptam, ipſaſque Conſtantini Imperatoris literas adulterare? Annon erat fides ſigillis obſignata? Annon ſuas literas Conſtantinus apprime Catholicus manu ſua ſubſcripſit? An præcipiti imprudentia, & non matura potius, ut in re tanti momenti par erat, lectione recognovit, quod ſubſcriberet? An ipſe etiam Imperator, quem Conſtantino Magno Synodus parem dixit, venit in ſocietatem facinoris cum Theodoro? Quis ſibi, quis aliis perſuadeat, id tentatum a Principe tam pio, tamque ardenter Catholico, ut ipſiusmet parentis Typum, avique Ecthesim proſcripſerit?

LI. Baronius igitur, etſi pie totam ingenii, doctrinæque, quibus valebat plurimum, vim adhibuerit, ad eam muniendam Honorii defendendi rationem, quam unicam valere credidit, paucis tamen eruditis fecit utcumque ſatis: maxima pars auſcultare non deſtitit antiquis Scriptoribus, quibus numquam in mentem venit arguere vitii, imo nec in dubium revocare acta VI. Synodi, multo minus alia publicæ fidei inſtrumenta ſuppoſitionis damnare. Quare aliam inierunt viam, aliamque defenſionem Honorii moliti ſunt.

LII. Joannes V. qui duodecimus ab Honorio Pontificatum geſſit, unusque fuit Legatorum Agathonis ad ſextam Synodum, cum Romam Conſtantinopoli reverteret, attulit acta Synodi, quæ cum literis Imperatoris deferenda Romam accepit. Qualia vero accepit? Integra, an vitiata? Si integra, cur revocantur in dubium, quæ ſcripſit Leo II. integris actis de Honorio conſona? Si vitiata, quomodo facinus non agnovit, cum rerum pars magna fuerit? Si agnovit, quomodo non admonuit Summum Pontificem, queſtusque eſt de nefario ſcelere? quomodo Summus ipſe Pontifex in re tam infanda conticuit? quomodo corruptorem non poſtulavit nefandi ſceleris apud Imperatorem? quomodo conſentanea actis, & Imperator ſcripſit, & ipſe Pontifex reſcripſit? quo crimine vir ſanctiſſimus acta vitiata, ſedi Apoſtolicæ injurioſa, plenaque calumniis in Honorium, non approbavit tantum,

ſed

ſed etiam, retento vitio, Latina fecit, Hiſpaniſque recipienda pariter ac Gallis miſit? quomodo vitium iſtud in profeſſionem fidei a Summis Pontificibus emittendam induxit? Si hæc incredibilia non ſunt, qualia tandem ſunt?

LIII. Jam vero, quid faciemus aliis aliarum ſedium magnarum Legatis? retuleruntne & ipſi ſuas in Provincias acta vitiata, an integra? Si integra, quomodo ex iis emendata non ſunt, quæ vitium paſſa erant, maxime cum ſeptima & octava Synodi cogerentur ex orbe toto? Si vitiata, qui fieri potuit, ut de vitio nullus ex ſeptuaginta quinque ſupra centum Epiſcopis, nullus e Presbyterorum infinita pene multitudine verbum diceret ſcriberetque? An totus orbis ea tempeſtate obſtupuerat eo uſque, ut & vitium & facinus agnoſcere non poſſet, tot Epiſcopis, totque Clericis actorum Synodi conſciis, & accuſare valentibus, vel ſi agnoſceret, uni homini neque potentiſſimo, neque optimæ famæ, neque gratioſiſſimo Principibus adularetur?

LIV. Quid plura perſequar? quid conſequentium ſæculorum, quid Summorum Pontificum, Conciliorum generalium, illuſtrium Scriptorum, aut Honorii condemnationem, aut de corruptione actorum ſilentium? quid Eccleſiæ ipſiusmet Romanæ tam diuturnam in officio S. Leonis II. confeſſionem? quid infinita ejuſmodi argumenta?

LV. Conſtans igitur cum ſit actorum integritas, conſtans pariter Honorii ἐτεροδοξία, inquirendum eſt, quæ fuerit tantæ damnationis juſta cauſa: nam ſextam Synodum, aut rejicere velut ſpuriam, quod fecit Albertus Pighius; aut damnare erroris, in quæſtione facti, quod viſum quibusdam; aut uſurpatæ autoritatis in judicio Honorii accuſare, quod ab aliis tentatum; non eſt, ut ego quidem reor, hominis, qui conſentanea loqui velit: nam ſi valeant exceptiones ejuſcemodi tres adverſus ſententiam, in Honorium a VI. Synodo latam, merito quæſierit aliquis, quod factum antea, cur his non ſint uſi, qui poſt Synodum vixerunt, veteres Honorii defenſores; cur conſequentes Synodi oecumenicæ, ſeptima & octava, ſextam aut velut ſpuriam non rejecerunt, aut tanquam errantem ſecutæ ſunt; cur ſummi Pontifices non modo non reclamaverunt adverſus illegitimi judicii ream, ſed eam potius pari cum quinque præcedentibus veneratione proſecuti ſunt; cur in eam jurarunt Epiſcopi Epiſcoporum, cum in ſedem Apoſtolicam aſcenderent; cur cum in eam jurarent, non modo definitionem

Honorium quondam Papam antiquæ Romæ; ſimiliter & epiſtolam ab illo id eſt, Honorio reſcriptam ad eundem Sergium: haſque invenientes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & a definitionibus ſanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, ſequi vero falſas doctrinas hæreticorum, eas omnimodo abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur. Atqui eo loci nullus ſermo ſit expreſſe de una Chriſti voluntate, ſed tantum generatim de falſis doctrinis abhorrentibus ab Apoſtolorum traditione. Abhorrent quidem Sergii & Pyrrhi doctrinæ ab Apoſtolorum de fide traditione: abhorret vero inconſulta Honorii, ignaviter nolentis obſiſtere hæreticis, œconomia a generoſa fortitudine Pauli, aliorumque Apoſtolorum, conteſtantium, Deo magis quam hominibus obſecundari oportere.

LXI. In ſecundo loco Synodus, poſtquam nomen eorum proſcripſit, quorum Agatho Papa mentionem fecerat in epiſtola, id eſt, Theodori Pharanitani, Cyri Alexandrini, Sergii, Pyrrhi, Petri & Pauli Conſtantinopolitanorum, eoſque *utpote contraria rectæ fidei ſentientes anathemati ſubmitti definivit.* Pergit in hæc verba: *Cum his vero ſimul projici a ſancta Dei Catholica Eccleſia, ſimulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuit Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt, impia dogmata confirmavit.*

Verumenimvero locus hic tantum abeſt, ut probet, Honorium unius voluntatis aſſertæ damnatum, ut in contrarium afferri queat: mentem enim Sergii ſecutum eſſe, non eſt de dogmate conſenſiſſe, ſed adhæſiſſe conſilio de ſilentio indicendo; Græce enim legitur τῇ ἐκείνου γνώμῃ ἐξακολουθήσαντα, id eſt, conſilio famulatum, quo facta impia ejus dogmata confirmavit, non conſentiendo, ſed connivendo.

Obſervo ad hunc locum, projici ab Eccleſia mortuorum nomina, eoſque anathemati ſubmitti, aliud nihil eſſe, quam eorum nomina ex ſacris diptychis deleri, & in Eccleſia, vel omnino non appellari, vel non ſine infami elogio atque dedecore.

Tertius locus continet ſententiam Synodi de libellis, cartis, & opuſculis, quæ a Chartophylace prolata fuerant, & coram Patribus lecta, inter quæ Honorii epiſtolæ duæ fuerunt, τῶν εἴδησιν λαβόντες, ἔγνωμεν εἰς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἀσέβειαν φέρεσθαι, καὶ συνείδομεν ταῦτα εἰς βιβλία καὶ ψυχοφθόρα παραχρῆμα πρὸς τέλειον ἀφανισμὸν πῦρ παραδοθῆναι. *His perfectis, cognovimus in unam ipſam tan-*

tionem fidei laudarunt, ſed etiam damnati Honorii nomi-
minerunt.

LVI. Omitto dicere, non ſolum de ſancto Leone I[illegible] dum, etiam qua p[illegible] accuſatur Honorius, Latinis & [illegible] recipiendam exhibuit, ſed etiam de Gallicanis Hiſpanis [illegible] bus, qui exhibitam recepere; imo & de Collectoribus [illegible] ctiſſimis Yvone, Anſelmo, Deuſdedit, & Gratiano, qui [illegible] dum accenſuerunt aliis, ſine exceptione ulla aut [illegible] Annon erat utraque maxime opus, ſi vel ſpuria ſit [illegible] erroris, uſurpatæque autoritatis rea?

LVII. Ut juſta damnationis cauſa, quam inqui[illegible] appareat, videntur mihi tria oſtendenda. Primum, [illegible] tum, non poſſe concludi ex actis, imo neque eoru[illegible] conficiendis interfuerunt, vel recognoſcendis im[illegible] teſtimonio, damnatum a Synodo Honorium, qu[illegible] voluntatis aſſertor eſſet. Alterum damnationi[illegible] Synodo indicari, & ab aliis ejusdem ætatis con[illegible] que tradi. Poſtremum, juſtam fuiſſe, quam [illegible] ris cauſam.

LVIII. Quod pertinet ad primum, ſe[illegible] rum afferri videtur cauſa, cur Honorius da[illegible] novæ Editionis 944. quod ejus epiſtola ad S[illegible] tribus. Ibidem, quod Sergii mentem in[illegible] mata confirmet. Act. XIV. pag. 972. q[illegible] eamdemque impietatem cum ſcriptis [illegible] XVIII. pag. 1024. quod per eum pe[illegible] diſſeminaverit hæreſim unius voluntat[illegible] dem pag. 1044. quod prædicaverit un[illegible] Eadem Act. pag. 1053. quod ſecutus [illegible] rhum, &c.

LIX. Ex his locis contendo, [illegible] concludi non poſſe Honorium a Sy[illegible] pterea quod unicam in Chriſto vol[illegible] docentibus faverit, docendique o[illegible]

LX. Primus locus ſic ſe hab[illegible]

[illegible], quæ umquam a Sergio quonda[illegible] pa ſunt, non ad[illegible] tur[illegible]

Petrum, qui Conſtantinopoleos
, qui Alexandrinorum ſacerdo-
Romæ Præſul, utpote qui eos
τούτοις ἀκολουθήσαντα. Ob-
jungi, quaſi diſparis conditio-
famulatus obſecutusque ſit, hoc
Perverſis vero conſiliis aliorum
erat, ſed per imprudentem ſilentii
hæretici dogma Catholicum de
ſine ſenſu dedocere tentabant.
ſed fotæ; non conſenſionis cum
ionis.

Imperator Conſtantinus, qui Synodo
qui acta e Græcis Latina fecit, Ho-
lterius facinoris damnatum tradunt.
Edicto, *Anathematizamus eos*, inquit,
& fautores ſunt: Theodorum dicimus,
& Sergium, qui fuit hujus urbis Antiſtes,
parem, atque etiam Honorium, qui fuit
fautorem, adjutorem & confirmatorem hæ-
damnantur, dum generum facit, dogmatum
odoro & Sergio velut autoribus, Honorio
nathema.

ntem nemo melius intellexit, quam Impera-
ologicis apprime erat eruditus, Synodique actio-
uit, imo etiam pars optima extitit. Cum paulo
cerdotibus, qui perverſe Eccleſias gubernarunt,
odorus, qui fuit Pharan Epiſcopus, Sergius, qui fuit
vandæ regiæ urbis Antiſtes, ad hæc Honorius, qui fuit
pa, hujuſmodi hæreſeos confirmator, qui etiam ſibi ipſe
Vocat confirmatorem hæreſeos, propter inconſultam
guit, quod pugnet ſecum, quia cum catholice reipſa
ris, non tamen ſpiritu, quo ad profligandam hæreſim
ocutus eſt & egit.

Leo II. In epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem:
mus novi erroris inventores, id eſt, Theodorum, Pharanita-
um, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum,
Petrum,

Petrum, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubſeſſores magis, quam Præſules; nec non & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ traditionis doctrina illuſtravit, ſed profana proditione immaculatam maculari permiſit.

In epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Condemnatione mulctati ſunt Theodorus Phamnitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Conſtantinopolitani, cum Honorio, qui flammam heretici dogmatis non, ut decuit Apoſtolicam autoritatem, incipientem extinxit, ſed negligentia confovit.*

In epiſtola ad Ervigium Regem: *De Eccleſiæ Catholicæ adunatione projecti ſunt Theodorus Phamnitanus Epiſcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, Pyrrhus & Petrus, quondam Conſtantinopolitani Præſules, & una cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apoſtolicæ traditionis regulam, quam in prædeceſſoribus ſuis accepit, macu... conſenſit.*

LXVII. Ut tanti teſtimonii momentum perpendatur... vandum: I. A nemine eruditorum nunc audiri Baronium... ſus Imperatoris Summique Pontificis literas quaſi ſuppoſi... mat. II. Leonem ſumma diligentia perlegiſſe acta, ... *Geſtorum ſynodalium*, inquit, *ſeriem recenſentes, ...* *ſingula quæque geſta flagitantes, eadem quæ Apoſtolic... raverunt, ſcriptis conſonantibus convenire reperimus.* ... III. Legatos ſedis Apoſtolicæ non interfuiſſe... præfuiſſe actionibus Concilii, in quibus actum... definitioni & proſphonetico, in quibus d... mos omnium, atque ita fieri non potui... ſitis illudi, illuſique Pontificem in erro... nomine non eos tantum intelligi... rent, ſed etiam qui à Conci... Concilio cenſentur, eosque ... doctrinæ fidei, ſed erudito... pertes; quare non potuiſſe... cilii, quam ipſi præſiden... ſubſcripſiſſent, ſatisqu... V. Non aliud object... tiret, atque adeo ſo... Sergius ...

ſque d

ſignifica
rinduitur
o pro inſi
que impo
allio impo
nentum qu
inatione an

tque ita ſignifi
ilitaribus regiisq
præcellentis, & t

ſia dignitas Patriarch
proprius extitit, & illi
quique jure divino præ
mani.

dignitati poteſtas reſpondea
ignitate, plenitudinem poteſt
æ, a qua geritur: nam in Summ
; in aliis Patriarchis, in ſingul
ſtret.

Eccleſia nullum deſignari poteſt tempu
it, ſic neque in Occidentali: quare pe
ius in Summis Pontificibus, cum ſacris op
ropria obirent. Fuit certe uſus ante annu
Papa Oſtienſi Epiſcopo permiſit pallium g
rum a Clero Romano in Summum Pontifice
naret.

cedit igitur procul a vero ſententia illorum, qui L
eſſorem, hujus ornamenti autorem faciunt. Faciu
Tuitienſis, & Auguſtinus Patritius: ille in lib. 1. c
is cap. 27. iſte lib. 1. ſacrorum rituum, ſect. de pallio.

 XI. M

Leo I.
corda non r...
pro animab...
non claudu...
breſcunt, &

Fœl...
poſſis detur...
ſocietatis o...

Syr...
Similiter,
crete pro...

... Maternum, qui
... Anonio miſſus eſt,
... ſi verum ſit,
... Maternum donaſſe,
... Pontifices & ge-
... veterum, autor
... conceſſionem
... non vehe-

... Prioris, autor
... Chri-
... ad Leo-
... onem
... tempo-
... regnante

... ſtatem
... erent,
... communi-
... unde
... eſt, facta
... Pontifici
... rebusque
... rece-

... tur a
... ſcipie-
... Verum
... pri-

... Pontifici-
... am
... in-
... ...
... obe-
dientia,

dientia ſubjectioneque nullus tunc erat ſermo, fuit poſteriore ætate, ſi non ſemper, ſaltem ut plurimum. Id quod dixi de primis temporibus, conſtat ex epiſtolis Symmachi, Pelagiique II. & S. Gregorii, atque etiam ex formulis Diurni.

XVI. Non diffiteor tamen, quin pallii ſacrique illius torquis communicatio fuerit arctior quædam accipientis Epiſcopi cum dante Summo Pontifice conjunctio, ita ut per Epiſcopum Pontifex videretur poteſtatem ſuam exercere in Provinciis longius remotis, & ubique Eccleſiæ adeſſe poteſtate, ut qui orbem Chriſtianum Vicarii Chriſti regendum ſuſcepiſſent. Id Pelagius I. mittens Sapaudo Arelatenſi pallium innuit. Vices enim ſuas idcirco traditas ſignificat more majorum, *ut ſtabilis illius petra ſempiterna ſoliditas, ſupra quam Dominus Salvator noſter propriam fundavit Eccleſiam, a ſolis ortu uſque ad occaſum, primatus ſui apicem ſucceſſorum ſuorum autoritate, tam per ſe, quam per Vicarios ſuos, firmiter obtineret, &c. Sic participata ſollicitudine ſanctam Dei univerſalem Eccleſiam noſtri per Dei gratiam rexere majores, &c.*

XVII. Quoniam vero ſexto ſeptimoque ſæculo mittebatur pallium Epiſcopis, etiam extra Imperii ditionem poſitis, factum eſt, ut quo tempore Summi Pontifices pene ſervirent ſub Exarchis, Imperatoribusque, eoque ſuſpicaciores forent Exarchi ac Imperatores, quod vix Romæ dominatum retinerent, adverſus invadentes aliarum gentium Reges: factum, inquam, eſt, ut Pontifices, cum pallium mitterent, conſenſum Imperatoris expeterent; ne ea de cauſa oriretur ſuſpicio affectati aliunde præſidii. Ita Vigilius Juſtiniani, ita Gregorius Magnus Mauritii conſenſum popoſcit: gemebat enim ſub Theodoræ, Juſtinianique ſerviliter uxorii tyrannide Vigilius, & Gregorius Exarchi calumnias, convitiaque Imperatoris patiebatur. Neuter ſcilicet, pro ſua prudentia, volebat animos hominum, quærentium rixas, tangere, vel leviſſima ſuſpicione ſocietatis initæ cum Regibus Childeberto, Theodorico & Theodeberto: neuter enim ignorabat, quæ calumnia ſimili ſpecie Silverio ſtructa eſſet, quamque dira inde Summus Pontifex pertuliſſet.

XVIII. Ex his conficiuntur duo: alterum, nec eſſe opus laborioſe quærere generalem aliquam, & quæ ad omnes Pontifices pertineat,

tionem fidei laudarunt, ſed etiam damnati Honorii nominatim meminerunt.

LVI. Omitto dicere, non ſolum de ſancto Leone II. qui Synodum, etiam qua parte accuſatur Honorius, Latinis & legendam & recipiendam exhibuit, ſed etiam de Gallicanis Hiſpaniſque Præſulibus, qui exhibitam recepere; imo & de Collectoribus Canonum doctiſſimis Yvone, Anſelmo, Deuſdedit, & Gratiano, qui ſextam Synodum acccenſuerunt aliis, ſine exceptione ulla aut animadverſione. Annon erat utraque maxime opus, ſi vel ſpuria ſit ſexta Synodus, vel erroris, uſurpatæque autoritatis rea?

LVII. Ut juſta damnationis cauſa, quam inquirimus, manifeſte appareat, videntur mihi tria oſtendenda. Primum, quod antea aſſertum, non poſſe concludi ex actis, imo neque eorum, qui actis vel conficiendis interfuerunt, vel recognoſcendis impenſius ſtuduerunt, teſtimonio, damnatum a Synodo Honorium, quod unius in Chriſto voluntatis aſſertor eſſet. Alterum damnationis aliam cauſam, & a Synodo indicari, & ab aliis ejusdem ætatis conſtanter concordanterque tradi. Poſtremum, juſtam fuiſſe, quam illi tradunt, damnationis cauſam.

LVIII. Quod pertinet ad primum, ſex omnino in locis actorum afferri videtur cauſa, cur Honorius damnetur. Act. XIII. pag. novæ Editionis 944. quod ejus epiſtola ad Sergium diſſentanea ſit Patribus. Ibidem, quod Sergii mentem in omnibus ſequatur, & dogmata confirmet. Act. XIV. pag. 972. quod ejus epiſtola in unam eamdemque impietatem cum ſcriptis hæreticorum concurrat. Act. XVIII. pag. 1024. quod per eum perinde atque per alios dæmon diſſeminaverit hæreſim unius voluntatis & operationis, &c. Act. eadem pag. 1044. quod prædicaverit unam voluntatem & operationem. Eadem Act. pag. 1053. quod ſecutus ſit Theodorum, Sergium, Pyrrhum, &c.

LIX. Ex his locis contendo, ſi modo referantur, ut ſe habent, concludi non poſſe Honorium a Synodo perculſum anathemate, propterea quod unicam in Chriſto voluntatem docuiſſet, ſed tantum quod docentibus faverit, docendique opportunitatem ſuppeditaverit.

LX. Primus locus ſic ſe habet: *Retractantes dogmaticas epiſtolas, quæ tanquam a Sergio quondam Patriarcha hujus regiæ urbis ſcriptæ ſunt, tum ad Cyrum, qui tunc fuerat Epiſcopus Phaſidis, quam ad Hono-*

Honorium quondam Papam antiquæ Romæ; ſimiliter & epiſtolam ab illo id eſt, Honorio reſcriptam ad eundem Sergium: haſque invenientes omnino alienas exiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & a definitionibus ſanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, ſequi vero falſas doctrinas hæreticorum; eas omnimodo abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur. Atqui eo loci nullus ſermo fit expreſſe de una Chriſti voluntate, ſed tantum generatim de falſis doctrinis abhorrentibus ab Apoſtolorum traditione. Abhorrent quidem Sergii & Pyrrhi doctrinæ ab Apoſtolorum de fide traditione: abhorret vero inconſulta Honorii, ignaviter nolentis obſiſtere hæreticis, œconomia a generoſa fortitudine Pauli, aliorumque Apoſtolorum, conteſtantium, Deo magis quam hominibus obſecundari oportere.

LXI. In ſecundo loco Synodus, poſtquam nomen eorum proſcripſit, quorum Agatho Papa mentionem fecerat in epiſtola, id eſt, Theodori Pharanitani, Cyri Alexandrini, Sergii, Pyrrhi, Petri & Pauli Conſtantinopolitanorum, eoſque *utpote contraria rectæ fidei ſentientes anathemati ſubmitti definivit.* Pergit in hæc verba: *Cum his vero ſimul projici a ſancta Dei Catholica Eccleſia, ſimulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuit Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt, impia dogmata confirmavit.*

Verumenimvero locus hic tantum abeſt, ut probet, Honorium unius voluntatis aſſertæ damnatum, ut in contrarium afferri queat: mentem enim Sergii ſecutum eſſe, non eſt de dogmate conſenſiſſe, ſed adhæſiſſe conſilio de ſilentio indicendo; Græce enim legitur τῇ ἐκείνου γνώμῃ ἐξακολουθήσαντα, id eſt, conſilio famulatum, quo facta impia ejus dogmata confirmavit, non conſentiendo, ſed connivendo.

Obſervo ad hunc locum, projici ab Eccleſia mortuorum nomina, eoſque anathemati ſubmitti, aliud nihil eſſe, quam eorum nomina ex ſacris diptychis deleri, & in Eccleſia, vel omnino non appellari, vel non ſine infami elogio atque dedecore.

Tertius locus continet ſententiam Synodi de libellis, cartis, & opuſculis, quæ a Chartophylace prolata fuerant, & coram Patribus lecta, inter quæ Honorii epiſtolæ duæ fuerunt, ὧν εἴδησιν λαβόντες, ἔγνωμεν εἰς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν ἀσέβειαν φέρεσθαι, καὶ συνείδομεν ταῦτα εἰς βέβηλα καὶ ψυχοφθόρα παραχρῆμα πρὸς τέλειον ἀφανισμὸν πυρὶ παραδοῦναι. *His perſpectis, cognovimus in unam ipſam eandemque*

demque impietatem tendere, *& velut profana ac animis perniciosa continuo igni tradenda censuimus*. Sed cum in eamdem dispari modo impietatem tendere poſſint ſcripta duo; alterum, quia dogma: alterum, quia diſſimulationem dogmatis continet: concludere non licet inde, Epiſtolis Honorii contineri definite hæreticum dogma, ſed alterutrum dumtaxat indefinite.

LXII. Nihilo plus valet quartus locus: aït enim Synodus, *dæmonem per organa ſua, id eſt, Theodorum, Sergium, Pyrrhum, Petrum & Paulum, & Honorium, ac Cyrum, atque Macarium, & Stephanum Eccleſiæ continenter erroris ſcandala excitare, unius voluntatis & operationis in duabus naturis Chriſti, hæreſim in populum Catholicum ſpargendo*. Verum hæreſis & docendo & docentibus connivendo ſpargitur. Quare concludi ex hoc loco, quo Synodi definitiva, ut loquuntur, ſententia continetur, nihil aliud legitime poteſt, quam quod alterutro modo ad hæreſim ſpargendam Honorius contulerit.

LXIII. Quintus locus habet in ſpeciem plus aliquid momenti. Synodus enim, cum interrogaretur ab Imperatore, an omnes definitioni ſponte ſubſcripſerint, exclamat, in hæc verba: *Neſtorio & Eutychi, & Diſcoro anathema. Apollinari & Severo anathema. Conſentaneis eorum anathema. Theodoro Pharanitæ anathema. Sergio & Honorio anathema. Pyrrho & Paulo anathema. Macario & Stephano & Polichronio anathema. Omnibus hæreticis anathema. Qui prædicaverunt, & prædicant, & docent ac docturi ſunt unam voluntatem & unam operationem in diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, anathema*. Videntur enim omnes qui appellati ſunt, dici hæretici, *qui quidem prædicaverint unam voluntatem*. Verum diſtinctione punctorum evaneſcit omnis argumenti vis & ſpecies; nam anathema dicitur hominibus nominatim appellatis, unam eamdemque ob cauſam in exclamatione, ob quam in definitione, de qua mox actum. Tum adjecto puncto ſubjungitur: *Omnibus hæreticis anathema*. Iterum adjecto puncto: *Qui prædicaverunt & prædicant, & docent ac docturi ſunt unam voluntatem & unam operationem in diſpenſatione Chriſti, Dei noſtri, anathema*.

LXIV. Poſtremus locus in proſphonetico ad Imperatorem parum admodum valet, ad Honorium unius voluntatis aſſertæ reum peragendum, multum ad abſolvendum. Sic enim ſe habet: *Superfluas vocum novitates, & harum adinventores procul ab eccleſiaſticis ſeptis abjicimus, & anathemati merito ſubjicimus, Theodorum Pharanitanum, Sergium*

Sergium & Paulum, Pyrrhum ſimul & Petrum, qui Conſtantinopoleos Præſulatum tenuerunt, inſuper & Cyrum, qui Alexandrinorum ſacerdotium geſſit, & cum eis Honorium, qui fuit Romæ Præſul, utpote qui eos in his ſecutus eſt. Græce, ὡς ἐκείνοις ἐν τούτοις ἀκολουθήσαντα. Obſervandum autem, Honorium ab aliis ſejungi, quaſi diſparis conditionis eſſet, & damnatum dici, quod aliis famulatus obſecutusque ſit, hoc enim ſignificat vox ἀκολουθήσαντος. Perverſis vero conſiliis aliorum famulatus eſt, non reſiſtendo, ut par erat, ſed per imprudentem ſilentii juſſionem favendo: quo ſilentio abuſi hæretici dogma Catholicum de duabus voluntatibus populos ſenſim ſine ſenſu dedocere tentabant. Non igitur hæreſis aſſertæ reus fuit, ſed fotæ; non conſenſionis cum hæreticis, ſed inconſultæ diſſimulationis.

LXV. Quoad ſecundum: Imperator Conſtantinus, qui Synodo interfuit, & Summus Pontifex Leo, qui acta e Græcis Latina fecit, Honorium non hæreſis cauſa, ſed alterius facinoris damnatum tradunt.

Conſtantinus igitur in Edicto, *Anathematizamus eos*, inquit, *qui novorum dogmatum autores & fautores ſunt: Theodorum dicimus, qui fuit Pharanitanus Epiſcopus, & Sergium, qui fuit hujus urbis Antiſtes, moribus Theodoro & impietate parem, atque etiam Honorium, qui fuit antiquæ Romæ Papa, horum fautorem, adjutorem & confirmatorem hæreſis, &c.* Homines, qui damnantur, duum generum facit, dogmatum autores & fautores: Theodoro & Sergio velut autoribus, Honorio tanquam fautori, dicit anathema.

Synodi porro mentem nemo melius intellexit, quam Imperator, ut qui rebus Theologicis apprime erat eruditus, Synodique actionibus indefeſſe interfuit, imo etiam pars optima extitit. Cum paulo ante dixiſſet de Sacerdotibus, qui perverſe Eccleſias gubernarunt, *Hi ſunt*, inquit, *Theodorus, qui fuit Pharan Epiſcopus, Sergius, qui fuit noſtræ a Deo conſervandæ regiæ urbis Antiſtes, ad hæc Honorius, qui fuit antiquæ Romæ Papa, hujuſmodi hæreſeos confirmator, qui etiam ſibi ipſe pugnat, &c.* Vocat confirmatorem hæreſeos, propter inconſultam œconomiam: arguit, quod pugnet ſecum, quia cum catholice reipſa ſentiret in literis, non tamen ſpiritu, quo ad profligandam hæreſim opus erat, & locutus eſt & egit.

LXVI. Leo II. In epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem: *Anathematizamus novi erroris inventores, id eſt, Theodorum, Pharanitanum Epiſcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum,*

nam cum pallio tribuebatur *Archiepiſcopi* nomen, a quo ita abhorrebat Africana Eccleſia, ut in Concilio anni 397. ſanciverit, *ne primæ ſedis Epiſcopus appelletur princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos, aut aliquid ejuſmodi,* (id eſt, Archiepiſcopus) *ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus.*

XXXI. Quandoquidem dictum illud Gregorii, *rationis ordo nos admonet, ut cum uſu pallii aliqua largiri privilegia debeamus,* non pertinet ad ſolos Metropolitas, quibus vices ſedis Apoſtolicæ committerentur, ſed ad inferiores etiam Epiſcopos, qui pallio donarentur; de privilegiis ejusmodi nonnihil diſquirendum. Fuerunt illa vero aliquando Eccleſiæ ipſi conceſſa, aliquando ſoli perſonæ: diuturna fuerunt illa, hæc ad tempus. Siagrio Auguſtodunenſi a Gregorio Magno conceſſa eſt vocandi ad Synodum omnes Epiſcopos ſub ditione Theodorici & Theodoberti poſitos autoritas, fuit hoc perſonale privilegium: conceſſa quoque inter Epiſcopos Lugdunenſis primæ prima poſt Primatem ſedes, id ſibi collatum Eccleſia Auguſtodunenſis retinuit, etiam ſine pallio.

XXXII. Sunt qui putent, tributum iſtis quoque inferioribus Epiſcopis nomen Archiepiſcopi, & ad id probandum afferunt exemplum, tum Aigilberti Cenomanenſis, qui Archiepiſcopus dictus legitur in diplomate Theodorici Regis; tum Chrodegangi Metenſis, atque etiam Angilranni pariter Metenſis, imo & Theodulfi Aurelianenſis, qui propter acceptum pallium Archiepiſcoporum nomen ſibi arrogarunt, quamvis Epiſcopi eſſent Metropolitis obnoxii: qua enim alia de cauſa, inquiunt, tantum nomen accepiſſent, niſi quia propter acceptum a Summo Pontifice pallium, aliis Epiſcopis præcellere videbantur?

XXXIII. Verum ad hæc exempla obſervo. Primum, ſolis Gallis nomen Archiepiſcopi tributum legi, non aliis cujuscumque alterius gentis Præſulibus, etſi plures pallio inſigniti ſint. Deinde, non omnibus Gallis tributum, quis enim id de Siagrio Auguſtodunenſi legerit? quis de Pariſienſi? Tertio, quatuor illos, qui dicuntur Archiepiſcopi nomen geſſiſſe, fuiſſe viros, aut nobilitate generis, aut Principum gratia pollentes, aut Archicapellanorum aulæ dignitate præſtantes, quibus idcirco adulatio præcellentiæ nomen tribueret.

Quarto,

Quarto, nullam in literis Pontificum mittentium Epiſcopis pallia mentionem fieri *Archiepiſcopi* nominis, cum tamen aliquando fiat expreſſa, cum ad Metropolitas ſcribitur: quare ſi qui hoc nomen gesſerunt, id arrogaſſe ſibi, non accepiſſe, faſtus gratia, non dignitatis prærogativa. Quinto, exempla hujusmodi quatuor, ſi unum Angilranni forte excipias, deſumi ex cartis minus notis, quæ tanti procul dubio non ſunt, ut, quod inſolentiſſimum eſt, probare valeant. Quidni enim, ut in uno Aigilberti Cenomanenſis exemplo hæream? Quidni, inquam, error irrepſit in Theodorici Regis diploma, amanuenſis vel imperitia, vel amica erga Regis amicum adulatione? Quidni Archiepiſcopus dictus eſt, quia primum poſt Metropolitam inter Lugdunenſis tertiæ Epiſcopos locum tenet? ἀρχὴ enim, unde ἀρχιεπίσκοπος vocatur, & principium & autoritatem ſignificat? Quidni per hyperbolem, non inſolentem in communi ſermone, nominatus ſit Archiepiſcopus, quia inter Epiſcopos eximius & ſanctitate morum, & religionis ſtudio, & ſcientiæ ſapientiæque laude, & nobilitate generis, qua forſan de cauſa in alio inſtrumento appellatus eſt princeps Epiſcoporum?

XXXIV. Quod ſi hæc probabilia ſint, ut certe ſunt, & eo quidem magis, quod faciunt contra inauditum quoddam facinus, & incredibilem appellationem, ruit tota de pallio Aigilberti conjectura, quippe non alio, quam nominis, fundamento innixa.

XXXV. Accedat, quod, quæ prærogativa conjicitur Aigilberto eſſe conceſſa cum pallio, ut primus inter Epiſcopos Lugdunenſis tertiæ poſt Metropolitam, aut reipſa ſederet, aut certe cenſeretur, longe ante Aigilberti ætatem Cenomanenſi civitati conveniebat: ſiquidem in notitia Provinciarum & civitatum Galliæ, quæ tomo primo Conciliorum Galliæ præponitur, quæque eruditiſſimo Sirmondo viſa eſt ad tempora Honorii Imperatoris pertinere, atque ita Aigilberti ordinationem ſæculis pene tribus præceſſiſſe, in recenſione Provinciæ Lugdunenſis tertiæ poſt Turonenſem civitatem Cenomanenſis numeratur. Idem dicendum de civitate Metenſi, quæ poſt Metropolim Trevirorum prima cenſetur in eadem notitia: quamquam notitia hæc, ſicut eſt civilibus rebus accommodata, ita in Eccleſiaſticis non facit certam fidem: neque enim conſequens eſt, ut ſi quem certum civitas in ordine politico locum tenet, eumdem in Eccleſiaſtico retineat,

alioquin quod Siagrio Auguſtodunenſi conferre ſe dicit S. Gregorius, ut primam in Lugdunenſi prima poſt Metropolitam obtineret ſedem, privilegium non eſſet: quandoquidem Æduorum civitas in memorata notitia poſt Lugdunenſem continuo ponitur.

XXXVI. Aliud privilegium pallii nonnulli afferunt, iſtud nempe, quod qui donatus eſſet, a ſola ſede Apoſtolica judicari poſſet. Sed quid illi facient Theodulpho Aurelianenſi, qui pallium dicitur a Stephano accepiſſe, vocatus tamen in ſuſpicionem conſpirationis adverſus Ludovicum Pium, ab Epiſcopis depoſitus eſt, & in Monaſterium detruſus? Conqueritur ille quidem, ſe ab alienis judicibus damnatum.

Solius, inquit, *illud opus Romani Præſulis extat*,
Cujus ego accepi pallia ſancta manu,

Verum Epiſcoporum facto oſtenditur, privilegium hujusmodi, ſi quod fuit, non receptum uſu in Galliis. Deinde quomodo, ſi res ita ſe habeat, conceſſione pallii facta inferioribus Epiſcopis, violatum non eſſet jus Metropolitarum, quod ſalvum Pontifex expreſſis verbis eſſe vult? Denique, ſi quod occurrat privilegii hujuſce exemplum, non pertinet illud ad tempora, in quibus verſamur, ſed ad poſteriora, quibus commune jus privatis beneficiis arctatum eſt.

XXXVII. Ex his concludo, non apertiſſime conſtare, quæ privilegia fuerint inferioribus Epiſcopis cum pallio tributa. Quare non improbabilem videri eorum opinionem, qui ſenſerunt, hoc inſigni plenitudinis poteſtatis donatos a Summo Pontifice aliquos in provinciis, ut eſſent velut oculi & manus, quibus res procul remotas videret & tractaret: atque ita peculiari ſacramento obligatos, pro conceſſæ autoritatis modo, vocaret in partes ſummi regiminis, juberetque de cauſis naſcentibus ad ſedem Apoſtolicam referre, & ſi quando foret opus, mandata ſua exequi. Huic opinioni favet non Pelagii tantum teſtimonium jam allatum, ſed tota St. Gregorii ad Siagrium epiſtola, ſi paulo attentius perlegatur.

XXXVIII. Quam obſcurum eſt, quod modo diximus, tam & iſtud forſan dubitabile, in quo poſitæ eſſent vices illæ ſedis Apoſtolicæ, quæ Metropolitis feruntur conceſſæ: nam Gregorius Magnus eas ad tria capita revocat, ad cauſas Epiſcoporum, imo & fidei, judicandas,

das, ad cogendas Synodos, & ad dandas Epiſcopis longius abituris formatas. Atqui hæc proprio jure ad Metropolitas pertinent: nam ex præſcripto Concilii Nicæni bis in anno evocare debent Epiſcopos ad Synodum, in qua communi conſilio de Epiſcopis judicia exerceantur, & cauſæ fidei, ſi quæ oriantur hæreſes, agitentur. Debent & Epiſcopis formatas dare: id Africanorum Gallorumque exemplo conſtat, id veterum teſtimonio firmatur, huic nemo contradicit. Quid ergo ſingulare tributum cum pallio; Difficultatem auget quod additur, *Metropolitanorum jure ſervato:* ſi enim ſervetur, quid reliquum eſt de tribus a Gregorio Magno memoratis?

XXXIX. Dicendum puto, proprio quidem jure Metropolitas potuiſſe tria hæc exercere, ſed in ſuos dumtaxat provinciales, potuiſſe vero in alios, etiam Metropolitas, autoritate ſedis Apoſtolicæ, cujus poteſtas ampliſſima eſt: idcirco Vigilius in omnes Childeberti Regis ditionis Epiſcopos Auxanio Arelatenſi poteſtatem contulit. Servatum porro eſt Metropolitarum jus in eo, quod & in ſuis provinciis libere ſua illi munia obirent, & inferioribus Epiſcopis non daretur licentia ſuperiorum mandata ſpernendi.

XL. Cum Summi Pontifices ſoliti ſint Epiſcopos, quos pallio donabant, ſedulo monere, ut eo inter ſola Miſſarum ſolemnia utantur; imo Gregorius Magnus Ravennatem Epiſcopum in letaniis gerentem graviter redarguat, quanquam poſtea fatigatus importunis precibus id indulſit, quæri non immerito poteſt, quæ fuerit tam expreſſi, tamque inſtantis moniti cauſa. An dignitas pallii, ne uſu vileſceret? An prærogativa Summi Pontificis quotidie utentis, ut a reliquis Epiſcopis diſtaret? An quod caſulæ ſacræ, quæ inter Miſſas ſolum induitur, ſit proprius ornatus? An quod probabilius, omnes hæ cauſæ concurrunt? Inde vero fit conſequens, ut pretioſæ veſti, cujusmodi ſacra caſula, pretioſus olim ornatus adderetur, non item lanea tænia, & vile quoddam additamentum.

XLI. Neque objici poteſt, quod poſterioribus temporibus eadem admonitio perſeverarit, etſi laneum cœperit eſſe pallium: nam vel mos antiquus admonendi retentus eſt, quia retentæ pariter mittendi pallii veteres formulæ; vel deſinente tertia ratione, aliæ priores duæ viſæ ſunt adhuc ſuum habere momentum.

XLII. Ex dictis nonnulla poteſt oriri hiſtorica quæſtio de materia pallii. Fuitne ſemper, quæ nunc eſt, an pretioſior quondam alia? Orientale laneum fuiſſe quinto ſæculo, teſtatur Iſidorus Peluſiota epiſt. 136. lib. 1 nec videtur dubium, quin ſemper fuerit. Laneum quoque nunc eſſe in Occidente conſtat, quanquam crucibus ſericis rubris diſtinguitur; imo quibus ex lanis fiat, quove ritu, tradit Auguſtinus Patritius in libro rituum Eccleſiaſticorum.

XLIII. Sed quæritur, an ex altera quondam materia confectum ſit. Quæſtioni locum facit Joannes Diaconus, cum ſcribit lib. 4. Vitæ S. Gregorii, byſſo candente contextum fuiſſe pallium, quod Gregorius Magnus geſſit, quodque adhuc anno 875. quo tempore Joannes florebat, in ſepulcro ſancti Pontificis cernebatur. Sive autem byſſum interpreteris tenue linum, ut melioris Latinitatis Autores; ſive ſericum filum, ut Eccleſiaſtici tractatores ſequioris ævi, laneum certe non fuit: unde fit conſequens, ut neque prioribus temporibus laneum fuerit, ſiquidem merito credi poſſit, tantum virum tamque novitati infenſum, noluiſſe a deceſſorum uſu diſcedere, præſertim in re adeo patente, oculisque omnium expoſita.

XLIV. Qui de pallio Archiepiſcopali non ita pridem opus edidit vir eruditus & diligens, prævidit hoc argumentum, duoque excepit, ut ſuam de lanea materie ſententiam tueretur. Alterum, deceptum fuiſſe Joannem Diaconum, cum pallium S. Gregorii inſpiceret, linumque crediſſe, quod reipſa fuit lana: deceptionis cauſam præbuiſſe obſcuram utriusque materiæ, præſertim vetuſtam ætatem paſſæ, diſcrimen. Alterum, ſi deceptus non fuit Diaconus, ut certe vix potuit, infinita multitudine idem cernente, ſi pallium revera lineum fuit, feciſſe propter modeſtiam Gregorium contra majorum morem. Utrumque ex Joannis Diaconi verbis confici poſſe opinatur: & primum quidem, ex eo, quod ille byſſo candente contextum pallium dicat, byſſus autem non candeat, *ſed flaveſcat potius, cum ſit lini pars, ut quidem ipſi videtur, groſſior;* ſecundum vero, ex eo, quod Diaconus dicat, *ex pallii materia mediocritatem habitus a viro ſancto geſtati repræſentari.*

XLV. Ut ego ſimpliciter & nude aperiam, quod ſentio. Primum, non intelligo ſatis, quomodo lineum pallium eo uſque ſit

laneo

laneo vilius, ut ejus uſu *vir antiquitatis*, ut loquitur Joannes, voluerit modeſtiæ cauſa a deceſſorum more diſcedere: nam byſſus longe pretioſior eſt lana, ut conficitur ex illo Proverbiorum loco, ubi mulier fortis laudatur, quod *ſtragulatam veſtem fecerit ſibi*, quodque *byſſus & purpura foret veſtimentum ejus*. Mulier illa, opinor, cujus *vir nobilis in portis ſederet cum Senatoribus terræ*, id eſt, rem publicam adminiſtraret, a ruſticana non valde diſtaret, ſi parte lini groſſiore uteretur.

Deinde videtur mihi Joannes, cum de pallio ſancti Pontificis loquitur, nihil laudare præter antiquitatem viri; mediocritatem vero, cujus meminit, ad tæniam referre, ex qua dependebat argentea reliquiarum cuſtos: cum enim ſcripſiſſet, *veneratione gratiſſima celebrari tria, quæ pernoctantes in anniverſaria feſti die oſcularentur, pallium, phylacteriam, & balteum*; mox ſubjunxit: *Quæ ſigillatim conſiderata, & antiquitatem viri, & mediocritatem habitus, & ſpeciem regularis propoſiti ſignis perpetuis repræſentant: nam in eo, quod ejus pallium byſſo candente contextum, nullis cernitur acubus perforatum, ſic ipſum circa ſcapulas obvolutum fuiſſe, non autem confixum dignoſcitur, ſicut vetuſtiſſimis muſivis vel picturis oſtenditur. Quod autem phylacteria tenui argento fabricata, vilique pallio de collo ſuſpenſa fuiſſe videatur, habitus ejus mediocritas demonſtratur. Porro in exilitate baltei, quæ unius pollicis menſuram nunquam excedit, ſpeciem propoſiti regularis olim a ſancto Benedicto ſtatuti eum ſervaſſe, luce clarius manifeſtat.*

Adde, quod, niſi fallor, ex Diaconi verbis, contra id, quod eruditus vir aſſerit, non obſcure concluditur, Gregorium in uſu pallii, quod byſſinum foret, non receſſiſſe a majorum conſuetudine: docet enim ille quinque de pallio; quod ex byſſo candente contextum foret; quod nullis acubus perforatum; quod circa ſcapulas obvolutum; quod idem in muſivis operibus antiquiſſimis, picturisque oſtenderetur; quod hæc antiquitatem viri, id eſt, mea ſententia, ſtudium antiquitatis retinendæ, quo tenebatur vir ſanctus, repræſentarent. Materies igitur pallii modusque utendi antiquitatem ſapiebat: atque ita tantum abeſt, ut Gregorius priſcos ſuos deceſſores in muſivis operibus depictos deſeruerit, ut ſtudioſe potius eos imitatus ſit.

Deni-

Denique, ſi Gregorius in eo ſit antiquitatem ſecutus, quod pallium byſſo candente contextum gesserit, confitendum eſt, veterum pallia byſſo pariter candente contexta fuiſſe, ipſaque adeo, ſi byſſi nomine intelligatur linum tenuiſſimum, ut habent omnes dictionum interpretes, linea extitiſſe, non lanea. Quod ſi eo quis nomine ſignificatum velit, non quodlibet linum, ſed byſſinum illud, cujus meminit Plinius lib. 19. hiſtoriæ, pretioſa fuiſſe veterum pallia neceſſe eſt, ſiquidem *quaternis denariis ſcripula ejus permutata ut auri*, Plinius tradit. Et vero decuit eſſe pretioſum id ornamenti, quod imponeretur pretioſis veſtibus, quibus Summi Pontifices inter ſacra facienda uterentur.

XLVI. Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, apparet non temere quæri, quæ primis temporibus fuerit materies palliorum, quibus Summi Pontifices utebantur. An lana, quæ humilitatem paſtoris? an pretioſius quiddam, quod dignitatem ſacrificantis deceret?

XLVII. In neutram partem ſolvi poſſe videtur quæſtio, niſi quatuor argumentis, ſi commune præjudicium excipias, veterum nempe ſcriptorum teſtimonio, traditione ſive uſu, conſenſione utriusque Eccleſiæ, & ratione petita ex myſtica lanæ ſignificatione.

XLVIII. Verum autores Latini Joanne Diacono majores, nihil ea de re, quod ſciam, literis tradiderunt: quare nullum ab autoritate puto argumentum peti poteſt, unde fiat pro Eccleſia Latina in alterutram partem præjudicium.

XLIX. Nihilo plus valet, quod Græci habent, aut potius Græcorum unus, Iſidorus Peluſiota, de pallio Orientalis Eccleſiæ Præſulum? pro Latinis enim, de quibus agimus, non facit, ut poſtea oſtendetur.

L. Neque videtur etiam ab uſu hodierno idonea ratio deſumi, quaſi id ſemper uſurpatum dici debeat, quod nunc in uſu eſt, & jamdudum fuit, & quo tempore eſſe cœperit, demonſtrari non poteſt: nam locus Joannis Diaconi non temere creditur pugnare in contrarium, & ſatis probare, ante ſextum ſæculum non obtinuiſſe morem, qui nunc viget.

LI. Ne-

LI. Neque argumentum a ratione petitum ſatis habet momenti, ut hiſtoricæ quæſtioni ſolvendæ ſufficiat. Nam quod affertur de pallii lanei myſtica ſignificatione, perinde acſi repræſentet pellem ovis deperditæ, quam bonus paſtor repertam, cum erraret, humeriſque impoſitam reportat in ovile, neque ad rem noſtram eſt, neque gravis per ſe momenti: myſticæ enim illius ſignificationis autor Iſidorus, primum de Orientalium pallio loquitur, cum ſit quæſtio de Latino. Deinde ea dicit, quæ in alium ſenſum non violenter trahi queunt. Denique rationes myſticas tam varias varii excogitarunt, ut nemo non poſſit aliqua pro ſe uti.

LII. Sed quoniam Iſidori teſtimonium magni fit a recentioribus, imo unicum fere eſt vulgaris præjudicii præſidium, illud paulo accuratius ad examen revocandum eſt, imo tota epiſtola CXXXVI. deſcribenda.

Hermino Comiti.

Quantum inexplebili diſcendi cupiditate flagras, tantum ego ad ea, quæ quæris, explicanda promptus ac proclivis ſum; dummodo Deus precibus tuis commotus, inventionem mihi cælitus concedat.

Linteum illud, cum quo Diaconi in ſacris myſteriis munus ſuum obeunt, humilitatem Domini, qui diſcipulorum pedes lavit & exterſit, nobis in memoriam redigit.

Id autem amiculum, quod Sacerdos humeris geſtat, atque ex lana, non ex lino, contextum eſt, ovis illius quam Dominus aberrantem quæſivit, inventamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat. Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni illius, ac magni paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.

Ac diligenter animum attende: nam cum ipſe verus paſtor per adorandorum Evangeliorum apertionem accedit, tum demum Epiſcopus aſſurgit, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum Dominum ipſum, paſtoralis artis ducem, ac Deum & herum adeſſe ſignificant.

LIII. Obſervandum primo, totum in eo eſſe Iſidorum, ut rerum ſacrarum myſticas ſignificationes exponat, quo argumento nullum eſt vanitati conjecturarum opportunius. Deinde, Iſidorum ab

Hirmino Comite rogatum, quid myſterii ſignificaret, vel linteum, quod Diaconi, vel ſuperhumerale, quod Epiſcopi, in ſacris myſteriis ferrent; de linteo Diaconorum id reſpondiſſe, quod vix probetur a rerum ſacrarum diſquiſitoribus: ait enim, eo revocari in memoriam humilitatem Chriſti, diſcipulorum pedes lavantis & tergentis. At rerum ejusmodi interpretes aliter ſentiunt, iique probabilius, qui ſimplicius, ſcilicet miniſtrantium menſæ vulgare id ſignum eſſe. Denique nihilo probabilius eſſe, quod de ſuperhumerali Epiſcoporum commentatur, ſi tamen ſuperhumeralis nomine intelligatur id, quod in hac quæſtione pallium vocatur.

LIV. Hæc, cum ita ſint, non video, qua ratione poſſit perpetuus ille lanei pallii uſus in Eccleſia Latina defendi: nolim tamen opinionem, quæ longinqua decem ſæculorum ætate, & non mediocri autorum multitudine confirmatur, non modo non convellere, ſed ne labefactare quidem. Quominus enim in partes Joannis Diaconi plane concedam, retinent me adhuc aliquantulum tria, uſus a ſæculis decem continuus; difficultas oſtendendi, quo tempore cœperit, & qua de cauſa; multitudo ætasque Autorum, pro lanea materie conſentientium.

LV. Quamquam trium ejusmodi argumentorum vim infringi poſſe video: nam multitudo Autorum non vehementer urget, cum univerſi, qui laudari ſolent, ſcripſerint, quid uſurparetur ſuis temporibus, non quid priſtinis. Qui enim res Liturgicas attigerunt, partim veteres ſunt, partim recentiores. Illi totos ſe dederunt myſteriis excogitandis & pandendis, hi veteribus adhæſerunt, ſine ullo curioſiore examine.

Deinde uſum lanei pallii incepiſſe circiter initia noni ſæculi, ex Joanne Diacono non obſcure quis conjiciat: videtur enim feciſſe byſſini pallii Gregoriani mentionem, & ſimul antiquitatem viri laudaſſe, quo tacite novitatem ſuis æqualibus objiceret: qua enim alia de cauſa utrumque præſtitiſſet?

Jam quod ex tempore mutationis remanſerit perpetuus lanæ uſus, id ego tribuendum puto ceremoniis, quibus, propter analogiam nominis, anniverſaria celebritate bona gens noni ſæculi virgini Agneti offerre cœpit agnos, quorum ex lana conficerentur pallia: nihil

nihil enim conſtantius, quam quod ſolemnibus ejusmodi ceremoniis addicitur.

LVI. Ut hunc fere in modum, quæ dixi tria, infirmari poſſint, ſuſtineo tamen judicium, contentus propoſuiſſe eruditis quæſtionem cum ſuis momentis: ferant illi ſententiam, quam rationi convenientiorem putarint, ſed poſt attentius perpenſa duo.

LVII. Alterum, Gregorium Magnum lanæ nunquam meminiſſe, cum de pallio ſcriberet ad eos, quibus mittebat: meminiſſet tamen absque dubio, ſi per veritatem licuiſſet. Ut enim erat allegoriarum incredibiliter amans, ex materia pallii ſumpſiſſet argumentum prædicandæ humilitatis, ad quam tantopere pallio donatos hortabatur; non ſumpſit tamen, cum opportuniſſimum foret, & tunc maxime, cum Maximo Salonitano pallium mitteret. *Pallium ad ſacra Miſſarum ſolemnia utendum ex more tranſmiſimus, cujus vos volumus per omnia genium vendicare: hujus enim indumenti honor humilitas atque juſtitia, &c.*

LVIII. Alterum, *pallium dici plenitudinem & complementum poteſtatis, pleniſſimæ poteſtatis ſignum, inſigne decoris*, & ſi credimus nonnullis, *Imperialis pallii a Conſtantino Imperatore dati Sylveſtro ora & inſtita*. Quis vero credat hæc laneæ tæniæ convenire?

LIX. Antequam imponatur finis huic Diſſertationi, ſolvenda quæſtio, cujus occaſionem præbet Gregorius Magnus, præſcribens Mariniano Ravennati, quomodo deberet uti pallio, ſiquidem ſecundum editionem poſtremam Conciliorum hæc habet: *Quo non aliter te uti memineris, niſi in propria tuæ civitatis, dimiſſis jam filiis, Eccleſia, procedens a ſalutatorio ad ſacra Miſſarum ſolemnia celebranda: peractis vero Miſſis, idem in ſalutatorio rurſum cumbus deponere.*

LX. Priusquam proponatur quæſtio, emendanda eſt vocum diſpoſitio, quæ perturbata eſt: quid enim ſibi vult iſta phraſis: *dimiſſis jam filiis, Eccleſia, &c.* Sunt qui legant, *niſi in propria tua civitate, dimiſſis jam filiis Eccleſia, &c.* Hæc etiam lectio vitioſa eſt: non cohæret enim cum ſequentibus, ſiquidem ſalutatorium, cujus mentio fit, non civitatis, ſed Eccleſiæ pars eſt. Reſtituere licet ex lib. IV. Vitæ Gregorii cap. 9. ubi totam Gregorii ad Marinianum epiſtolam

Joannes Diaconus refert, legitque, *niſi in propria tua civitatis Eccleſia, dimiſſis jam filiis, procedens, &c.*

LXI. Quæritur, qui ſint illi filii, quibus dimiſſis, procedit a ſalutatorio ad altare palliatus Epiſcopus. Vir eruditus opinatur fuiſſe laïcos, qui honoris cauſa ſalutatum venirent Epiſcopum, unde & loco factum ſalutatorii nomen, quorum in conſpectu pallium Epiſcopus vetabatur ſumere, ſed cum, ipſis dimiſſis, ſolus remaneret Clerus.

LXII. Opinionem eruditi viri confirmant tria. Primum, quod de Proclo legimus apud Socratem lib. 7. cap. 47. eum ex primoribus, qui ante Miſſarum ſolemnia Epiſcopi ſalutandi cauſa de more venerant, comprehendiſſe Thalaſſium, Epiſcopumque Cæſareæ Cappadociæ ex Præfecto Illyrici ordinaſſe. Alterum, quod laïci ſolerent Eccleſiæ filii dici. Poſtremum, quod Grégorius eo loci vellet uſum pallii, quem inſolenter Joannes, Mariniani deceſſor, extenderat, quam maxime reſtringere.

Vir alter eruditus ſentit, filiorum Eccleſiæ nomine intelligi poſſe Clericos, quibus ex ſalutatorio jam egreſſis, pallium ſumeret Pontifex, & procederet. Iſtam quoque conjecturam adjuvat, quod in hoc noſtro Diurno Summi Pontifices filiorum nomine Clericos compellent, in ſecunda & tertia fidei profeſſione.

Probabilis eſt, fateor, doctaque hæc utraque conjectura: verum ſimplicius quiddam afferri poſſe puto, filiorum nempe nomine appellatam Cantorum Scholam, quæ, cum procederet ad altare Pontifex ſacra facturus, ſigno dato dimittebatur ex ſalutatorio, præibatque eo modo, qui deſcribitur in appendice ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 261. editionis Domini Hugonis Menardi.

RITUUM
ECCLESIASTICORUM
SIVE
SACRARUM
CEREMONIARUM
LIBRI TRES
NON ANTE IMPRESSI.

Gregorii de Gregoriis excuſere, *Leonardo Lauredano*, Principe optimo.
VENETIIS MDXVI. XXI. Menſis Novembris.

Habes, *optime Lector*, Rituum Eccleſiaſticorum, ſeu ſacrarum Cæremoniarum S. S. Romanæ Eccleſiæ Libros tres. Opus, cum non ante formis excuſum, tum vero argumento ſuo & jucundum tibi & utile. Nam quæ ratio creandi Pontificis, quæ reliquorum Antiſtitum, qui modus admittendi Imperatoris, cum urbem inviſit, quæ Divorum noſtrorum Apotheoſes; exin qui pietatis ordo, dum divinis Pontifex operatur a Kal. Januarii ad anni finem, poſtremo veluti coronis, ac faſtigium operis; ſumma quædam ad inſtitutam rem pertinens explicatio perſonarum ac officiorum, quæ operanti Pontifici adſunt, his libris continentur. Eſt & in fronte operis *Reverendiſſimi & Doctiſſimi Corcyrenſis Archi-Epiſcopi*, CHRISTOPHORI MARCELLI, ad Sanctiſſimum D. N. LEONEM X. Epiſtola cum indice.

Divis Pontificiis interdictum; ne non prædictum dicas, manceps librarie; ne quis infra quinquennium præter nos excudat. Quare caveas, ne lucri cupiditas transverſum te actum, & graviori pœna viventem afficiat, & mortuum barathro æternum addicat.

PRIVILEGIUM PONTIFICIS.

LEO PAPA X.

UNiverſis & ſingulis, ad quos hæ noſtræ Literæ pervenerint, Salutem & Apoſtolicum Bene. Cum dilecti filii, *Antonius & Sylvanus Capelli*, cives Veneti; LIBRUM RITUUM ECCLESIASTICORUM edere in manus hominum ſtatuerint, ac propterea in eo imprimendo non parvos ſumtus fecerint, & labores ſubierint, vereanturque, ne qui fructus ex illo percipi poſſint, & intercipiantur ab aliis, qui nihil impenderint ea in re laboris; Nos adducti eorum precibus inhibemus, mandamusque omnibus & ſingulis, ne per ſpatium quinque annorum, jam nunc incipiendorum, librum ipſum imprimere, aut imprimi facere, impreſſumve venundari, aut vendendum tradere ullis in locis audeant, *Antonio & Sylvano* non permittentibus. Qui contra inhibitionem mandatumque hoc noſtrum fecerit, admiſerit, cujuscunque nationis & dignitatis ſit, is univerſa Dei Eccleſia expers excommunicatusque eſto. *Datum* ROMÆ *apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris.* Die XVII. Decembris, M. D. XVI. Pont. noſtri anno IIII.

BEM-

BEMBUS.

Exemplum Senatus Conſulti Veneti, quo cavetur, ne quis infra decennium opus hoc imprimat, impreſſumque alibi huc importet, ſub mulctis, ut in eo.

Die VII. Junii MDXVI. In Rogatis.

VAdit pars. Quod cum Nobiles Viri, *Antonius & Sylvanus Capelli a Bancho*, imprimi facere intendant, quoddam opus Cæremoniarum Eccleſiaſticarum, cautum auctoritate hujus Senatus, & ſtatutum ſit, quod per decennium nemo ipſum opus imprimi facere poſſit, tam in hac civitate noſtra Venetiarum, quam in alio aliquo loco Dominio noſtro ſubjecto, aut alibi impreſſum vendere, tam Latino, quam materno ſermone, præterquam impreſſum cura, & impenſis ipſorum Nobilium, *Antonii & Sylvani Capellorum*, ſub pœna amittendi ipſa volumina, & aureorum decem, pro quolibet volumine, qui reperirentur, cujus pœnæ tertia pars ſit eorum judicum, ſeu officialium, quibus primum denunciatum fuerit, alia tertia pars detur Hoſpitali pietatis, & alia ſit Accuſatoris ſeu Inventoris.

LAURENTIUS QUARTUS.

SANCTIS-

SANCTISSIMO D. NOSTRO DOMINO,

LEONI X.

PONT. MAX.

CHRISTOPHORUS MARCELLUS,

ELECTUS ARCHIEPISCOPUS CORCIRENSIS.

FOELICITATEM.

VEtuſtiſſimam ſacrarum cerimoniarum obſervationem, Beatiſſime Pater, & una cum ipſa religione ortam eſſe, conſpicuum eſt. Velut enim hæc mortalibus ſemper optima, ac ſummopere neceſſaria extitit, utpote, qua Deos immortales ſuſpicerent, admirarentur & colerent, ita ſine debito cerimoniarum ornatu inculta eſt, informis, ac omni pulchritudine vacua. Placet recognitio Principi. Benevolentia placet: At multo magis gratum obſequium, ſi & geſtuum veneratione, & compoſitione verborum, & munerum blandimentis afficiatur. Sedet in ſublimi ſolio Rex omnium optimus, circumſtant divinæ mentes, quæ certatim ſe illi gratas reddunt, diverſis agitationibus cœli moventur. Coëunt partim, partim diſſentiunt elementa. Quod ſuum eſt agunt alia, & pro temporis varietate mutantur. Summa denique conſenſione, diſparibus tamen officiis, ſibi ipſi conſonat, ſuoque principio obſequitur univerſum. Quare mortales quoque, quos cum Diis mercaturam quandam exercere, Plato commemorat, & præcipue nos, qui ſupremi illius ſplendoris facti ſumus divina voluntate participes, candidiſſimæ pietati, puriſſimisque ſacrificiis, delectum cerimoniarum in-

junximus, quem pia hæc editio, tuo dicata nomini, continet, quæ poſt tot annos ſub tanto Principe in lucem prodiiſſe lætatur; Ubi non Delphica oracula, neque Thamoræ, aut Orphei hymnos, quibus ſe adeo jactavit Græcia, non Sybillinos affatus, aut vanam Hebræorum ſuperſtitionem, non mutabilem Caldæorum ignem, neque Aegyptiorum Serapim, aut Perſarum ſolem invenies, ſed divini Numinis deductionem, preces caſtiſſimas, cæleſtis patriæ ſpeciem, ſacratiſſimos ritus, arcana præfigurata myſteria. Quid enim aliud Pontificum electio, conciliorum norma, divorum adſcriptio, Cardinalium allectio, pontificalis pompa, admiſſio Principum, aliique ſacrorum uſus, quàm in unum totius univerſi principem ſummum conſenſum, Dei providentiam, poteſtatem, ſplendorem, imperium, liberalitatem oſtendunt? Nobis certe hoc in Diogenis fano conſtitutis melius, quàm per has cerimonias, quibus adeo celebratur Roma, tuaque authoritas colitur, divina omnia illucere non poſſent. Hanc itaque lucubrationem accipe, ſacratiſſime Pontifex, quæ tantis auſpiciis ſub tuo auguſtiſſimo principatu invulgari promeruit. Hanc, inquam, accipe, lætoque animo amplectere, quod tam pro ſui ipſius dignitate, quam pro tui amplitudine gratiſſima quidem omnibus futura ſit: & plurimum jucunditatis perpetuis temporibus allatura.

SACRA-

SACRARUM CERIMONIARUM ROMANÆ ECCLESIÆ

LIBER PRIMUS.

SECTIO I.

CAPUT I.

De Loco Conclavis primum deligendo.

SAcras Apoſtolicæ Sedis, Romanique Pontificis Cerimonias, ritus, & obſervationes, quibus Summi Pontifices uti conſueverunt, collecturi, congruum arbitramur ab ipſa Romani Antiſtitis electione inchoare: Si prius locum, in quo electio ipſa celebranda eſt, deſcripſerimus. Et quamvis Romani Pontificis electio, ubicunque Pontifex deceſſerit, ex GREGORII DECIMI, CLEMENTIS QUINTI decretis & inſtitutis celebrari debeat: tamen quia frequenter Romæ, ubi plerumque agit, & auditores cauſarum Pontifice abſente relinqui conſuevêre, & in palatio Apoſtolico apud Sanctum Petrum haberi ſolet, utpote in peculiari, & propria ſede, *locum* CONCLAVIS (ita enim hodie appellant, ubi patres pro electione includuntur) in ipſo Apoſtolico Palatio deſignabimus. Is locus continet aulas ſuperiores duas, ſive tres, & Sacella duo, & ita undique firmis repagulis, muroque clauditur, ut oſtia nulla, feneſtræ nullæ, niſi altiſſimæ, exitus nullus, introitus tantum unus ſuperſit.

CAPUT II.

Deſcriptio Romani Conclavis.

Dum igitur Pontifici defuncto juſta peraguntur, *Camerarius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*, & qui Cameræ præſunt, curam inſtruendi, ornandique Conclavis diligenter gerant: ad quem aſcenſum, aditumque unum tantum dimittant, qua ad Sanctum Petrum per januam in principio primæ aulæ meridiem verſus deſcenditur. In ipſa prima aula, quæ Regia appellatur, eo, quod ibi publica Conſiſtoria pro Regibus, Regiisque Legatis ſuſcipiendis, celebrari ſoleat, feneſtræ portæque omnes muro, calceque firmentur, præter illas, quibus ad ſacella & ad ſecundam aulam itur. Porta prima in principio auſæ ferreis vectibus & ferris quatuor muniatur. In medio porticulum habeat, quo eſculenta & poculenta clauſis patribus miniſtrentur. In angulo ſiniſtram intranti camerula aperiatur pro latrinis, quæ nullum exitum, nullamque habeant feneſtram, in ea ſedulo ardeant lampades, ibique cerimoniarum miniſtri dormiant. In ſacello, ſive capella minori ad dextram, quæ divo Nicolao dicata eſt, conveniant patres ad divina peragenda, & ad electionem celebrandam: in majori capella ad ſiniſtram parentur cellulæ pro patribus tot, quot ſunt numero Cardinales electioni interfuturi. In capite hujus capellæ ad ſiniſtram intranti cameræ ſunt, in quibus *Sacriſta palatii Apoſtolici* habitat; harum prima pars, quæ latrinas habet, pro conclavi reſervetur, cætera omnia muro claudantur ita, ut tenebroſa fiat pars illa. Et ideo de prima camerula diximus, lampadibus accenſis continue illuſtretur. Cellulæ in ipſa capella majori hinc inde conſtituantur, non muro, aut materia diſtinctæ, ſed cortinis lineis, aut laneis tenuioribus ſeparatæ. Eriguntur namque ipſæ cellulæ tignis quaternis, à ſuperiore parte, à quibus cortinæ dependent, firmanturque ipſa tigna

aliis

aliis lignis transverſis ita, ut locus non maculetur, & inter cellulam & cellulam ſpatium dimittitur palmi, vel circa. Famuli Cardinalium, ut primum diſtributio cellularum facta eſt, illas ornare properent, quæ per literas alphabeti ſignantur. Inde non ordine, ſed ſorte patribus diſtribuantur pridie, quam ingrediantur conclave: ut cortinis, lectis, & opportuna ſuppellectili in tempore poſſint ornari. Locus ipſe conclavis ita undique claudendus, ac muniendus eſt, ut aditum nullum, niſi unum tantum (ut diximus) habeat, nemoque incluſos alloqui, videre, ſeu quippiam ad eos clam mittere queat. Sed advertendum eſt maxime, ne ſupra aut infra, ſive a lateribus habitationum conclavis ire, ſtare, habitareve quispiam poſſit, ne voce, ſigno, ſono, aut aliquo alio ingenio perſcrutari, quæ intus fiunt, valeat. Interea patres crebro conveniant vel in ſacriſtia eccleſiæ, ubi exequiæ defuncti Pontificis celebrantur: finita miſſa, vel in domo Domini Camerarii (ſi ea eſt idonea, & ſi is eſt ex numero Cardinalium.) Nam & extra collegium poteſt eſſe Camerarius. Adminiſtratio enim temporalium, & urbis, ac Romanæ curiæ gubernatio, vacante ſede ad ſacrum Collegium, & præcipue ad ipſum Camerarium ſpectat, & ideo apud nullum alium Cardinalem, ſed apud eum tantum, aut apud aliquam ædem ſacram, (ſi magis id libet) convenire ſolent. Inter alia ibi conſtituunt quadruplices cuſtodes futuri conclavis. Primæ portæ palatii cuſtodia alicui magno Prælato, vel nobili potenti, ut primum obiit Pontifex, committitur, qui armata cohorte die noctuque palatium, patreſque tueatur: cui ducenti, ſive trecenti pedites aſſignantur. *Secunda* cuſtodia eſt in prima porta, qua ad locum conclavis aſcenditur. Et hæc demandatur *Conſervatoribus, & Capitibus* Regionum urbis: qui adjunctis ſibi aliquibus nobilibus civibus, portam ipſam cuſtodiant. *Tertia* cuſtodia in ſecunda porta aliquanto ſuperius demandari ſolet Oratoribus laicis, ſive non Prælatis Regum, aut Principum,

aut etiam aliquibus magnis, & potentibus Proceribus, numero ad id idoneo. *Quarta* autem cuſtodia, quæ eſt in ipſo aditu unico conclavis, committi conſuevit Prælatis dignioribus Romanæ curiæ ſex aut octo; ſive ſint oratores, ſive non: & ſi commode fieri poteſt, & alii idonei cenſeantur, curandum, ut ex diverſis nationibus eligantur; ut omnium ſtudiis tractetur, quod ad omnes pertinet. Sed hæc omnia quoad cuſtodiarum diſtinctionem, & cuſtodum numerum, & qualitatem, in arbitrio ſunt Sacri Senatus, qui pro temporis & loci commoditate, & conditione opportune providere conſuevit. Cuſtodes primæ portæ palatii cum armatis, ut primum obiit Pontifex, locum ſervant, alii vero, cum patres intrant conclave. Et hæc quidem porta quatuor, ut diximus, ſerris munitur, extra una, ſupra porticulum duabus, infra porticulum ipſum etiam una. Et ſimiliter interiore parte idem porticulum una: cuſtodes ipſius loci claves duas portæ, & clavem porticuli retinent clerici cerimoniarum: aliam portæ clavem & clavem porticulæ interioris: ita ut neque porta, neque porticulum aperiri poſſit ſine conſenſu illorum, qui ſunt intus, & qui ſunt extra. Aulæ ſive duæ ſint, ſive tres, reſervantur pro deambulatione patrum. Et in una ex eis, remotiori ſcilicet, aliquando ſimul convenire ad ea ſtatuenda, quæ ſunt præter electionem Pontificis. Quanquam ſecundum ſacrorum canonum conſtitutionem fas non ſit patribus aliud tractare in conclavi, niſi de providendo manifeſto, & urgenti periculo terris Eccleſiæ, & de ſubſtituendo pro tempore Pœnitentiario ſummo, & Camerario S. R. Eccleſiæ, ſi interea vacarent, non eſt inconveniens, & a majoribus noſtris frequentatum eſt, tractare aliqua, quæ etſi ipſum actum electionis præciſe non reſpiciant, tamen laudabile regimen futuri Pontificis concernunt, & ipſius Pontificis religioſam adminiſtrationem honeſtiori quodam vinculo temperant. Cæterum ſi aliquando contigerit, ut alibi celebranda eſſet Pontificis electio, hinc eſſet

ſumen-

ſumendum exemplum, & curandum in primis, ut locus ipſe idoneus, & tutus, & fideli militum manu munitus ſit: deinde, ut aditus ad conclave triplici cuſtodia firmari poſſit: tum aulam quandam ita capacem habeat, ut in ea cellulæ omnes pro Cardinalibus commode conſtituantur: Inde ut ſacellum contineat pro re divina, & electione celebranda idoneum: demum aulas aliquas pro deambulatione, & latrinas ad partem: & ita claudendum eſt ipſum conclave, ut nemo incluſos videre, nemo eos alloqui, aut ad eos quippiam latenter transmittere, jacereve ullo modo queat. In eum locum ſuppellex opportuna convehenda eſt pro Cardinalibus & eorum famulis, eſculenta & poculenta nulla, præter aquam & confectiones, & quæ ad medicinam pertinent. Quæ vero ad cibum & potum attinent, portantur veſpere & mane ſingulis diebus. Deſcripta ſummarie loci, in quo electio celebrari debet, convenienti forma, ad ipſam electionem deveniendum eſt: cujus modum & originem altius aliquantulum repetere non incongruit.

CAPUT III.

Ordo eligendi Pontificis & ratio.

JUs itaque eligendi Summi Pontificis a Chriſto Domino derivatum eſt. Ipſe enim Chriſtus primum denominatione ſucceſſorem inſtituit, dicens Petro: *Paſce oves meas.* Et ea ratione Petrus Clementem etiam nominavit; quod tamen ita creditur, ſi a Senatu Eccleſiæ Romanæ admitteretur. Senatus autem Romanæ Eccleſiæ a Petro divina inſpiratione inſtitutus eſt, cum quo omnia ardua Eccleſiæ negotia explicaret, ad quemve referret, videlicet Collegium XXIV. Senatorum ex Presbyteris & Diaconibus Romanæ urbis, inſtar XXIV. Seniorum, quos agnus Dei, Chriſtus Salvator, in Apocalypſi Joannis aſtantes habere perhibetur. Hos enim Petrus

Petrus loco aſſiſtentium Apoſtolorum, poſt eorum per orbem diviſionem elegerat ac deſignarat, ac Conſiliarios Romanæ Eccleſiæ, coadjutoresque, atque Romani Pontificis electores inſtituit. Cognoſcentes igitur, hujusmodi denominationis formam graviter in futurum Eccleſiæ poſſe nocere, Senatores non Clementem acceperunt, ſed Linum elegerunt, & illum poſt Petrum pontificatui Romano præeſſe voluerunt: quamvis deinde Clemens, decedentibus Lino, & Cleto, ab ipſo Senatu electus fuerit. Hic autem mos poſt Petrum longo tempore fuit obſervatus: ut videlicet Senatores Romanæ Eccleſiæ Summum Pontificem eligerent: Ipſi autem Senatores, Presbyteri ſcilicet & Diaconi urbis, temporibus SYLVESTRI I. Papæ, ſunt appellati S. R. E. Cardinales: principes videlicet in Eccleſia: qui poſtea tempore INNOCENTII Papæ IV. quod ille in Concilio Lugdun. cavit pro inſigni ariſtocratiæ & majeſtatis in Eccleſia pileum rubrum ſuſcepere. Interea vero orientibus (ut aſſolet in rebus humanis) ſcandalis & ſciſſuris, inter eosdem Senatores, reliquus clerus Romanus & populus ad præſentiam ſolummodo exhibendam in electione Pontificis, & ejus corroborationem adjunctus eſt, inde (ut plerumque fit) inducta violentia, aut aliter quomodocunque, alii etiam a Senatoribus ipſis ad ipſum actum & jus electionis active tantum cœperunt intervenire, licet paſſive priſcis illis temporibus ſolis ipſis Senatoribus in Presbyteris & Diaconibus S. R. E. jus electionis in Summum Pontificem conveniret, prout patet ex Concilio STEPHANI Papæ: & habetur in *Decretis LXXIX. diſt. Oportebat cum duobus ſequentibus capitibus.* Unde ſatis liquet, a Petro de Presbyteris & Diaconibus S. R. E. in Summos Pontifices eligendis, qui ſemper fuerunt Senatores Eccleſiæ, & hodie & Stephani temporibus Cardinales nominati. Procedente autem tempore, ad ſedandas majores contentiones & tumultus, qui ob eam rem ſæpe oriebantur, ROMANI IMPERATORES

manus

manus ita appoſuerunt, ut nemo in Pontificem canonice electus diceretur, niſi Principis decreto eſſet confirmatus. Liberata poſt hæc tempora Italia, ac Romana Eccleſia a Longobardorum duriſſimo jugo erepta: HADRIANUS I. *ut LXIII. diſt. Hadrianus;* ſive LEO III. ut alii volunt, Romanum Imperium ex Græcis in Germanos tranſtulit, CAROLUMque MAGNUM Auguſtum declaravit: cui electionem Romani Pontificis, & jus ordinandæ Romanæ Eccleſiæ conceſſit. Nec multo poſt LEO VIII. Imperium OTHONI Alemanorum Regi ex Saxonum proſapia, primo confirmavit, *LXIII. diſt.* in Synodo, ſed poſtea pientiſſimi Imperatores, quum experientia didiciſſent, aliis forſan non ita piis Principibus ſuccedentibus hujusmodi auctoritatem Romanæ Eccleſiæ & reipublicæ Chriſtianæ perniciosam fore, præſertim quoniam Romanus Pontifex a Chriſto inſtitutus eſt, ut Imperatorem, & omnes oves paſceret, purgaret, atque ſpiritualiter judicaret, illa ſe poteſtate abdicarunt, jusque integrum ad Senatum Eccleſiæ, & Romanum clerum, & populum rediit. LUDOVICO præſertim Imperatore ſtatuente atque volente *LXIII. diſt. Ego Ludovicus;* ex quo pro vera Romani Pontificis ſuprema monarchia ſatius oſtendenda, ad id res deducta eſt, ut GREGORIUS V. OTHONE III. conſentiente, Imperatores de cætero a nonnullis Principibus ſpiritualibus & ſæcularibus fore eligendos ſanxerit: & ſic ad Summum Pontificem, Dei vices gerentem in terris, tanquam ad eum, *per quem Reges regnant, ſupremum Chriſtianæ monarchiæ Principem, Romani Imperii moderationem pertinere ſignificaverit.* Verum cum variis contrariisque vulgi ſeditionibus atque ſtudiis, & aliquando Principum violentia in electione Pontificis creberrimi tumultus, contentiones, rixæ, atque etiam cruentiſſimæ pugnæ committerentur: ſæpeque, altero per vim dejecto, alter cathedram occuparet: res Romanæ Eccleſiæ in maximam perniciem deve-

nerat. Nam parvo annorum intervallo, decem diverſorum meritorum viri, Petri ſedem tenuerunt, BENEDICTUS IX. SYLVESTER III. GREGORIUS VI. CLEMENS II. DAMASUS item II. LEO IX. VICTOR etiam II. STEPHANUS IX. BENEDICTUS X. cujus ſucceſſor NICOLAUS II. Pontifex maximæ prudentiæ & ſanctitatis, ut tantis malis obviaret, anno ſalutis *quinquageſimo primo ſupra milleſimum*, in Concilio Lateranenſi ſacram legem de electione Romani Pontificis per ſacrum ſenatum ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium peragendam eſſe: quod deinde in Concilio Senenſi ALEXANDER III. & in Lugdunenſi GREGORIUS X. ac Viennenſi CLEMENS V. confirmaverunt: cujus quidem legis obſervantia Apoſtolicam ſedem ex maxima calamitate liberavit. Deinde ut ſchiſmata tollerentur, ALEXANDER III. in Concilio generali ſtatuit, ut ille demum cononice electus cenſeretur, in quem duæ Collegii partes conſenſiſſent, ſed vetuit SYMMACHUS cuipiam licere, Pontifice adhuc ſuperſtite, verbo ſcripto, vel promiſſionibus, juramento, aut aliquo alio modo agere de ſucceſſore: tranſgreſſores dignitate & conditione privans, accuſanteſque & conſcios impunitate ac præmio afficiendos cenſens. NICOLAUS inſuper præfatus voluit, Romani Pontificis electionem cum deliberatione prædeceſſoris fieri debere. Poſthæc autem, ne diutinæ vacationis incommodis Romana Eccleſia premeretur, neve patres variis ambientium ſtudiis corrumpi poſſent, GREGORIUS prælibatus, ejus nominis *decimus*, in Concilio Lugdunenſi ſtatuit, Romano Pontifice vita functo, Cardinales præſentes decem tantum dies abſentes expectare debere, moxque cum illis, qui adeſſent, locum Conclavis in urbe, in qua Pontifex cum ſua curia reſidebat, ſimul ingredi cum uno tantum miniſtro: vel ſi patens neceſſitas fuerit, cum duobus; Conclave ipſum nullo pariete aut velamine ſeparandum: in communi habitandum, ita claudendum, ut

nullus

nullus, poſtquam convenerit, egredi queat: Neminem colloquium admittendum, niſi forte re urgente, & univerſo collegio approbatum, & a nemine nuncios, ſive literas accipiendas, feneſtram ſive porticulum unum tantum dimittendum, quo ſubminiſtrari poſſint, quæ ad vitam pertinent. Si vero poſtquam patres intraverint, intra tres dies electionem non perfecerint; per quinque ſequentes dies tam in prandio, quam in cœna, uno tantum ferculo contentos eſſe oportere, quibus elapſis, ſi adhuc concordes non fuerint, panis tantum, vinum & aqua illis adminiſtrentur, quoad Pontificem rite eligant. Interim vero nihil de camera Apoſtolica a patribus percipiendum: nihil aliud omnino agendum, niſi communi conſenſu aliquid pro patrimonio Eccleſiæ neceſſario ſit providendum. Si quis ex patribus ob adverſam valetudinem, aut de novo adveniens ingredi voluerit, re adhuc integra, admittendum ea conditione, ut eo utatur, quo alii patres tunc utuntur. Si extra locum ſuæ curiæ Pontifex deceſſerit, conveniant Cardinales in civitate illius territorii, ubi deceſſit, in Palatio Epiſcopali, vel alio condecenti loco, & omnia ſeruent, quæ ſuperius ſunt dicta. Statuit & alia pleraque GREGORIUS, quæ ad dominos conclavis, & patrum tutelam ac ſecuritatem pertinent: hortatur patres ad electionem rite faciendam pro Dei honore & publica utilitate, & pactiones, juramenta, obligationesque omnes pro ea re factas damnat atque irritat. Hoc GREGORII Decretum CLEMENS confirmans declarat, illudque per ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, vacante ſede, nullo modo immutari poſſe: nec licere Cardinalibus quicquam poteſtatis, aut juriſdictionis pontificalis tunc exercere, niſi officio Camerarii, & majoris Pœnitentiarii, ſi forte per id tempus vacarent, pro tempore providere. Pro territorio autem dioceſim intelligi voluit hac additione, quod ſi audientia earum, & literarum Apoſtoli-

 carum

carum in aliquo certo loco, Pontifice moriente, remanſerit, electionem ibi, non autem ubi Papa deceſſerat, eſſe celebrandam, niſi prius per Papam ſtatutum fuiſſet de curia transferenda. Item, ſi electione non completa, patres de Conclavi ſimul, vel ſucceſſive, exierint, compellendos eſſe a dominis, ſeu Magiſtratibus locorum, rurſus ad Conclave redire, & opus perficere. Demum abſolvit omnes Cardinales ad effectum electionis ab omnibus cenſuris, & pœnis. Extat & Decretum CLEMENTIS VI. circa annum ſalutis *quadrageſimum ſupra mille & trecentos* editum: per quod ſuperiora ſtatuta limitantur. Quod, quia ultimum eſt, & in ſacrorum Canonum Codicibus non adhuc deſcriptum, de verbo ad verbum duximus inſerendum.

Clemens &c. Ad perpetuam rei memoriam. Licet in conſtitutione a feliciſſime regente GREGORIO Papa X. prædeceſſore noſtro, ſuper electione Romani Pontificis edita in Concilio Lugdunenſi, inter cætera caveatur expreſſe, quod ſi eumdem Pontificem in civitate, qua cum ſua curia reſidebat, diem claudere contingat extremum, Cardinales in palatio, in quo idem Pontifex habitat, omnes conveniant, & in eo ſinguli ſingulis, niſi illi, quibus ex patenti neceſſitate duo permittuntur, ſint contenti ſervientibus clericis vel laicis, prout elegerint; unum conclave, nullo intermedio pariete, vel alio velamine habitent in communi, & quod diebus certis, non facta proviſione de Paſtore, decurſis, panis, vinum & aqua tantummodo eisdem Cardinalibus, donec ſubſequatur proviſio, adminiſtretur. Quia tamen, ſicut frequenti multorum aſſertione & in cardinalatu conſtituti percepimus, nonnulli ex Cardinalibus ipſis in obſervatione conſtitutionis ipſius gravati nimium extiterunt: multique ex ipſis duos in dicto conclavi habuerunt ſervitores non abſque ſcrupulo conſcientiæ, propter ambiguitatem dictorum verborum, videlicet ex patenti neceſſitate duo permittantur, in dicta conſtitutione, ut præmittitur, contentorum: Nos providere ſuper his cupientes, ex his & aliis certis cauſis ratio-

nabi-

nabilibus, quæ ad id noſtrum animum induxerunt, rigorem conſtitutionis ipſius, & ad fratrum noſtrorum ſupplicationem, in hoc providemus temperandum; Statuentes, quod Cardinales, poſtquam conclave hujusmodi, ſeu clauſuram prædicta electione celebranda intraverint, ſinguli duos ſervientes tantum clericos vel laicos, prout duxerint eligendos, ac inſuper ſingulis diebus præter panem, vinum & aquam in prandio, & in cœna unum duntaxat ferculum carnium unius ſpeciei tantummodo, aut piſcium, ſeu ovorum cum uno potagio de carnibus vel piſcibus, principaliter non confecto, & decentibus ſalſamentis habere valeant ultra carnes ſalitas; & herbas crudas, ac caſeum, fructus, ſive electuaria. Ex quibus tamen nullum ſpecialiter ferculum conficiatur, niſi ad condimentum fieret vel ſaporem, nullus vero eorum de alterius ferculo veſci poſſit: liceat etiam eis ex decentia honeſtatis habere in clauſura hujusmodi, cum in lectis quieſcendi cauſa, vel dormiendi eſſe voluerint, intermedia velamina ſimplicium tantummodo cortinarum, & fel. mem. CLEMENTIS *Papæ V. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis: quibus propter hoc in aliis derogari nolumus, non obſtantibus quibuscunque. Nulli ergo, &c.* Datum Avinioni, VIII. Idus Decembris, Anno X.

CAPUT IV.

Exhortatio, ut revideantur majorum decreta ſuper electione.

HÆc pauca ex decretis ſanctorum patrum libavimus, pro ingenii noſtri imbecillitate. Sed hortamur Reverendiſſimos D. Cardinales, ut cum electionis negotium imminebit, ſecundum HOSTIENSIS *in ſua Lectura* conſilium, diligenter revideant Pontificum & Conciliorum ſtatuta de electione Romani Pontificis edita, & doctorum ſuper ea re interpretationes. Et quoniam res eſt maxime ardua, indigetque magna diſcuſſione, *fiet fortaſſis ſuper hac re ſpecialis tracta-*

tractatus. Exequiis igitur defuncti Pontificis per novem dies completis, & Conclavi opportuno præparato, decima die Patres conveniunt in Baſilica Sancti Petri, vel alibi, pro temporis & loci opportunitate, ubi per unum ex eis miſſa de *Spiritu Sancto* celebratur, & in fine per aliquem Prælatum, ſeu doctum virum, habeatur ſermo, in quo moneantur Patres, ut ſepoſitis omnibus privatis affectibus, Deum tantum præ oculis habentes, Sanctæ Romanæ & univerſali Eccleſiæ de Paſtore idoneo providere curent. Eſtque admodum conveniens, ut decreta Summorum Pontificum pro electione hujusmodi ſtatuta ab ipſo oratore ſummatim repetantur, & reducantur ad memoriam Dominorum Cardinalium. Re divina peracta, ſi placet Patribus tunc intrare Conclave, Clericus Cerimoniarum capiat crucem papalem, & procedat: quem Cardinales ſequantur, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi: crucem præcedunt familiares Cardinalium laici, & immediate cantores cantantes hymnum, *veni Creator Spiritus.* Et in Conclavi apud Altare prior Cardinalium dicit Orationem: *Deus, qui corda fidelium.* Poſt Cardinales ſequuntur Prælati, & alii Curiales Clerici. Cardinales erunt cum ſuis cappis obſcuris. Si vero volunt differre introitum ad veſperam, conveniant de hora, & vadant domum ad prandium, ubi hora congrua fuerit, antequam diſcedant: ſi prius hoc non fecerint, quod facere convenit: ſi poſt miſſam ſunt ingreſſuri Conclave, convocent familiam ſuam, unusquisque moneant, hortentur omnes primum ad orandum clementiſſimum Deum, ut patribus inſpiret ea circa electionem futuri Pontificis agere, quæ ſuæ placita ſunt voluntati, & ſaluti ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, atque univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ profutura. Tum ut domum die noctuque bene cuſtodiant, Magiſtro domus obediant: pacifice & quiete inter ſe vivant, & per urbem non multum vagentur. Noctu autem domi ſe omnino contineant: deinde hora præſcripta in nomine

Domini

Domini vadant ad baſilicam Sancti Petri, ſi Romæ & in palatio Apoſtolico ſit Conclave. Sin alibi, ad Eccleſiam Conclavi proximam; & valde honeſtum, immo neceſſarium videtur, ut, antequam Conclave ingrediantur, patres omnes DEO ſe reconcilient, confiteantur peccata ſua, & qui non ſunt celebraturi, communicent, ut ſint capaces gratiæ Spiritus Sancti, in tanta re peragenda admodum neceſſaria. Poſtquam vero omnes convenerint, aſcendant ſimul ad Conclave. Et quum ad Altare Conclavis convenerint, prior Epiſcoporum Cardinalis omnibus aliis adſtantibus, & præſente ac rogato aliquo Notario exigat corporale juramentum, tactis ſacris Evangeliis a cuſtodibus conclavis, & a ſecundis, ac tertiis cuſtodibus, quod fideles & diligentes erunt ad cuſtodiendum palatium & Conclave Reverend. D. Cardinalium, neque permittent Reverendiſſimos D. Cardinales ullo modo gravari ultra conſtitutiones ſanctorum patrum de electione Romani Pontificis ſtatuentes, & maxime CLEMENTIS Papæ VI. quas, quantum ad eos pertinet, omni ſtudio & integritate ſervabunt, & ab aliis pro viribus facient obſervari. Quarti vero cuſtodes, id eſt, portæ ultimæ introitus conclavis, præter hæc jurabunt, quod non permittent aliquem appropinquare ad portam conclavis, aut loqui, ſive literas dare aliquo modo illis, qui ſunt intus, niſi de expreſſo conſenſu totius collegii, & ſcripta, quæ ad collegium pertinerent. Item quod perſcrutabuntur cibaria & vaſa, quæ intromittentur omni ſolertia & fide introſpiciendo epulas, fercula, ne forſan laterent aliquæ literæ: vinum & aquam in vaſis vitreis portari facient, & conſtitutiones prælatas integre obſervabunt. Tum excluſis omnibus aliis, prior Epiſcoporum Cardinalium ipſos Cardinales verbis convenientibus hortabitur, ut velint cogitare magnitudinem rei, de qua ſunt tractaturi: nihil qua inter eos excellentius eſſe poteſt. Electuri enim ſunt Jeſu Chriſti vicarium, Petri ſucceſſorem, Paſtorem

domi-

dominici gregis, aulæ cœleſtis clavigerum, & *omnium Chriſtianorum Principem:* debere illos memoria repetere formam, atque rationem a Sanctis Patribus traditas in electione ſervandas quas ſine graviſſima Dei offenſa & propriæ ſalutis diſcrimine, prætermittere non poſſunt. Proinde dimiſſis omnibus animi affectibus, ſolum honorem Dei, ſalutem reipublicæ chriſtianæ, & Romanæ Eccleſiæ commodum ante oculos habeant, & talem eligere curent, qui Eccleſiæ Dei præeſſe, & prodeſſe valeat, & ſciat. His peractis, Reverendiſſimi D. Cardinales ad cellulas quiſque ſuas divertunt: & Camerarius, aliique officiales cameræ apoſtolicæ omnes, extra conclave abire jubent, præter eos, quos remanere oportet, ut infra dicemus. Tum omnibus prædictis expulſis, porta Conclavis cum ſuo porticulo omnibus ſerris claudatur intus & extra: aſſignenturque claves duæ clericis cerimoniarum interioribus, & tres prælatis cuſtodibus exterioribus. Deinde accenſis funalibus aliqui juſſu patrum ad hoc deputati, latebras angulosque omnes conclavis diligenter ſcrutentur, ne quis extra ordinem inter clauſos remanere poſſit, in conclavi ordinarie. Si remanent omnes Reverendiſſimi D. Cardinales, & unusquisque illorum pro ſuo ſervitio retinet duos ſervientes tantum: ſi quis autem adverſa valetudine premeretur, conceditur ſibi tertius miniſter ex conſuetudine, non ex conſtitutione. Præterea ſacriſta ſacri palatii ſolus, & duo Clerici Cerimoniarum. Servitores Dominorum Cardinalium quisque hero ſuo famulatur. Sacriſta divina celebrat in communi coram Patribus, & veſtes ac paramenta futuri Pontificis ſervat, præparatque; Clerici Cerimoniarum celebranti ſubminiſtrant: ſubſellia pro Dominis Cardinalibus, ubi & quomodo illis placet, præparant, & in communi omnibus Patribus ſerviunt: conſuevitque aliis ſuperioribus temporibus inſtrumentum de electione Pontificis confici. Cum prandii ſeu cœnæ tempore cibaria afferuntur, familiæ Cardinalium

palium cornutas (ita enim coffinos appellant, quibus illa portantur) úſque ad ſecundam cuſtodiam deducunt. Tum Præfectus familiæ illius Cardinalis cum duobus, qui cornutam portant, uſque ad ultimam cuſtodiam accedunt. Prælati cuſtodes cornutam aperiunt, fercula, & omnia, quæ intus ſunt, diligenter perſcrutantur, ne quid literarum inſit. Tum, aperto extrinſecus porticulo, intrinſecus aperiri per Clericum Cærimoniarum, vocarique ſervientes illius Cardinalis, cujus cornuta eſt advecta, jubent: illique cornutam cum cibis aſſignant, & vinum, quod eſt in vitreis phialis allatum. Servitores, qui extra aſtant, ad portam Conclavis non accedunt: & qui intus ſunt, a Prælatis cuſtodibus cornutas recipiunt, & qui primum venerint, primum expediuntur. Ante portam intus aliquantulum remote ſuſpenditur cortina quædam, ne per porticulum, cum aperitur, videri poſſint, qui ſint intus. Et hoc ſemper ſervatur, cum cibaria portantur.

Primis tribus diebus miniſtrantur patribus cibi libere pro eorum voluntate, illis elapſis, panis, vinum & aqua cum uno ferculo tantum carnium, piſcium, vel ovorum unius ſpeciei cum ſalſamentis, ſapore, caſeo, herbis crudis, & fructibus. Neque, ſecundum Conſtitutionem Clementis, licet alicui ex Patribus de ferculo alterius veſci. Dum Patres comedunt, aut aliquid aliud in cellulis agunt, cortinæ anteriores & collaterales apertæ ſemper eſſe debent, niſi cum in lecto inter diu, ſive noctu, quieſcunt. Cum autem collegialiter a Patribus eſt aliquid agendum, utuntur croceis obſcuris, & ſubtus parvo caputio ſupra rochettum. Eſt autem crocea *genus chlamidis longe ad terram uſque, a parte anteriori aperta, a ſummo ad imum circa collare rugoſa, in formam capparum Prælatorum, ſi demas cucullum;* quando autem ſunt in cellis, aut per aulas deambulant, poſſunt eſſe in rochettis, ſive cum parvis mantellis deſuper, ut magis placet. Caveant diligenter Patres, ne, cum horas canonicas ſoli, vel cum

 alio

alio legunt, ſeu quippiam aliud in cella agunt, moleſtiam aut impedimentum inferant. Et inprimis, ne conventicula noctu agitent, neve ambiendo per cellulas, ſive per aulas immoderate diſcurrant. Idque multo magis curent ſervientes, maxime, ne dum Patres quieſcunt, ſurſum & deorſum diſcurrendo ſtrepitum faciant. Noctu locis opportunis ardeant lampades, & aſſiduo in locis tenebroſis apud latrinas. Conſueverunt noſtris temporibus patres, *antequam ad electionem deveniant, ſtatuere quædam communi conſenſu a futuro Pontifice confirmanda*, quæ poſtea ſinguli ſubſcribunt, juramentoque aſtringunt ſe obſervaturos, ſi ad Pontificatum aſſumantur, hæc, ubi perfecerunt, de electione agere incipiunt.

CAPUT V.

Quæ ſervanda, ne electio poſſit impugnari.

SEd advertendum eſt, per Reverendiſſimos D. Cardinales, ut in electione ſervent ſanctorum Patrum canonicas conſtitutiones, NICOLAI II. ſeu ALEXANDRI III. GREGORII X. CLEMENTIS V. & VI. & aliorum, ſi quæ ſunt, ne impugnari poſſit electio. Sciantque, tam Epiſcopos, quam Presbyteros, ſeu Diaconos Cardinales, æqualem in eligendo poteſtatem habere, neque fieri relationem meriti ad meritum, neque zeli ad zelum: ſed numeri ad numerum, ita ut ille, *qui a duabus partibus Cardinalium, cujuscunque ordinis ſit, rite electus ſit, pro vero & indubitato Pontifice habeatur*, & Cardinales novos, ut primum creati & publicati fuerint, eandem habere poteſtatem in electione, niſi os fuerit eis clauſum a Pontifice, & non apertum ante mortem, quia tunc non haberent poteſtatem, ſin autem non fuiſſet eis os clauſum, integra permaneat poteſtas. Poſt mortem INNOCENTII VI. in electione ſucceſſoris, in qua fuit electus URBANUS V. extra Collegium, tunc Abbas Sancti Germani

mani Altiſiodorenſis de Rocha, Abbas Cluniacenſis aſſumptus in Cardinalem per INNOCENTIUM, primo venit ad Curiam in die obitus dicti Innocentii, & quamvis inſtallatus non eſſet in Conſiſtorio, nec haberet titulum, fuit admiſſus per alios Cardinales ad Conclave electionis, ut alii Cardinales antiqui, & ita duo ex Cardinalibus antiquis ex commiſſione Collegii cauſa cognita judicarunt eſſe faciendum, quia ſola aſſumptio ad Cardinalatum habet jus eligendi, & alia Cardinalibus convenientia, & propterea Papa in tempore clauſit os novis, quod prius erat apertum. Et quamvis *Romanus Pontifex canonice inſtitutus, nullo humano judicio judicari poſſit, ni fiat hæreticus, ſi tamen contra formam iſtarum Conſtitutionum Paparum ſibi uſurpaverit, tam ipſe, quam ei adhærentes ſunt excommunicati, & ſimiliter electus per ſeditionem, impreſſionem, vel quodlibet aliud ingenium, videlicet per calliditatem & fraudem.* Conſuetudo fuit apud ſuperiores, ut duæ Miſſæ ſingulis diebus in Conclavi dicerentur, una de die currenti, altera propria, quæ ſede vacante dicitur, & ſcripta *in fine hujus voluminis*, una per ſacriſtam, altera per aliquem ex Capellanis Cardinalium, niſi ipſi Cardinales perſonaliter velint celebrare. Cum igitur de electione agere volunt audita Miſſa, Domini Cardinales ſoli in Capella illa remanent, ſedentque ſuper ſcabella, ſive ſcamna, illis parata: ſuper Altare reſtat calix vacuus, & patena, ante Altare menſa parva, rubeo panno cooperta ponitur, & ſuper eam pugillares, & papirus. Inter concavum & Altare juxta menſam ponuntur ſcabella tria. In quorum medio Epiſcoporum, a dextris Presbyterorum, & a ſiniſtris Diaconorum Cardinalium priores ſedent. Sacriſta vero, familiares Cardinalium, & omnes alii, qui in Conclavi reperiuntur, in Capella majori, ubi cellulæ ſunt, clauduntur, ſoli Clerici Cerimoniarum ſolent extra portam Capellæ parvæ, ubi Patres clauſi de electione tractant, expectare, præſto venturi, ſi a Patribus pro aliqua re

vocarentur. Cum omnes ordine ſuo conſederint, prior Epiſcoporum in loco prædicto ſedens, commodis verbis hortatur patres ad providendum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ de viro idoneo, & ſufficienti, & qui tantum onus utiliter ferre queat. Deinde proponit eis, per quam viam ad electionem procedere placeat, per viam *compromiſſi*, ſive per viam *ſcrutinii*. Quod ſi forte aliquis patrum diceret in hanc ſententiam: *Reverendiſſimi Domini perſpecta ſingulari virtute, probitate &c. Reverendiſſ. D. N. ego judicarem ſine alio proceſſu, ipſum eligendum ad Summum Pontificatum, & ex nunc ego eligo ipſum in Summum Pontificem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: ſi alii, vel ſaltem duæ partes, iſtius ſententiam ſequerentur, & viva voce ſimili modo illum talem eligerent, ille eſſet canonice electus, & verus Papa.* Et vocatur per *viam Spiritus Sancti* talis electio ſine ſchedulis aut compromiſſo: Sæpeque apud majores noſtros fuit celebrata hæc via. Si Dominis Cardinalibus placuerit procedere per viam compromiſſi, oportet quod omnes concordent ad compromittendum, aliter non tenet: niſi forte duæ partes tam diu in ſententia permanerent, quoad compromiſſarii electum nominarent, illumque compromittentes comprobarent, tuncque, ut electus a duabus partibus eſſet canonice electus. Forma autem talis compromiſſi eſt ejuſmodi:

In Nomine Domini Amen. Anno ejuſdem &c. die &c. Nos Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales omnes & ſinguli in Conſiſtorio exiſtentes, videlicet: T. Oſtienſ. D. Portuenſ. & ſigillatim omnes alii nominentur Cardinales de electione tractantes Summi Pontificis: elegimus, & eligimus per viam procedere compromiſſi, & unanimiter & concorditer, nemine diſcrepante, legimus compromiſſarios Reverendiſſimos patres, Dominos T. Epiſcopum &c. A. tit. ſancti, N. presbyterum & L. Sancti Hadriani Diaconum Cardinales, quibus damus plenariam poteſtatem providendi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ de paſtore, ſub hac forma, videlicet quod duo ex ipſis poſſint eligere

tertium

tertium de ſe ipſis, & omnes tres concorditer de collegio, vel de extra poſſint Romanæ & univerſali Eccleſiæ providere. Et volumus, quod dicta poteſtas duret usque ad conſumptionem candelæ ibi ex conſenſu ſingulorum accenſæ, & promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem dicti compromiſſarii in forma prædicta duxerint eligendum, &c. Compromiſſarii vero ad partem in aliquo loco ſeparato ſe retrahant, & primum inter ſe proteſtentur, quod per quamcunque prolationem verborum non intelligunt dare conſenſum ſuum, niſi in ſcriptis illum expreſſe ponant, ut inter ſe poſſint uti verbis humanis & reverentialibus ſine præjudicio. Alius modus eſt, & magis tritus procedendi per viam *ſcrutinii*, qui, ſi magis placet, primo deliberandum eſt, an poſt ſcrutinium eadem die ſit attentanda via per acceſſum. Deinde omnibus in locis ſuis in Capella conſedentibus, prior Epiſcoporum cum ſchedula ſua in manu, accedit ad Altare, & genu flexus aliquantulum orat, tum ſurgit, & ſchedulam prædictam, quam primo oſculatur, in calice reponit, Priore Diaconorum a ſiniſtra parte Altaris, ubi Epiſtola legitur, ſtante, & patenam manu ſua elevante: has ſchedulas, quæ vota eorum continent, ſcribere ſolent Reverendiſſimi Domini ad partem, quomodo eis placet, in hanc formam: *Ego A. Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalis &c. eligo Summum Pontificem, Reverendiſſimum Dominum meum, D. S. tituli Sancti Marci Presbyterum Cardinalem;* & eodem modo quisque nominare poteſt duos, aut plures de collegio in eadem ſchedula, & aliquem extra collegium a tergo ipſius ſchedulæ. Schedulam ipſam bene plicatam ſigillo ſuo annulari ſignat: &, ut diximus, facta prius oratione illam deoſculatam quisque in calicem ponit. Ut autem prior Epiſcoporum ſchedulam in calice poſuit, accedit ad dexteram eorum altaris, & ibi cum priore Diaconorum patenam elevat, dum patres votorum ſchedulas calici imponunt. Qui ordine ſuo omnes ſigillatim

tim Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi eodem modo, ut de priore Epiſcoporum diximus, ſchedulas in calicem mittunt: ſchedulis in calice depoſitis ſedent patres, & quisque ante ſe ſcabellum habet cum papyro & pugillaribus: in papyro ſcripta ſunt per ordinem patrum omnium præſentium nomina cum aliqua diſtantia, ita ut unum tantum nomen in quolibet verſu contineatur, in hunc formæ modum: *Reverendiſſimus Dominus Nicenus habet. Reverendiſſimus Dominus Rothomagenſis habet,* & ſic de ſingulis. Et ſcribuntur nomina, quibus communiter appellantur, propter brevitatem, & non nomina titulorum. Tum prior Epiſcoporum calicem de altari, ſimul cum Diaconorum priore, ſumens illud ſuper menſam prædictam imponit. Deinde ipſe & Diaconus ſedent a dexteris priore Presbyterorum ſedente, ut prædiximus. Prior deinde Epiſcoporum ſedens calicem manu dextra capiens, ac ſiniſtra patenam firmam retinens, calicem ipſum ſuper patenam immittit. Ita tamen ut nihil effundat, & iterum calicem erigens ſuper menſam, ut prius erat, illum conſtituit, tum ſiniſtra aliquantulum patenam elevans dextra ſchedulam unam, quæ forte ad manus venit, palam digitis duobus extrahit: illamque primo priori Presbyterorum oſtendens, legendam porrigit Diaconorum priori: qui eam mox aperit, & voce, qua ab omnibus exaudiri poſſit, diſtincte legit: *Ego N. Cardinalis Papienſ. eligo in Summum Pontificem Reverendiſſimum Dominum meum, D. B. tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, &c.* ut ubi ſcriptum invenit. Cardinales omnes tam ipſi tres priores, quam alii, ſuper nomina in ſchedula nominatorum, eligentium nomina ſcribunt in papyris ſuis, vel ſignum aliquod faciunt, omnibus ſchedulis perlectis, & votis eligentium deſcriptis. Tres priores vota computant, & alta voce habentes plures voces Diaconus nominat, dicendo: *Reverendiſſimus D. A. habet voces decem, & Reverendiſſimus V. habet voces octo, & Reverendiſſimus D.*

habet

habet voces ſeptem. Deinde ſi non poteſt attemperari via per *acceſſum*, & voces non ſufficiunt, re infecta patres diſcedunt: *neque per totum diem aliud agi poteſt circa actum electionis, quia non fit bis in die ſcrutinium.* Sequenti die iterum ſummo mane in capella conveniunt, & re divina peracta, ſcrutinium, ut die præterita, faciunt: ſchedulas in calicem mittunt, quæ a prioribus extrahuntur, leguntur, & computantur, ut ſupra. Deinde ſi duæ partes in ſchedulis non conveniunt, procedunt electionem per viam acceſſus. Nam hoc pacto celerius ad finem electionis pervenitur ad illos accedendo, quos in ſchedula non nominaverit, & poteſt fieri acceſſus ad unum, vel plures, ſicut & nominato in ſchedulis, ſed ex honeſtate & decore juniores debent aliquantulum expectare, quod antiquiores acceſſum incipiant. Illis vero diutius ſuperſedentibus, quilibet poteſt incipere, ſurgit qui vult incipere, & dicit: *Ego accedo ad Reverendiſſimum Dominum meum talem*, & ſtatim omnes ſignant ſuper nomen electi nomen accedentis, & ſimili modo & alii, qui volunt, accedant, & ſignantur, *ſi non concurrunt duæ partes, nihil factum*, & ſequenti die ad ſcrutinium revertuntur. Si autem voces ſufficiunt, qui ultimo ex neceſſariis vocibus accedit, ſolet dicere: *Et ego accedo ad Reverendiſſimum Dominum meum talem, & facio eum Papam.* Et notandum, quod ſi acceſſus fieret ad plures imperceptibiliter, & inconfuſe ita, ut duo haberent duas partes, nemini jus acquiritur, & pro infecto habetur. Legimus, ſuperioribus temporibus, cum duæ partes in electione concordabant, priorem Diaconorum conſueviſſe induere electum mantum Papale, dicendo: *Ego inveſtio te de Papatu, ut præſis urbi & orbi.* Sed hodie non ſervatur. Convenientibus duabus partibus in unum quempiam, ille verus & indubitatus eſt Pontifex: tamen conſueverunt & alii accedere, & rurſus prior Epiſcoporum omnibus ſedentibus, nomine totius Collegii, illum talem eligit in Romanum

Ponti-

Pontificem, & ejus aſſenſum requirit. Quo habito, omnes ſurgunt primo ad congratulandum, deinde eum exuunt crocea, & caputio parvo, & ſic cum ſuo rochetto faciunt illum ſedere ſuper ornata ſede, quam locant ante menſam, ubi priores ſedebant. Imponunt illi annulum piſcatoris, & exquirunt, quo nomine velit nuncupari: & tunc ſolet ſubſcribere conſtitutiones ante electionem firmatas, & juratas, & ſignare aliquas ſupplicationes. Interim vero prior Diaconorum aperta ſacrarii feneſtrella, qua populus expectans videri poteſt, crucem profert, alta voce clamans: *Annuntio vobis gaudium magnum: Papam habemus. Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Malfectenſis electus eſt in Summum Pontificem,* & elegit ſibi nomen, INNOCENTIUS VIII.

CAPUT VI.

De Indumentis Electi, & prima veneratione a Cardinalibus.

HIs peractis, ducitur electus in ſacrarium, & a Diaconis Cardinalibus exuitur veſtimentis communibus, quæ ex antiqua conſuetudine cedunt Clericis Cerimoniarum, induiturque Papali habitu, *toga* ſcilicet *lanea albi coloris, caligis rubeis, ſandaliis rubeis aurea cruce ornatis, cingulo rubeo cum aureis fibulis, birreto etiam rubeo, & demum mundo nitidoque rochetto,* deinde imponunt ei amictum, *albam longam, cingulum, & ſtolam ornatam cum perlis pendentem a collo, ſi eſt Presbyter, aut Epiſcopus. Si autem eſſet Diaconus, ſtola ſit ſuper humerum ſiniſtrum in formam Diaconi: ſi ſit Subdiaconus, vel infra, non ponatur ei ſtola,* & ita indutum educunt, ac ſuper prædictam ſedem rurſus ſedere jubent: ibique ſupplicationes complures ſignat. Demum Domini Cardinales, depoſitis croceis, & parvis caputiis, cappas ſuas reaſſumunt: Imponunt novo Pontifici pluviale rubeum precioſum, & mitram auro & gemmis orna-

ornatam: illumque ſedere faciunt ſuper altare, cui Cardinales omnes reverentiam exhibent per ordinem, pedes, manus, & os deoſculantes.

Dum hæc aguntur, portæ Conclavis omnes aperiuntur: repagula, murique oſtiorum & feneſtrarum dejiciuntur: pulſantur campanæ, & ſigna lætitiæ omnis generis eduntur. Pontifex novus præcedente cruce & Cardinalibus ad Eccleſiam Sancti Petri deſcendit: & proſtratus ante Altare ſine mitra aliquandiu orat: agitque gratias Deo, & beatis Apoſtolis. Tum ſurgens a Cardinalibus ſuper Altare ad ſedendum conſtituitur cum mitra, & prior Epiſcoporum genuflexus incipit: *Te Deum laudamus*, quem hymnum Cantores proſequuntur. Interim Cardinales pedes electi, manus & os deoſculantur ſervato ordine: quod & alii, qui adſunt, prælati & nobiles faciunt. Finito hymno idem prior Epiſcoporum ſtans a cornu ſiniſtro Altaris, ubi Epiſtola legitur, dicit ſuper electum, *Pater noſter.* Deinde & nos, &c. *Sed libera &c. Salvum fac Domine ſervum tuum, electum noſtrum.* Reſpond. *Deus meus ſperantem in te.* Verſ. *Domine exaudi orationem meam.* Reſpond. *Et clamor meus &c.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum Spiritu tuo.* Oremus: *Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo, N. electo in Summum Pontificem, & dirige eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.* His ſervatis, deſcendit electus de Altari, & verſus ad populum ſolenniter benedicit, dicens: *Sit nomen Domini benedictum.* Tum eodem ordine, revertitur ad Cameram Papalem, & ibi quieſcit, & Domini Cardinales revertuntur ad propria.

Quod ſi electus eſſet aliquis extra Collegium, & tamen in urbe, vel loco vicino, antequam Patres exeant e Conclavi, vocetur nomine Collegii ab aliquibus Prælatis, & introductus in Conclavi, a priore Epiſcoporum intimetur ei electio, &

requiratur ejus conſenſus: quo habito, omnia fiant, quæ de electo præſente ſuperius dicta ſunt. Si autem non *conſentiret*, iterum ad novam electionem faciendam procedant. Si autem canonice electus eſſet abſens, ita, quod per aliquos dies ejus præſentia haberi non poſſet: patres, publicata ejus electione, & deſtinata ad electum idonea legatione, Conclavi exeant: Legati cum mandatis, & authenticis documentis, nominato electionem inſinuent, & conſenſum exquirant: acceptantem, Summum Pontificem ſalutent, & habitu Pontificali exornent, referantque Patribus, deinde reliqua peraguntur, ut novo electo, & collegio videbitur. Si autem acceptare noluerit, iterum Domini Cardinales in Conclave revertantur ad novam electionem peragendam. *Ante coronationem ſuam electus Romanus Pontifex Conſiſtoria tenere non conſuevit, neque proviſiones aliquas Eccleſiarum facere.* Si tamen aliquo impedimento coronationem diutius differre oporteret, & urgeret neceſſitas, Eccleſiis recte poſſit providere, & omnia, quæ eſſent pro utilitate Reipublicæ, peragere, & hoc tempore Bulla plumbea literarum ſuarum ab una tantum parte imprimetur, ubi ſunt capita Apoſtolorum: ab alia autem, ubi literæ ſui nominis imprimi ſolent, nihil erit. In principio, ſi prius erat Epiſcopus conſecratus, ſcriberetur: *Innocentius Epiſcopus, ſervus &c.* ut alias. Si autem non eſſet conſecratus Epiſcopus, ſcriberetur: *Innocentius electus, ſervus ſervorum Dei.* In fine autem literarum ante Datam, adduntur hæc verba: *Nec mireris, quod bulla exprimens nomen noſtrum, non eſt appenſa præſentibus.* Nam hi, qui fuerunt hactenus electi in Romanos Pontifices, ante ſuæ conſecrationis, & benedictionis ſolennia in ſuis bullandis literis modum hujusmodi obſervare conſueverunt. In Data autem dicitur loco Pontificatus noſtri, *ſuſcepti a nobis Apoſtolatus officii* anno primo.

SECTIO

SECTIO II.

CAPUT I.

De ordinatione & conſecratione Summi Pontificis.

CÆterum ſi electus in Romanum Pontificem non eſſet in ſacris ordinibus conſtitutus, ut de PETRO MORONEO anachoreta, & de quibusdam aliis patrum noſtrorum memoria accidit, ſtatuta per eum die ante diem coronationis, per aliquem Epiſcopum Cardinalem, vel alium, ſi magis placet, ordinetur, & ad omnes ordines, etiam Presbyteratum, poterit in eadem die ſimul, vel interpellatis diebus, promoveri, ut placuit. In promotione autem hæc ſervabuntur. Convenient in loco, ubi ordinatio fieri debet, electus Pontifex cum duobus Diaconis, & aliquibus Presbyteris Cardinalibus, Subdiacono & acoluthis apoſtolicis: & omnes convenientibus ſibi & tempori paramentis ornentur. Deinde Epiſcopus conſecrator cum ſuis miniſtris paretur: paretur etiam ante Altare credentia pro conſecratore, & credentia pro Pontifice electo cum rebus opportunis ad ordinationem. Electus ordinandus ad ſubdiaconatum, in ſede ſua, in loco convenienti conſtituta, primo lavet manus, tum ſupra rochetum paretur amictu, ita tamen, ut poſſit imponi ſupra caput, cum tempus erit, alba, & cingulo deinde pluviale, quod poſt collum remittit, ut totum retro dependeat: tum mitram accipiat tempori opportunam. Cum omnia parata erunt, electus accedit ad Altare, procumbet ad orationem ſine mitra, & ſurgens faciet confeſſionem cum ordinatore, deinde revertetur ad ſedem ſuam, & leget introitum *&c. ut alias*, & ordinator procedet in miſſa more conſueto, usque ad collectam ante epiſtolam *excluſive*. Tunc electus ſuper faldiſtorium procumbet ſine mitra, ordinator autem in ſcabello

 bello

bello ad ejus ſiniſtram cum mitra: & alii omnes in locis ſuis ſine mitra, & fiet litania per Subdiaconum, & cum perventum fuerit ad locum conſuetum, ſurget ordinator, & benedicet electum, tertio dicens, *Vt hunc electum &c.* ut in *ordinario.* Deinde iterum procumbet, & finietur litania. Tum electus, ſumpta mitra, revertitur ad ſedem ſuam, & ordinator accedet ad eum, & ſedenti cum mitra ipſe ſtans cum mitra dat electo calicem vacuum cum patena, & mox urceolos cum vino, & aqua, boccale, & manutergium. Quæ omnia electus tanget ambabus manibus, ordinatore dicente: *Vide hujusmodi miniſterium &c.* deinde ſucceſſive etiam cum mitra ordinator dicit: *Oremus Deum patrem, Dominum noſtrum, &c.* Tum depoſita mitra dicit: *Oremus, flectamus genua, levate.* Et interim etiam electus ſurgit ſine mitra, & ordinator proſequitur: *Domine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus &c.* qua finita oratione, electus ſedet ſine mitra, & ordinator accepta mitra imponit amictum ſuper caput electi, dicens: *Accipe amictum &c.* qui mox reaſſumit mitram, & Ordinator imponit illi manipulum in brachio ſiniſtro, dicens: *Accipe manipulum &c.* tum ſurgit electus: extrahitur ſibi mitra & pluviale, & ordinator induit eum tunicella, dicens: *Induat te Dominus veſte &c.* Sedet deinde electus cum mitra, & ordinator tradit illi librum Epiſtolarum, dicens: *Accipe librum epiſtolarum &c.* Finita ordinatione, Subdiaconatus, ſi electus non vult ulterius procedere, reaſſumit pluviale, & finitur miſſa more conſueto. Si vero placuerit ad Diaconatum procedere, ordinator apud Altare in ſuo faldiſtorio proſequitur collectam diei cum oratione pro ordinando ſub eodem *Per Dominum*, & dicetur epiſtola ſuo ordine. Qua finita, ſi electus ante electionem erat Subdiaconus, paretur in principio, ſicut diximus, addito manipulo, & finita epiſtola, procubat in faldiſtorio, & fiet litania, ut diximus. Si autem tunc ordinatus eſt, finita epiſtola ſurgat, & deponat tunicellam, & iterum ſedeat

cum

eum mitra & pluviali a collo, ordinator autem ad eum accedit, & ſtans cum mitra, dimiſſis aliis rebus, dicit: *Oremus, dilectiſſimi, Deum patrem omnipotentem &c.* & cum pervenerit ad, *per omnia ſecula*, in præfatione, deponit mitram, & proſequitur præfationem usque ad eum locum, ubi dicitur: *Et quæ ſunt agenda concedere*, tunc electo ſine mitra ſedenti imponet ipſe ſolus dextram manum ſuper caput, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur &c.* Deinde proſequitur præfationem usque in finem, tunc depoſito pluviali & mitra ab aſsiſtentibus electo ſtanti ordinator cum mitra ponit illi ſtolam ſuper humerum ſiniſtrum, dicens: *Accipe ſtolam candidam &c.* Deinde induit eum dalmatica, dicens: *Induat te Dominus &c.* & mox tradit illi ſedenti Evangeliorum librum, dicens: *Accipe poteſtatem &c.* Quo facto, electo ſine mitra ſurgente, ordinator depoſita mitra verſus ad Altare dicit: *Oremus;* & miniſtri: *Flectamus genua &c.* Et ipſe proſequitur verſus ad electum: *Exaudi Domine &c. Et Domine Sancte Pater &c.* His completis, ſi noluerit ad ulteriora procedere, miſſa ſuo ordine finitur. Si autem ad PRESBYTERATUM tunc erit promovendus: ordinator revertetur ad ſuum faldiſtorium, & leget graduale, & Alleluja ſive tractum: & poſtea procedet ad ordinem ſacerdotalem, ut ſequitur. Quod ſi electus erat prius Diaconus, parabuntur omnia, ut ſupra: & ipſi addetur ſtola ſuper levam, in formam Diaconi.

Electus Pontifex in ordine Diaconatus exiſtens cum ad Presbyteratum voluerit ordinari, parabitur, ut ſupra diximus, & in miſſa procedetur usque ad *Alleluja*, ſive tractum excluſive, ut prædictum eſt, & tunc Pontifex electus paratus amictu, alba, cingulo, manipulo, ſtola in modum Diaconi, & pluviali a collo retro pendente, procumbit ſuper faldiſtorium ad letaniam, ſi non eſt facta, & illa, ut præmiſſum eſt, in ſubdiaconatu finita, revertitur ad ſedem ſuam; ordinator vero cum mitra ad electum ſedentem accedens, manus

ambas

ambas ſuper caput electi detectum imponit, nihil dicens. Et idem faciunt omnes Epiſcopi, ſive Presbyteri Cardinales præſentes, accedentes tamen cum reverentia, & detectis capitibus. Deinde ordinator ſtans cum mitra extenta manu ſuper electum ſtantem dicit: *Oremus, dilectiſſimi, Deum Patrem omnipotentem &c.* ut in ordinario. Deinde depoſita mitra: *Oremus;* miniſtri, *Flectamus genua, levate:* & rurſum: *Exaudi nos, quæſumus, Domine.* Et in fine expanſis manibus dicit præfationem: *Per omnia ſecula ſeculorum.* Et uſque in finem. Deinde deponitur pluviale electi, & ordinator accedens cum mitra reflectit orarium electo ante pectus in modum crucis, dicens: *Accipe jugum Domini &c.* & mox imponit illi caſulam ad ſcapulas a parte anteriori pendentem, dicens: *Accipe veſtem ſacerdotalem &c.* Poſthæc, depoſita mitra, ordinator ſupra electum dicit: *Deus ſanctificationum omnium auctor;* & finita oratione genuflexus ad Altare incipit hymnum: *Veni Creator Spiritus;* & ſimiliter electus genuflexus, & dicto primo verſu ſurgit, & alii proſequuntur, ipſe vero ordinator accedit cum mitra ad electum ſedentem cum mitra, & inungit ei ambas manus de oleo ſancto catechumenorum, producens cum pollice ſuo intincto duas lineas a pollice dextræ manus electi ad indicem ſiniſtrum; & a pollice ſiniſtro ad indicem dextrum, & mox palmas, & reliqua intus inungit, dicens: *Conſecrare &c.* manus electi ita perunctæ: una ſuper alteram imponuntur. Tunc ordinator, deterſo aliquantulum digito, cum mica panis, tradit in manus electi calicem cum vino & aqua, & patenam cum hoſtia, quæ omnia electus tangit, ordinatore dicente: *Accipe poteſtatem offerre &c.* Quibus peractis, electus a ſua ſede, & ordinator in ſuo faldiſtorio lavabunt manus cum mica panis & aqua. Deinde legatur Evangelium more ſolito, & liber offeretur oſculandus electo. Tum ordinator dicit: *Dominus vobiſcum;* & offertorium & mox accedet ad electum ſeden-

tem

tem cum mitra: & ipſe ſine mitra accipiat de ejus manibus offertorium intorticia accenſa, panem & vinum, ut eſt moris: & per ſingula oſculatur manum electi offerentis: poſt hæc revertitur ordinatus ad faldiſtorium, & iterum tam ipſe, quam electus, lavant manus: & ſtatim intrant ad Altare. Electus accedit ad cornu Altaris, ubi dicetur Epiſtola, & Presbytero Cardinale miniſtrante & ſerviente de libro ſtans ſine mitra, & voce ſubmiſſa omnia dicit cum ordinatore, & cum ipſo concelebrat ſignando, & etiam verba conſecrationis cum ipſo proferendo: non tamen movet ſe de loco ſuo uſque ad communionem, & proceditur in miſſa in omnibus, ut conſuetum eſt: & pro * ſecreta de die dicitur ſecreta pro ordinato ſub eodem *per Dominum.* Poſteaquam ordinator ſumpſerit ſacram euchariſtiam & partem ſanguinis Chriſti cum particula corporis Chriſti, quæ erat intus, communicet electo ſtanti in ipſo cornu, de corpore & ſanguine Chriſti, & poſtea ambo purificentur cum vino, ut ipſis placuerit. His peractis, electus revertitur ad ſedem ſuam cum mitra, & ordinator cum mitra lavat manus, deinde accedens ad electum, ſtans ſine mitra, dicit ſupra electum ſtantem ſine mitra. *Reſpond. Iam non dicam vos ſervos &c.* Quo finito, ordinator imponit ambas manus ſuper ejus caput, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis &c.* Et mox explicat caſulam, quæ in ſcapulis erat electi, dicens: *Stola innocentiæ induat te Dominus.* Quibus finitis, imponitur mitra electo. Et tam ordinator, quam alii Cardinales & prælati aſſiſtentes, recipiuntur ad oſculum manus, pedis, & oris electi: poſt hæc ordinator redibit ad Altare, & perficiet miſſam cum oratione pro ordinato, & dicto: *Ite miſſa eſt,* vel *Benedicamus Domino,* electus crucem ante ſe habens, ſtans ſine mitra in medio Altaris, benedicet omnibus, dicendo: *Sit nomen Domini benedictum &c.* & mox

* VEN. & poſt ſecretam de die.

& mox ordinator accedens verſus electum, tertio genu flexus, cum diſtantia convenienti ter dicit: *Ad multos annos*; & ſolus recipietur ad oſculum oris, & ſic expleta ordinatione, exuet ſe veſtibus ſacris, cum orationibus conſuetis.

Et hic modus de benedictione & ad multos annos ſervatur, etiamſi ordines acciperet in pluribus diebus ſigillatim. Si electus nullum haberet ordinem, hæc ordinatio condecenter fieri poterit die ſabbati, præcedente diem dominicum conſecrationis Epiſcopalis. Quod ſi forte electus in Papam eſſet merus laicus, (*nam & laicus eligi poteſt, dummodo ſit Chriſtiánus & Catholicus*) accipiet primam tonſuram & minores ordines, ut alii inferiores, niſi quod erit indutus cum rocheto & manto poſt collum, & mitra. Et in ſuo faldiſtorio recipiet inſtrumenta ordinum, & habitum, & non dicuntur monitiones, ſive exhortationes, ſed a ſubſtantialibus incipitur.

Epiſcopalis conſecratio electi in Romanum Pontificem, ſi prius non erat Epiſcopus, fieri debet, ſecundum majorum noſtrorum conſtitutiones, eadem die, qua benedicitur, & coronatur. Sed quoniam noſtris temporibus brevitatis ſtudio alio die facta eſt: ut in perſona felicis recordationis SIXTI Papæ IV. qui cum fuit electus, Presbyter tantum erat: primo ponemus ordinem ipſius conſecrationis Epiſcopalis ſine benedictione & coronatione: deinde conſecrationem cum benedictione & coronatione.

CAPUT II.

Quomodo conſecretur in Epiſcopum.

SI igitur electo placet, conſecrari ante ſolemnia coronationis, & privatim hoc poterit fieri, quando ei placebit: ſed convenientius die dominico, vel feſtivo, & fiet hoc modo: Die ſtatuto & in loco ipſi electo commodo, tam conſecrator, quam electus, parabuntur omnibus paramentis Pontificalibus cum Pſalmis: *Quam dilecta*, & aliis orationibus conſuetis.

Electus

electus chirothecas & annulum tantum non accipiet: alia autem omnia. Aſſiſtunt ad minus duo vel tres Diaconi, & unus Presbyter Cardinalis, & cum ipſo conſecratore, ſi eſt Epiſcopus Cardinalis, ut decet, duo alii Epiſcopi Cardinales, aliqui Subdiaconi & acoluthi Apoſtolici, & Prælati domeſtici omnes, cum paramentis ſibi convenientibus. De Prælatis tamen paratis præter Cardinales, non eſt neceſſarium, ſed fiet ex ſententia Pontificis: parentur duæ credentiæ, una pro electo, & altera pro conſecrante, & unum Altare tantum. Pro electo paretur ſedes ornata in loco competenti, & faldiſtorium Altare: pro conſecrante faldiſtorium conſuetum in cornu Epiſtolæ, pro aliis ſcabella conſueta. In credentiis parentur opportuna ad conſecrationem, & ad celebrationem Miſſæ, candelabraque cum luminaribus opportunis in Altari, & credentia. Paratis omnibus rebus, electus accedat ad Altare, & depoſita mitra, procumbat ſuper faldiſtorium. Orabit & ſurget, & remoto faldiſtorio, faciet confeſſionem cum conſecratore a ſiniſtra ſibi aſſiſtente. Finita confeſſione electus cum mitra revertetur ad ſedem ſuam. Conſecrator accedet ad Altare, oſculabitur, incenſabit, ſi placuerit, more ſolito, & reverſus ad ſuum faldiſtorium, leget Introitum, & *Kirieeleyſon,* & alia uſque ad *Alleluja,* ſive ultimum verſum tractus excluſive, & cum oratione diei dicitur oratio pro electo, ut ſupra. Idem faciet electus in ſua ſede cum ſuis aſſiſtentibus verſus ad Altare.

His dictis electus procumbet cum mitra in faldiſtorio ante Altare, conſecrator ab ejus ſiniſtris ſuper aliquo ſcabello, alii autem in ſuis ſcabellis, & per unum ex Subdiaconis fit litania: nam examinatio antiqua ſanctorum patrum, & alia præcedentia omittuntur. Cum ventum erit ad locum, ubi dicitur, *Vt hunc electum,* ſurgit deinde conſecrator, non tamen cum baculo: & verſus ad electum, tertio dicit ſignans, *Ut hunc electum &c.* Et alii omnes Epiſcopi Cardinales cum ſuis

libris procumbentes, tamen erecta aliquantulum facie, idem faciant. Finita Litania ſurgunt omnes, & electus revertitur ad ſedem ſuam, & ſedet cum mitra. Conſecrator venit ante eum, & aliis prætermiſſis ſtans cum mitra, ſimul eum adjuvantibus Epiſcopis Cardinalibus, imponit librum Evangeliorum ſupra cervicem electi, ſine mitra ſedentis: nam tunc mitra ei abſtrahitur, quam duo Diaconi retinent usque in finem: & conſecrator atque aſſiſtentes Epiſcopi ponunt ambas manus ſuper caput electi, dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum*, quod tamen conſecrator alte dicit, alii ſubmiſſe, ut alia omnia. Si aderunt alii Epiſcopi parati, poterunt & ipſi manus imponere, & omnia legere, ut Cardinales aſſiſtentes. Deinde ſurgit electus, & Diaconi aſſiſtentes retinent librum ſuper illius ſpatulis; conſecrator autem ſine mitra dicit, ſuper eam orationem: *Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu gratiæ ſacerdotalis benedictionis tuæ, in eum infunde virtutem, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, filium tuum: qui vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.* Deinde voce mediocri extenſis manibus ante pectus dicat hanc præfationem: *Per omnia ſecula ſeculorum.* Reſpond. *Amen. Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum Spiritu tuo. Surſum corda.* Reſpond. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Reſpond. *Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honor omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacris famulantur ordinibus. Deus, qui per Moyſen famulum tuum, ſecreti familiaris affatu inter cætera cæleſtis documenta cultitiæ, de habitu quoque indumenti ſacerdotalis inſtituens, electum Aaron myſtico amictu veſtiri inter ſacra juſſiſti, ut intelligentiæ ſenſum de exemplis priorum caperet ſecutura poſteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeſſet ætati: Cum & apud veteres reverentiam ipſam ſanctificationum ſpecies obti-*

neret;

veret: & apud nos certiora eſſent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum, illius namque ſacerdotii anterioris habitus noſtræ mentis ornatus eſt: & Pontificalem gloriam jam non nobis honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum. Quia & illa, quæ tunc Cardinalibus blandiebantur obtutibus, ea potius, quæ in ipſis erant intelligenda, poſcebant, & idcirco huic famulo tuo, N. quem Apoſtolicæ ſedis præſulem, & primatem omnium, qui in orbe terrarum ſunt, ſacerdotum, & univerſalis Eccleſiæ doctorem dediſti, atque ad ſummum ſacerdotii miniſterium elegiſti: hanc quæſumus Domine gratiam largiaris, ut quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate ſignabant, hoc in ejus moribus, actibusque clareſcat, comple in ſacerdote tuo miniſterii tui ſummam: & ornamentis totius glorificationis inſtructum cæleſtis unguenti rore ſanctifica. Tunc conſecrator genuflexus & ſine mitra verſus ad Altare, incipit hymnum, *Veni creator Spiritus*, & tam electus quam alii genu flectunt eodem modo: finito vero primo verſu, ſurgunt omnes: & chorus proſequitur hymnum. Interim caput electi ſedentis in ſua ſede circumligatur panniculo lineo ſubtili per Diaconum, ne oleum fluat ſuper capillos, ita ut panniculi extremitates retro ſuper cervicem pendeant. Deinde conſecrator accedens ad electum cum mitra & intincto pollice dextræ manus in ſacro Chriſmate, ſtans ungit caput electi ſedentis, formans primum ſignum Crucis, quo coronam totam amplectitur. Deinde ungat reliquum coronæ, dicendo: *Ungatur & conſecretur caput tuum cæleſti benedictione in ordine Pontificali: In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen. Pax tibi, & cum ſpiritu tuo*, & abſterſo aliquantulum pollice, cum mica panis depoſita mitra proſequatur præfationem, incipiens: *Hoc Domine copioſe in caput ejus influat: hoc in oris ſubjecta decurrat: hoc in totius corporis extrema deſcendat, ut tui ſpiritus virtus, & interiora ejus impleat, & exteriora circumtegat; abundet in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas*

pacis: ſint ſpecioſi munere tuo pedes ejus ad evangelizandam pacem, ad evangelizanda bona tua. Da ei, Domine, miniſterium reconciliationis in verbo & in factis, & in virtute ſignorum & prodigiorum: ſit ſermo ejus & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis. Da ei, Domine, claves regni cœlorum, ut utatur, non ut glorietur poteſtate, quam tribuis in ædificationem, non in deſtructionem, quodcunque ligaverit ſuper terram, ſit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolverit in terris, ſit ſolutum & in cœlis, quorum detinuerit peccata, detenta ſint: & quorum demiſerit, tu dimittas. Qui maledixerit ei, ſit ille maledictus: & qui benedixerit, benedictionibus repleatur. Sit fidelis ſervus & prudens, quem conſtituas tu Domine, ſuper familiam tuam, ut det illi cibum in tempore opportuno, & exhibeat omnem hominem perfectum: Sit ſollicitudine non piger, ſit ſpiritu fervens: oderit ſuperbiam: humilitatem ac virtutem diligat, neque eam unquam deſerat, aut laudibus aut tumore ſuperatus. Non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem: non dicat malum bonum, neque bonum malum. Sit ſapientibus & inſipientibus debitor, ut fructum de profectu omnium conſequatur: Tribuas ei, Domine, cathedram Pontificalem ad regendam Eccleſiam, & plebem tuæ ſortis intra mundi limites univerſi. Sis ei auctoritas, ſis ei poteſtas, ſis ei ſecuritas: multiplica ſuper eum bene✠dictionem & gratiam tuam, ut ad exorandam ſemper miſericordiam tuam, tuo munere idoneus, & tua gratia poſſit eſſe devotus: per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, filium tuum: qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Reſpond *Amen.* Poſt hæc conſecrator inchoat, ſchola proſequente, Antiphonam. *Unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus, mandavit Dominus benedictionem in ſeculum* Pſalmus: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus, ſicut ros Hermon,*

Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſeculum. Gloria Patri & Filio. Sicut erat &c. Deinde repetatur Antiphona, *Unguentum in capite.* Interim imponitur mappula ad collum electi ſedentis, ſupra quam imponit poſtea manus, & conſecrator inungit illi manus cum ſacro chriſmate, ut fit & aliis Epiſcopis, dicens: *Unguantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, & chriſmate ſanctificationis, ſicut unxit Samuel David Regem & Prophetam, ita unguantur & confirmentur in nomine Dei Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ facientes imaginem Sanctæ Crucis Salvatoris noſtri, quæ nos a morte redemit, & ad regna cælorum perduxit. Exaudi nos, pie pater, omnipotens, æterne Deus, ut quod te rogamus, exoremus, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.* Oremus: *Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te ad Pontificatus ſublimari voluit dignitatem, ipſe, qui per Samuelem David in Regem, & Prophetam inunxit: te noſtro miniſterio chriſmate & myſtica delibutionis liquore perfundat, & ſpiritualis bene-✠dictionis ubertate fœcundet: ut quicquid benedixeris, benedicatur: & quicquid ſanctificaveris, ſanctificetur, & conſecratæ manus iſtæ, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.*

Electus manus inunctas ſimul junctas in mappula pendenti a collo reponit: baculus non datur: ſed mox conſecrator depoſita mitra benedicit annulum precioſum imponendo electo, dicens: *Creator & Conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, largitor æternæ ſalutis: tu Domine, emitte tuam bene✠dictionem ſuper hunc annulum: ut quicunque hoc ſacroſancto fidei ſigno inſignitus inceſſerit in virtute cæleſtis defenſionis, ad æternam ſibi proficiat ſalutem: per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.* Electus etiam ſurgit, dum dicitur oratio, annulum ipſum interea tenet manu dextra aliquis acoluthus ante conſecratorem genuflexus, conſecrator dicta oratione aſpergit annulum aqua benedicta: & illum imponit in digito annulari dextræ manus electi ſedentis, dicens: *Accipe*

annulum fidei, ſcilicet ſignaculum, quatenus ſponſam Dei, Sanctam videlicet Eccleſiam, intemerata fide ornatus, illibate cuſtodias, Amen. Et dum imponit, oſculatur manum electi: deinde, adjuvantibus Epiſcopis aſſiſtentibus, librum Evangeliorum ab ejus ſpatulis removens dat ad manus electi ſedentis, dicens: *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commiſſo, potens eſt enim Deus augere tibi gratiam ſuam. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia ſecula ſeculorum, Amen.* His peractis, conſecrator redit ad ſuum faldiſtorium: & lavat manus, electo autem ſedenti in ſua ſede Diaconus Cardinalis tergit caput cum medulla panis diligenter, & cum panno mundo; deinde cum pectine mundat, & componit capillos, & imponit illi mitram, & tunc electus lavat manus cum mica panis, & bene mundat. Quibus finitis, tam conſecrator, quam alii omnes Cardinales præſentes oſculantur pedes, manum, & os Domini electi: alii autem Prælati parati, pedem & manum, alii inferiores pedem tantum. Et mox conſecrator proſequitur miſſam usque ad lectum offertorium. Et idem facit electus Pontifex in ſua ſede ſtans. Dicto offertorio conſecrator accedit electum ſine mitra; & de ejus manu accipit offertorium, Intorticia, panes & vini vaſa duo, & ad unumquodque iſtorum oſculatur manum electi. Tunc revertitur ad ſuum faldiſtorium, & lavat manus, tam ipſe, quam electus, & intrat ad Altare, & ſimiliter D. electus accedit ad Altare, & ponit ſe ad cornu Epiſtolæ, Presbytero Cardinale miniſtrante librum, & ibi ſine mitra ſimul cum conſecratore celebrabit ſignando, & omnia dicendo ſubmiſſa voce, ut conſecrator: non tamen ſe loco movebit usque ad communionem, quam ſumet ſub utraque ſpecie, ſtans in ipſo cornu aliquantulum procedens inclinatus. Finita miſſa non imponuntur chirothecæ, neque mitra, quam habet cum illis benedictionibus conſuetis, neque intronizatur electus, ſed ſtans in medio Altaris ſine

mitra,

mitra, habens ante ſe crucem, populum benedicit, dicens: *Sit nomen Domini benedictum*. Et reſumpta mitra vadit ad ſedem ſuam, & ſedet, & tunc conſecrator accedit verſus Dominum electum, & tertiò genu flectens, dicit: *Ad multos annos*, ut dictum eſt in Presbytero. Et omnes deinde exuunt ſe ſacris veſtibus cum orationibus conſuetis.

CAPUT III.

Conſecratio, Benedictio, & Coronatio ſimul Romani Pontificis.

QUod ſi electus in Romanum Pontificem, voluerit eadem die conſecrari Epiſcopus, benedici, & coronari. Et a ſuperioribus Pontificibus plerumque ſervatum eſt, ita procedendum erit. Sed eadem ſervantur etiam in electo, qui prius erat Epiſcopus benedicendo, & coronando usque ad ſequens capitulum, ubi incipit: *Cantores*. Primo ordinabuntur omnia ad hujusmodi ſolemnitatem opportuna; infra ſcripta etiam ſervantur in coronatione, & conſecratione Epiſcopali, convenienti tempore, quæ ex lectione hujus ordinationis facile colligi poterunt: & tandem conſtituto die Dominico, Pontifex e cubili ſummo mane ad cameram paramenti, quam *Papagalli* appellant, ingreditur, ibi a Diaconis Cardinalibus, Subdiaconis, Acoluthis & aliis Officialibus conſuetis paratur amictu, alba, & longo cingulo, ſtola, pluviali rubeo, & mitra precioſa. Cardinales alii circumſiſtunt, & omnes Prælati & Officiales cum ſuis cappis laneis. Sic electus Pontifex paratus cruce præcedente progreditur ad Sanctum Petrum, ordine alias conſueto, Diaconis Cardinalibus hinc & inde fimbriam pluvialis ſuſtinentibus. Caudam autem pluvialis portabit nobilior laicus, qui erit in curia, *etiamſi eſſet Imperator, vel Rex*, ſupra eum octo nobiles ſive Oratores portant umbraculum, haſtibus octo ſuſtentatum, quod hodie

die *baldachinum* appellant. Ante eum duo ſervientes armorum portant faldiſtorium cum magno cuſſino. Ferrerius tapetum, & parvum ſcabellum, & cuſſinum.

Cum Papa electus pervenerit ad portam ultimam palatii, quæ eſt in capite porticus Eccleſiæ Sancti Petri, in palatio apud portam extenditur tapetum, ponitur faldiſtorium, & ſuper illud cuſſinum magnum, & ad pedes parvum ſcabellum: & ſedens ibi electus recipit ad oſculum pedis Canonicos, & Capitulum baſilicæ Sancti Petri, deinde ſurgens intrat Eccleſiam per portam, quæ eſt in medio: & progreſſus uſque ad ſecundum circulum porphyreticum, detracta mitra orat verſus ad Altare ſupra faldiſtorium, a ſupradictis ibi paratum: & tunc ſupra ſcabellum parvum ponitur parvus cuſſinus. Facta oratione ſurgit: reaſſumit mitram, & pergit ad Capellam Sancti Gregorii, quæ dicitur Capella Sancti Andreæ, & ſedens in ſede ſibi parata, recipit omnes Cardinales, & alios Prælatos cum ſuis cappis ad reverentiam. Cardinales ad manus ſub auriphrygio, Prælatos ad pedis oſculum. Tunc ſurgens ſine mitra aſtanti cruce populo benedicit, dicens: *Sit nomen Domini &c.* Subdiaconus dicturus Epiſtolam, depoſita cruce, poſt benedictionem capit omnia ſua paramenta: & ſimul cum eo Acoluthi exuunt cappas, & induunt ſuperpellicia ſuper rochetum, ad partem ſe retrahentes: ſedet deinde electus aliquantulum cum mitra: & iterum ſurgens ſine mitra verſus ad Altare, ſub ſilentio dicit: *Pater noſter &c.* Tum alte incipit pro tertia: *Deus in adjutorium &c.* & ſic ſtat quouſque incipiatur Pſalmus: *Legem pone.* Inde ſedet cum mitra, & aſſiſtentibus Epiſcopis cum libro, ac juvantibus hinc inde Diaconis, ut moris eſt, incipit Pſalmum: *Quam dilecta.* Interim Subdiaconus Apoſtolicus lecturus Epiſtolam, ut diximus, paratus omnibus ſuis paramentis ex Altari ſubminiſtrante Sacriſta, accipit ſandalia, quæ reverenter portantur ad electum, ſequentibus illum Acoluthis

cum

cum ſuperpelliciis, & ea ſimul cum cubiculario cameræ, imponit pedibus ſuæ Sanctitatis, Acoluthis, circumcirca fimbrias pluvialis elevantibus ſupra illorum capita. Impoſitis ſandaliis, Diaconus lecturus Evangelium, cum duobus aliis Diaconis, qui aſſiſtent Papæ, capiunt paramenta ſua, ille amictum, albam, cingulum, ſtolam, dalmaticam, manipulum vero poſtea capiet in Altari. Alii vero duo capient amictum, & dalmaticas tantum. Induti reverenter ſimul ad electum accedent, qui finitis Pſalmis, cum dicitur capitulum pro tertia, ſurgit cum mitra, & finitis verſiculis depoſita mitra, & aſtantibus duobus ceroferariis, dicit: *Dominus vobiſcum*, & orationem pro tertia, librum prior Epiſcoporum Cardinalium, qui ei aſſiſtere debet, ſuſtinet ſupra caput, Epiſcopi vero aſſiſtentes juvant, & tenent candelam accenſam, dicto: *Dominus vobiſcum*; poſt orationem liber removetur, ceroferarii diſcedunt, & dicto a cantoribus: *Benedicamus Domino*; Papa ſedet cum mitra, & lavat manus Epiſcopo Cardinali adjuvante, & reliqua, ut alias lotis manibus. Epiſcopus Cardinalis redit ad locum ſuum, & Papa deponit mitram, pluviale, & ſtolam: & Diacono lecturo Evangelium ante ſe ſtante induitur conſuetis paramentis, quæ per acoluthos hoc ordine portantur ex Altari, & ipſi Diacono porriguntur, duo Diaconi aſſiſtentes, & poſt eos duo Subdiaconi adjuvant veſtientem. Primum portatur cingulum cum ſuccinctorio, Crux poſtoralis, dein ſtola, tunicella, dalmatica, chirothecæ, planeta, mitra auri phrygiata, annulus autem non datur, ſi non eſt conſecratus Epiſcopus, quem, ſi eſſet conſecratus, Cardinalis Epiſcopus aſſiſtens imponeret. In conſecrationibus utuntur hodiernis temporibus albis paramentis, quamvis antiqui ſecundum temporis exigentiam, colore uterentur. Sed conveniens eſt, ut utamur ſecundum quod exigit miſſa, quæ celebratur. In proceſſione autem erunt omnino albi coloris. Cum electus Papa incipit parari, Cardinales, & omnes Prælati, atque officiales parantur. Epiſcopi

Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates pluvialibus, & albis mitris: Presbyteri Cardinales planetis, & mitris ſimilibus. Diaconi Cardinales dalmaticis & mitris albis, Subdiaconi omnes tunicellis. Auditores & Clerici cameræ, ſuperpelliciis ſupra rocheta. Secretarii & Advocati ſuper veſtes communes habeant pluviale cum apertura ſuper humerum dextrum, & Almucia ſuper ſiniſtrum, alii, ut alias.

CONSECRATIO ROMANI PONTIFICIS, ſecundum antiquas patrum conſtitutiones, ſpectare ſolebat ad EPISCOPUM HOSTIENSEM, qui etiam pallio in ea conſecratione utebatur, aſſiſtebant & PORTUENSIS & ALBANENSIS EPISCOPI, & hi tres in benedictione Pontificis, quando alias eſſet conſecratus, tres ſpeciales orationes ſuper eum dicebant. Idem agebant in *coronatione* ROMANI IMPERATORIS: Sed (ut arbitror) ad tollendas contentiones jam pridem introductum eſt, ut prior Epiſcoporum Cardinalium cum duobus ex ſenioribus Epiſcopis id munus obire debeant, & in Pontifice, & in Cæſare. Sicque noſtris temporibus ſervari videmus, ut non habeatur ratio Eccleſiarum, ſed prioritatis Epiſcopalis. Conſecratio noſtris temporibus non accidit, niſi in SIXTO IV. quæ tunc fuit facta ſecrete, & per Dominum *Rothomagenſem*, qui erat Epiſcopus *Hoſtienſis*, & non *Prior*, ſed non publicum. Prior igitur Epiſcoporum Cardinalium, ſive alius, quisquis ille ſit, qui electum Pontificem eſt conſecraturus, procedat ad Altare majus Sancti Petri, ibique ad partem capiat ſandalia, & paramenta omnia Pontificalia, acſi celebraturus eſſet, cum Pſalmis & orationibus conſuetis: ibique expectet Pontificem. Interim Pontifici aſſiſtet Subprior Epiſcoporum Cardinalium. Paratis omnibus ordinibus, Pontifex in cenſum mittet in thuribulo, & prior Diaconorum cum ferula proceſſionem ad Altare majus ordinabit, hoc modo: Familiares Papæ, minores nobiles, cubicularii, nobiles majores & Barones, conſervatores

tores & oratores laici, & non Prælati, Secretarii & Advocati mixtim, ita ut duo antiquiores ex utroque ordine ſint in digniori loco: Acoluti, Clerici cameræ, Auditores, Acoluthus thuriferarius, Acoluthi ceroferarii: qui ſeptem numero eſſe deberent: Subdiaconus cum cruce Papali, & aliis Subdiaconis, Subdiaconi duo latini, & græcus cum libris Evangeliorum, Diaconus Græcus. Et nota, quod pro Epiſtola & Evangelio in Lingua Græca ſolebant vocari in hac celebritate monachi ex monaſterio *Cryptæ ferratæ*. Deinde Abbates forenſes, Epiſcopi, Archiepiſcopi, oratores, prælati, Abbates urbis, qui in hoc die ſunt privilegiati, Epiſcopi aſſiſtentes Papæ, Patriarchæ, Diaconi, Presbyteri & Epiſcopi Cardinales. Diaconi duo aſſiſtentes, & inter eos medius Diaconus lecturus Evangelium: demum ipſe Pontifex, qui pedibus ſuis incedet, ipſi Diaconi aſſiſtentes fimbrias pluvialis portabunt, *& major princeps caudam*, octo nobiles, ſeu oratores, baldachinum ſupra ejus caput ferent. Deinde ſequetur auditor, qui mitram miniſtrat, medius inter duos cubiculares ſecretos, & inter eos eſt Secretarius Papæ, ſi non eſt Prælatus. Deinde Protonotarii & curiales Clerici non parati. Ante Pontificem immediate miniſter cerimoniarum præcedit cum duabus arundinibus ſuper alteram ſtuppam, ſuper alteram vero candelam ardentem portans. Et cum Pontifex capellam Sancti Gregorii exierit, Cerimoniarius ad eum converſus, ignem ſtuppæ mittit, & genuflexus, alta voce dicit: *Pater Sancte, ſic tranſit gloria mundi*, quod tertiò facit diſtincto æquali ſpacio, antequam perveniunt ad portam capellæ. Procedunt deinde omnes per navim ipſius capellæ Sancti Gregorii, ubi ſepulchra ſunt Romanorum Pontificum: & cum illam exierint, flectunt ad dextram: & per portam, quæ eſt ante Altare, ingrediuntur capellam, & aſcendunt etiam ad dextram, antequam Papa cancellos capellæ intret: tres ultimi Presbyteri Cardinales veniunt ei obviam, & oſculantur os & pectus Pontificis, a ſeniori incipientes:

entes: deinde ante Diaconos aſſiſtentes procedunt. Cum autem perventum fuerit ad Altare, Pontifex, depoſita mitra, facit orationem ſuper faldiſtorium, deinde ſurgens, remoto faldiſtorio, facit confeſſionem more ſolito, ſtans hoc ordine: A Pontificis dextra ſtat Epiſcopus Cardinalis, Conſecrator, vel aſſiſtens, ſi non eſt Conſecrator, & poſt eum Diaconus Cardinalis aſſiſtens: a ſiniſtris ſtat Diaconus Cardinalis, lecturus Evangelium, & poſt eum Diaconus Cardinalis aſſiſtens: poſt quem genuflexus manet Subdiaconus Latinus cum libro Evangeliorum, & manipulo Pontificis, quem illi imponit dicto Indulgentiam &c. Interim cantores cantant introitum miſſæ & Kyrieeleiſon. Et hæc quidem ſupradicta circa deſcenſum ex palatio ad Eccleſiam, & quæ in capella Sancti Gregorii, & uſque ad factam confeſſionem ſuperius dicta ſunt, præterquam de parando conſecrante, ſervantur etiam quando electus Epiſcopus non eſt conſecrandus, ſed benedicendus, & coronandus tantum. Nunc de ipſa conſecratione ſubjungemus.

Hoc totum Caput prætermittitur, ſi Papa erat prius Epiſcopus conſecratus, in eo namque conſecratio Epiſcopalis continetur.

Cantores, ut finierint *Kyrieeleiſon*, quieſcent. Electus procumbet ſuper faldiſtorium ante Altare, ad ejus dextram conſecrator, & ad ſiniſtram Diaconus Evangelii ſuper ſcabella Diaconi aſſiſtentes, poſt Pontificem duo Epiſcopi Cardinales ſeniores hinc inde ſuper ſcabella, alii omnes, ut commodum erit, genuflexi procumbent omnes cum mitris in capite: & Diaconus Evangelii incipiet ſine mitra Litaniam: & omnes reſpondent replicando. Cum perventum fuerit ad locum, ubi dicitur, *Ut hunc electum:* & etiam tertiò dicitur ab eodem Diacono, & tam conſecrator quam omnes alii in Epiſcopali dignitate conſtituti præſentes, & parati erecto capite, & extenſa dextra, non tamen moventes ſe de locis ſuis, benedicunt

cunt conſecrandum tertiò, ut in ordinario. Finita litania omnes ſurgunt, & conſecrator ſtat ad infimum gradum Papalis ſedis, vertens faciem ad Altare, medius inter duos ſeniores Epiſcopos Cardinales: qui etiam ſtolam habere debent, & librum. Electus Pontifex ante eum ſtabit medius inter aſſiſtentes Diaconos, vertens faciem ſuam ad faciem conſecrantis. Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, qui aderunt parati cum ſuis libris, omnes accedent, & circulum facient, & omnia cum conſecratore dicent, voce tamen ſubmiſſa, depoſitis mitris, & omnibus ſtantibus. Epiſcopus Cardinalis a ſiniſtris ſuper Pontificem dicit hanc orationem: *Oremus: adeſto ſupplicationibus noſtris, omnipotens Deus, ut quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis compleatur effectu.* Deinde Epiſcopus conſecrator dicit orationem cum nota: *Oremus: Propitiare quæſumus Domine ſupplicationibus noſtris: & inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu ſacerdotalis gratiæ, benedictionis tuæ infunde in eum virtutem, per Dominum noſtrum &c.* qua finita usque *in unitate Spiritus Sancti Deus*, ponit librum Evangeliorum apertum inter cervicem, & ſpatulas electi: quem Diaconi Cardinales retinent usque ad finem: & tàm conſecrator quam alii duo Epiſcopi Cardinales ponunt primo manus ſuper ejus caput nihil dicentes, & ſimiliter faciunt omnes præſentes parati in Epiſcopatus ordine conſtituti. Conſecrator autem extenſis manibus dicit præfationem conſuetam, *Per omnia ſecula ſeculorum &c.* Honor omnium dignitatum, ut ſupra notavimus, quum electus Papa conſecratur alio die, quam iſto. Et ungit electi caput, deinde manus. Tùm imponit ei annulum, & demum dat ei librum Evangeliorum, & tandem ambo lavantur, & mundantur, ut diximus, plene in eodem loco. Pontifex ſedet in faldiſtorio ſibi parato in plano inter ſedem eminentem, & Altare, dum lavat conſecrator in alio loco ſibi commodo, & lotus deponit paramenta Pontificalia, & cum pluviali ac mitra

aſſiſtit, ut prius. His finitis, non dicuntur illæ tres orationes, quæ dici ſolent, quando electus non conſecratur, quia erat Epiſcopus. Sed mox mundatis manibus & capite, ducitur ante Altare, & de manu Prioris Diaconorum accipit pallium, de corpore & Altari Beati Petri ſumptum, ut inferius dicemus. Et quidem omnia ab eo loco, ubi incipit. Cantores, ut finierint *Kyrieeleiſon,* quieſcant, & dimittuntur, ſi electus erat prius conſecratus Epiſcopus.

Si electus Pontifex jam Epiſcopus eſt, tantum benedicendus, & coronandus hac die, hoc modo proceditur.

Servatis omnibus, quæ ſupra diximus, vſque ad cantatum introitum, & *Kyrieeleiſon,* Papa facta confeſſione accipit immediate mitram: & ſedet in ſede, ſine faldiſtorio ſibi parato inter ſedem eminentem & Altare: & tres primi Epiſcopi accedunt ad Pontificem, & faciem ante illius faciem tenentes ſine mitra, illorum junior ſuper Pontificem, ſtantem ſine mitra, ipſe in medio duorum ſtans primam dicit orationem, videlicet: *Deus, qui adeſſe non dedignaris, ubicunque devota mente invocaris: adeſto quæſumus invocationibus noſtris, & huic famulo tuo, N. quem ad culmen apoſtolicum judicium tuæ plebis elegiſti: ubertatem ſupernæ benedictionis infunde, ut ſentiat ſe tuo munere ad hunc apicem perveniſſe.* Secundam dicit immediate ſecundus Epiſcopus Cardinalis, ſtans & ipſe in medio, videlicet: *Supplicationibus noſtris, omnipotens Deus, effectum conſuetæ pietatis impende: & gratia Spiritus Sancti famulum tuum, N. perfunde: ut qui in capite Eccleſiarum noſtræ ſervitutis miniſterio conſtituitur: tuæ virtutis ſoliditate roboretur.* Et tertiam, antiquior, id eſt, Prior Epiſcoporum Cardinalium, in eodem loco ſtans, videlicet: *Deus, qui Apoſtolum tuum Petrum inter cæteros Apoſtolos primatum tenere voluiſti: eique univerſæ Chriſtianitatis molem ſuper humeros impoſuiſti, reſpice quæſumus propitius hunc famulum tuum, N. quem de humili Cathedra violenter ſublimatum in thronum ejuſdem Apoſtolorum principis ſublimamus: ut, ſicut profe-*

ctibus

ctibus tantæ dignitatis augetur, ita virtutum meritis cumuletur: quatenus Eccleſiaſticæ univerſitatis onus te adjuvante digne ferat. Et a te, qui es beatitudo tuorum, vicem meritam recipiat: per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Dictis orationibus, Papa etiam ſine mitra accedit ad Altare, & prior Diaconorum, ſecundo adjuvante, capit pallium de Altari, & imponit Pontifici, & ſolus dicit: *Accipe pallium ſanctum, plenitudinem Pontificalis officii, ad honorem omnipotentis Dei, glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, ejus matris, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.* Et firmat cum ſpinulis.

Accepto pallio Pontifex accedit ad Altare ſine mitra: illud oſculatur primum, & deinde librum Evangeliorum, quem Subdiaconus a ſiniſtra parte offert, imponit incenſum, thuribulo, Diacono Evangelii offerente naviculam, incenſat Altare more ſolito, & accepta mitra in cornu Altaris ſtans, a Diacono incenſatur, & non recipit Diaconus tunc oſculum, ut alias, ſed aſcendit ad Cathedram eminentem, ſedens recipit ad reverentiam Cardinales & Prælatos omnes paratos. Cardinales ad oſculum pedis, manus & oris, alios paratos ad oſculum pedis & manus. Finita reverentia ſurget Papa ſine mitra, & legit introitum & *Kirieeleiſon*, ſuſtinente librum Cardinali Epiſcopo, cum aliis aſſiſtentibus. Deinde in voce dicit: *Gloria in excelſis Deo; Pax vobis*, & orationes opportunas, videlicet de die, de Spiritu Sancto: & ultimo dicit ſecrete orationem pro ſe, quæ habetur in conſecratione Epiſcoporum.

Dictis orationibus, ſedet Pontifex, & Prior Diaconorum cum ferula deſcendit ad confeſſionem beati Petri cum Subdiaconis, Auditoribus, Scriniariis, id eſt, Secretariis, & Advocatis: quibus in duas acies diſtributis, ita ut in qualibet acie ſint ex omnium ordine, faciunt laudes Pontifici, ſtantes capitibus detectis, Papa & omnibus aliis ſedentibus in locis ſuis. Prior

Diaco-

Diaconorum incipit ſolus alta voce, quaſi legendo: *Exaudi Chriſte.* Subdiaconi, auditores, ſcriniarii & advocati reſpondent: *Domino noſtro Innocentio, * a Deo decreto Summo Pontifici, & univerſali Papæ, vita.* Et ſic tertiò dicitur per Priorem, & totiens per illos quoque reſpondetur. Subſequenter idem prior Diaconorum dicit: *Salvator mundi.* Et illi reſpondebunt: *Tu illum adjuva.* Et ſic ter dicetur, & ter reſpondetur. Deinde idem prior dicit: *Sancta Maria:* & illi reſpondebunt: *Tu illum adjuva.* Et bis dicetur, & bis reſpondebitur. Inde prior idem ſubjunget: *Sancte Michael,* & illi reſpondebunt: *Tu illum adjuva.* Et tunc deinceps ſemel dicetur, & ſemel reſpondebitur. Sequitur Prior-

Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael, Tu illum adjuva.
Sancte Joannes Baptiſta,
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Stephane,
Sancte Leo,
Sancte Gregori,
Sancte Benedicte,
Sancte Baſili, Tu illum adjuva.
Sancta Sabba,
Sancta Agnes,
Sancta Cecilia,
Sancta Lucia.

Finitis laudibus dicitur Epiſtola latine, & deinde Græce, & proceditur in miſſa, ut alias, usque ad finem datur benedictio. Sed non publicantur tunc indulgentiæ. Sacris miſ-

ſarum

* Ven. GREGORIO.

ſarum ſolenniis rite peractis, proceditur ad CORONATIONEM. Pontifex, reaſſumptis chirothecis, & annulis, cum omnibus paramentis ſuis, in quibus celebraverat, & cum Cardinalibus, Prælatis & officialibus omnibus, ut in miſſa paratis, procedit ad ſuggeſtum, ſupra gradus baſilicæ Apoſtolorum principis ex materia conſtructum, & ornatum, ibique in ſede eminenti ſibi parata ſedet: & cum omnes Prælati convenerint, & populus ex baſilica in aream exierit: Diaconus a ſiniſtris deponit mitram conſuetam e capite Pontificis, & Diaconus a dextris Tiaram, quod *Regnum* appellant, *&* *triplici corona* ornatum Pontificis capiti imponit, populo acclamante *Kyrieeleiſon.* Et Diaconus a dextris latine, a ſiniſtris vero vulgariter publicant plenarias indulgentias, tum paratur proceſſio ad Lateranum.

Sed quoniam plerumque, antequam hæc completa ſint, hora eſt ſatis tarda, & longa ad Lateranum reſtat via, multaque ibi adhuc ſunt peragenda: conſueverunt aliquando Pontifices, & patres, ſuſtentationis gratia aliquantulum cibi ſumere: paratur refectio in atrio domus Archipresbyteri baſilicæ pro Pontifice & Cardinalibus, pro aliis prælatis in vicinis domibus Canonicorum. Coronato Pontifice veniunt ad refectionem, & interim parantur, quæ ad proceſſionem ſunt opportuna. Sumpta refectione, Pontifex & omnes deſcendunt ad equitandum, & hoc ordine proceditur ad Lateranum. *Primi* incedent Valiſarii Cardinalium ſuo ordine: & deinde eorum familiæ & omnes laici mixtim, ut eis placuerit. Tum per ordinem iſti ſequentur tonſor, & ſartor Papæ cum valiſiis rubeis, in quibus ſunt veſtes, quæ pertinent ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum, familiares & ſcutiferi Papæ, nobiles curiæ minores, & nepotes affinesque dominorum Cardinalium, ſcala Papæ panno rubeo cooperta, quam portat equus albus ductus per unum ex parafrenariis, purpurea veſte indutum. Qui, poſtquam Papa aſcendit equum cum iſta ſcala, vadit in

ordine ſuo, dextra equi habenas, ſiniſtra rubrum ferens baculum. Hunc ſequuntur duodecim curſores Papæ, etiam rubris veſtibus induti, equeſtres portantes duodecim vexilla rubra, bini & bini. Inde tredecim vexilliferi capitum regionum urbis cum ſuis vexillis, cherubin aliquanto majoribus, aliis vexillis, etiam veſtibus rubris, & equeſtres omnes vexilliferi. Tum vexillifer populi Romani cum vexillo, & inſigniis populi Romani. Deinde vexillum album cum cruce nigra, quod portat procurator ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum, vexillum cum armis Papæ, quod aliquis magnus nobilis portat, & demum vexillum ordinis Hieroſolymitani rubrum cum alba cruce, quod procurator ejus portat. Iſti quinque vexilliferi habebunt equos cataphractos, ſive bardatos, & coopertos tela ſericea usque ad talos equorum, cum inſignibus ſuis: ipſi autem erunt armati, ac ſi prælium eſſent ingreſſuri, dempta galea cum lacernis ex tela etiam ſericea cum inſigni, & ſinguli vexilliferi habebunt quatuor pedites cum lacernis bocaſinis, cum inſignibus Dominorum, hunc ordinem vexillorum inveni ſervatum. *Sed mihi non placet:* neque videtur debitus ordo: Nam non honoramus ſignum, nec ſigni figuram, ſed ſignati dignitatem, unde ponimus vexillum civitatis, in qua eſt Pontifex, in principio, ut minus dignum, deinde vexillum ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum, in quo eſt crux nigra in albo. Tum vexillum Papæ, inde vexillum Eccleſiæ, & bene hactenus: demum in loco honorabiliori vexillum ordinis militaris Hieroſolymitani cum alba cruce in rubro: quod mihi videtur præter omnem convenientiam; nam ſignum crucis albæ in rubro non eſt ſignum univerſitatis Chriſtianorum, ſed illius tantum ordinis militaris, ſicut & nigra in albo alterius ordinis eſt ſignum. *Univerſitatis autem Chriſtianæ ſignum eſt crux rubra in albo:* ergo vexillum ordinis Hieroſolymitani non eſt præferendum ſigno Papæ, aut ſigno Eccleſiæ, locus igitur ſuus eſſet poſt vexillum

ordinis

ordinis Teuthonicorum, & non poſt omnes. Si autem adeſſet vexillum cruciatæ, crux rubra in albo, quia eſt univerſale omnium Chriſtianorum, illud jure optimo ponendum eſſet in loco digniori. Poſt vexilla procedunt duodecim equi albi ſine ſeſſoribus, phaleris aureis, inſtratis carmaſinis ornati, quos duodecim parafrenarii ducunt, rubra veſte induti, & baculum rubrum in ſiniſtra portantes; hos ſequuntur quatuor nobiles, pilea quatuor carmaſina ſupra baculos quosdam deferentes, qui ſcutiferi honorarii vocantur Cubicularii, deinde ſequuntur equitantes in ſuo habitu oratores laici, & non Prælati, ſimul cum Baronibus & majoribus Nobilibus. Tum Subdiaconus Apoſtolicus cum cruce Papali, & ſuis Collegiis parati, ut in miſſa, & apud crucem duo Magiſtri oſtiarii cum ſuis virgis, poſt hos duodecim familiares Papæ, rubra veſte induti, portantes duodecim intorticia accenſa ante ſacramentum corporis Chriſti pedites, inde duo familiares ſacriſtæ equeſtres, etiam rubro induti, portantes laternas argenteas, cum lumine ante ſacramentum. Et poſt eos ducitur per familiarem ſacriſtæ, rubro etiam indutum, & baculum in ſiniſtra habentem, equus albus, manſuetus, ornatus, ut illi duodecim, portans ſacramentum, habens ad collum tintinnabulum bene tinniens. Et ſupra portatur baldachinum cum inſignibus Papæ & ſacramento per cives Romanos, qui inter ſe mutantur terdecies, ut unaquæque regio habeat ſuam partem. Poſt ſacramentum equitat immediate ſacriſta, qui, ut cæteri Prælati, habet equum totum coopertum bocaſino, & ipſe & omnes alii parati ſunt, ut in miſſa cum paramentis, & mitris. Sacriſta in manu geſtat album baculum. Sequuntur deinde duo præfecti navales, & in eorum abſentia duo nobiles, induti, ut Advocati & Secretarii præter Almuciam. Eſt poſt eos ipſi Secretarii, & Advocati cum almuciis. Cantores deinde equitant cum ſuperpelliciis. Tum acoluthi, clerici cameræ, & auditores

cum

cum ſuperpelliciis ſupra rochetum. Subdiaconus Græcus, & latinus, & Diaconus Græcus, ut in miſſa. Sequuntur dehinc Prælati cum equis coopertis, & ipſi cum mitra, & pluviali. Abbates forenſes, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Abbates urbis, Epiſcopi aſſiſtentes Papæ, Patriarchæ, Diaconi cum dalmaticis, Presbyteri cum planetis, Epiſcopi Cardinales cum pluvialibus, procedunt duo Diaconi aſſiſtentes Papæ, & inter eos medius Prior Diaconorum, ſi ipſe dixit Evangelium, prior Diaconorum ferulam in manu portare debet, & totam proceſſionem ordinare, & illa ordinata equitare in loco ſuo. Procedit tandem Summus Pontifex ſuper equum album faleratum, coopertum a parte poſteriori ſtragiola carmeſina ſub baldachino, quod octo magni nobiles ſive oratores portant. Cum Papa per ſcalam, quam ſuperius diximus, aſcendit equum, *major Princeps, qui præſens adeſt, etiam ſi REX eſſet aut IMPERATOR, ſtapham equi papalis tenet, & deinde ducit equum per frenum aliquantulum. Si Imperator aut Rex ſoli eſſent, id eſt, non eſſet alius Rex, ſoli equum ducerent cum dextra manu. Sin vero eſſet alius Rex, dignior a dextra, alius a ſiniſtra frenum tenerent. Si non ſint reges, digniores ducant equum. Et poſtquam Imperator, Rex, ſive alius magnus Princeps aliquantulum equum duxerit, ſubſtituantur alii duo magni nobiles eorum loco, & mutentur. Si vero Pontifex, non equo, ſed ſella veheretur, quatuor majores Principes, etiam ſi inter eos Imperator, aut quivis maximus Princeps adeſſet, IN HONOREM SALVATORIS JESU CHRISTI, ſellam ipſam cum Pontifice humeris ſuis portare aliquantulum debent. Sed aderunt etiam quatuor validi Pontificis familiares, qui pondus ſuſtinent: Ita ut Principes ipſi in ſignum piæ religionis, ac reverentiæ magis, quam ad onus ſubeundum manus appoſuiſſe videantur: qui etiam mutabuntur pro hominum & itineris diſpoſitione.* Similiter & octo Nobiles, qui Baldachinum ſuper caput Pontificis ferunt, mutabuntur poſt aliquod ſpacium, & equos ſuos aſcendentes in ordine

ordine ſuo equitabunt, eorum loco nobiles cives Romani uſque ad Lateranum, Baldachinum portabunt, mutabunturque per vices, ſicut de Baldachino Sacramenti diximus. Ante Pontificem conſervatores, capita regionum, & alii magiſtratus, ac nobiles urbis pedites præibunt, & Prætoriani milites cum eis accincti enſibus circiter centum, & baculum in manibus portantes, ad cuſtodiam corporis Pontificis. Circa Pontificem, aliquando ante, aliquando poſt equitabit *Mareſcallus*, ſive *Suldanus* curiæ, cum duobus ſacculis pecuniarum ante ſellam, & ipſas pecunias projiciet ſuper populum ad preſſuram dimovendam, ut infra dicemus. Primum jactum pecuniarum faciet, cum Pontifex incipiet ſe movere: alium apud pontem Hadriani, tum in area apud montem Jordanum: Inde in area Parionis, deinde alium apud Sanctum Marcum, poſtea apud Sanctum Adrianum, & demum ubicunque magnam preſſuram apud Pontificem viderit: & ut facilius poſſit pertranſire, ad partem transverſam jaciat pecunias. Poſt Pontificem immediate ſequuntur duo Cubicularii ſecreti, medium tenentes Auditorem rotæ Decanum, qui ſervit de mitra. Et deinde duo Medici cum Secretario principali in medio, ſi ille non eſt Prælatus. Subſequitur deinde umbella rubri coloris, quam unus ſerviens armorum, præter galeam totus armatus eques portat. Poſtremo equitant Vice-Camerarius, ſi non eſt paratus, & omnes Prælati non parati, Protonotarii, Auditor contradictorum, ſi non ſit paratus, & ſimiliter corrector literarum: qui, ſi ſint parati, equitant in loco promotionis, & omnes togati. Vice-Camerarius baculum in manu portat: & pertinet ad eum curare, ut ordo a priore Diaconorum datus ſervetur in proceſſione. Et ſecundum antiquas conſuetudines, Camerarius Papæ non portat ferulam, ſi eſt Cardinalis, ſed ejus Vicarius, & Vice-Cameratius: quia non ad Cardinalem, ſed ad Camerarium id pertinet. Hoc igitur ordine ad Lateranum procedunt.

Cum Pontifex pervenerit ad montem Jordanum, Judæi illi obviam eunt, genuflexi legem Pontifici offerunt, Lingua Hebraica legem laudantes, & hortantes Pontificem, ut illam veneretur. Pontifex, illis auditis, in hanc ſententiam reſpondet: *Sanctam legem Viri Hebræi, & laudamus & veneramur, utpote ab omnipotenti Deo per manus Moyſi patribus veſtris tradita eſt: obſervantiam vero veſtram, & vanam interpretationem damnamus atque improbamus: quia Salvatorem, quem adhuc fruſtra expectatis, Apoſtolica fides jam pridem adveniſſe docet, & prædicat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum.* Sed quoniam nonnunquam accidit, ut Judæi populi multitudine opprimantur, ſolent aliquando impetrare pro eorum ſecuritate, ut hoc faciant ſuperante murali arcis Sancti Angeli in angulo ad viam, qua itur ad palatium, reſpicienti.

Cum Pontifex ad Eccleſiam Lateranenſem pervenerit, deſcendit in porticum Eccleſiæ, & a Canonicis illius Eccleſiæ, honorifice paratis, excipitur cum cruce. Deſcendit Pontifex ex equo: prior Canonicorum Lateranenſium offert crucem oſculandam Pontifici, quam Diaconus Cardinalis accipit, & ad os Pontificis, cui prius Tiaram extraxit, ponit: oſculata cruce, Pontifici ponitur mitra, & regnum datur in manibus auditoris: ipſe vero Pontifex a Priore, & a Canonicis prædictis ducitur ad marmoream ſedem, ante portam principalem a ſiniſtra ſtantem, quæ Stercoraria appellatur, & ibi eum ſedere faciunt: qui ita tamen ſedet, ut magis jacere videatur, ad quem mox accedentes Cardinales elevant eum honorifice, dicentes: *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore erigit pauperem: ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat.* Surgens Pontifex, accipit de gremio Camerarii ſibi aſſiſtentis, quantum pugno poteſt complecti pecuniarum. Ubi tamen nihil prorſus ſit argenti aut auri, & ſpargit inter populum, dicens:

dicens: *Argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do.* Pons ligneus recta linea, a porta Eccleſiæ principali, ad Altare majus excitatur cum pluteis hinc inde pectoribus tenus, altitudo circiter quinque pedum, latitudo ſex aut ſeptem, qui alteri ponti conjungitur, ſimili modo conſtructo a porta, qua aſcenditur per Eccleſiam ad Sancta Sanctorum venienti, quod fit, ut Pontifex a populi multitudine non opprimatur. Circa Altare a gradibus, & ſupra omnia circumcirca tabulis clauſa eſſe debent, ut per pontem tantum capellam intrent. Præcedentibus igitur Canonicis, & cantantibus: *Te Deum laudamus*, Pontifex cum Cardinalibus intrat Eccleſiam, & ante Altare majus ſupra faldiſtorium procumbens, ſine mitra aliquantum orat. Deinde ſurgens benedicit populo, dicens: *Sit nomen Domini benedictum &c.* Inde cum mitra aſcendens ad ſedem eminentem, ſedens recipit ad oſculum pedis Canonicos Lateranenſes. Deinde Pontifex per ipſum pontem aſcendit ad palatium Lateranum per portam, quæ eſt in Eccleſia. Et cum perventum fuerit in prima aula, quæ aula Concilii appellatur, ſedet Pontifex in ſede ſibi parata apud tabulam lapideam in capite aulæ, quæ dicitur menſura Chriſti. Et hinc inde apud eum ſtant Domini Cardinales. Prior vero Presbyterorum Cardinalium ſtans ante Papam convenienti intervallo cum Subdiaconis, Auditoribus, Advocatis & ſcriniariis facit laudes Domino noſtro, ut fecerat prior Diaconorum. S. Petro, incipiens: *Exaudi Chriſte &c.* Prior Presbyterorum prædictus, & alii, qui faciunt laudes, ſtant detecto capite. Pontifex vero ſedet cum mitra, alii Cardinales ſtant cum mitra. Hoc tamen fieri ſolebat in introitu ipſius portæ in primo plano, antequam ad aulam prædictam veniatur, commode tamen in hunc locum translatus eſt hic actus propter illius loci anguſtiam. Finitis laudibus, Papa procedit ad capellam Sancti Silveſtri, ibi ante portam capellæ ſunt duæ ſedes porphyreticæ perforatæ:

foratæ: & ibi ſedet Pontifex ſuper primam, ad quem Prior Eccleſiæ Lateranenſis accedit, & genuflexus dat Pontifici ferulam in manu in ſignum correctionis & regiminis, & claves ipſius baſilicæ ac palatii Lateranenſis, in ſignum poteſtatis claudendi & aperiendi, ligandi atque ſolvendi. Surgit deinde Papa cum ferula & clavibus, & ſedet in altera ſede porphyretica ad aliam partem, & ibi reſtituit eidem Priori ferulam & claves, & ab eodem præcingitur ſuper planetam ſedens cum cingulo quodam ſericeo rubro, cum burſa etiam ſericea & rubra: in qua ſunt duodecim lapides pretioſi cum muſco. Tum Pontifex præcinctus & ſedens, e gremio Camerarii capit denarios argenteos omnifariam, quotquot poteſt manu continere, & ſuper populum ſpargens, dicit: *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.* Et hoc tertiò facit. In iſtis duabus ſedibus Pontifex ſedet, ut in Stercoraria.

Ducitur deinde Pontifex ad ſancta ſanctorum, ubi ſuper faldiſtorium ſine mitra genuflexus orat. Inde ſurgens, cum mitra revertitur ad capellam Sancti Silveſtri: in quam intrans ſedet ſuper ſedem ibi paratam, tum deponit mitram, chirotecas, pallium, planetam, & aſſumit pluviale, & mitram ſimplicem, & ſedens dat Presbyterium hoc modo, Cardinalibus duos aureos, & duos groſſos argenteos. Veniunt Cardinales, & profunde caput inclinant ante Pontificem, porriguntque ei mitram apertam, in qua Pontifex immittit pecuniam: illi, accepta pecunia, manum Pontificis oſculantur, pecunias capit Pontifex e gremio Camerarii. Alii Prælati genu flectunt ante Pontificem, & accipiunt in mitra ſua unum aureum, & unum groſſum, & oſculantur dextrum genu Papæ: Alii vero Prælati & Officiales accipiunt in manu tantundem, & oſculantur pedem. Dato presbyterio, Pontifex cum Cardinalibus aſcendit ad palatium Lateranenſe: & ſi non facit ſolenne convivium, deponit paramenta ſua: intrat cameram, quieſcit & prandet,

ſeu

ſeu cœnat. Cardinales ducuntur ad cameras ſibi ordinatas: quieſcunt, recreantur, & expectant Pontificem, ſi vult redire ad Sanctum Petrum eodem die. Sin autem non, revertuntur domum.

SECTIO III.

De Convivio ſolenni Pontificis cum Cardinalibus & Prælatis.

SEd quoniam Majores noſtri conſueverunt in die coronationis, & feria quinta in cœna Domini, ſolenne convivium celebrare iisdem ferme cerimoniis: aliquid etiam de *ſolenni Papali convivio* hoc loco dicemus. Maxime cum etiam noſtra ætate factum ſit a PIO II. & PAULO item II. Summis Pontificibus.

Parabitur igitur aula convivii, aulæis & pannis ſericeis, aureisque, pro temporis & loci conditione. In capite aulæ erit ſuggeſtus, ad quem triplici gradu aſcendetur, longus pro latitudine aulæ, in medio ſurget quadratus thalamus, palmi altitudine: ſuper quo menſa paratur Pontificis; apud parietem erit ſedes Papalis, ad quam parvo, & deinde magno ſcabello aſcendetur: ornabiturque ſedes cum panno aureo pendente ſupra caput, menſa erit alta ad juſtam proportionem ſedentis; a ſiniſtra ſuper ſuggeſtum, parabitur alia menſa pro credentia Papæ, cum vaſis aureis & argenteis, vino & aqua, & aliis conſuetis. *Credentiam* appellant menſam, ſupra quam vaſa argentea, ſive aurea, ad convivium opportuna præparantur. Et ſimiliter in divinis, ſupra quam ad ſacrificandum neceſſaria continentur: Dicitur & *Credentia*, actus ipſe prægustationis cibariorum, & aliarum rerum. Hæc exponere voluimus, quoniam crebro in hoc opere de credentia mentionem facturi ſumus. ANTIQUI CERIMONIARUM CODICES *Dreſſatorium* dixerunt. A dextra

parte aulæ, infra ſuggeſtum parabuntur menſæ pro Epiſcopis, & Presbyteris Cardinalibus, & paulo inferius pro aliis Prælatis. Et pro Cardinalibus erunt aliquanto altiores: ſedilia habebunt gradum unum, ſuper quem tenebunt pedes Cardinales. A ſiniſtra e regione menſæ Cardinalium, parabitur menſa pro Diaconis Cardinalibus ejusdem altitudinis, & cum gradu. Et inferius aliæ menſæ pro Oratoribus, Nobilibus & Officialibus. In fine aulæ, vel in aula præcedente, ſi erit commoda, parabitur magna Credentia cum pluribus gradibus ad magnificentiam, & alia ſuper longam menſam cum vaſis, quibus in convivio utentur.

Si huic convivio intereſſet IMPERATOR, paratur pro eo ſedes ad dextram Pontificis, & menſa ſuper plano ſuggeſtus, ſuper quam ſolus comedet Imperator. Sedes habebit ſcabellum parvum viride, & erit ornata panno aureo, non habebit pendentem ſupra caput, ſimiliter parabitur pro eo credentia juxta credentiam Papæ a ſiniſtris, & ibi erunt familiares Imperatoris pro ſuo ſervitio. Si vero adeſſet REX aliquis, paratur credentia pro eo paulo remotior ab ea. Sedes vero nulla paratur: *quia ſedet in menſa poſt primum Epiſcopum Cardinalem.* IMPERATOR, ſive REX, habebunt tot ſervitores, quot eis opportunum videbitur. Cardinalibus vero ſingulis ſufficiunt quaterni miniſtri, quorum unus vinum propinet, alter carnes concidat, alter de cultello fercula inferat, quartus præguſtet vinum, & aquam, & alia ſubminiſtret. PONTIFICI *ſervire ſolent nobiliores, qui ſunt in curia laici, etiam ſi ſint fratres, aut filii Regum, præſertim in illorum præſentia.* Pontifex igitur cum paramentis Pontificalibus, ſi celebravit illa die, uſque ad Dalmaticam incluſive, & cum ſandaliis indutis, ſupra Dalmaticam manto rubro, aperto a parte anteriori, & mitram habens in capite ſupra ſavonem, medius inter Diaconos ducitur ad menſam. Cardinales & Prælati omnes habent ſuperpellicium ſuper rochetum, ſive

ſupra

ſupra veſtes ſui ordinis, ſi ſint religioſi, & mitram albam in capite. Supra ſuperpellicium Cardinales & Prælati ſeculares habent mantellum ſine cauda, apertum a parte ante, & coloris violacei, ſive obſcuri. Religioſi vero coloris ſui ordinis, ſed eodem modo apertos. Cæteri omnes in ſuo habitu quotidiano. Aderunt familiares Pontificis, & alii ſervitores in copia. Aderunt etiam ſervientes armorum bene ornati cum ſuis baculis argenteis, qui præire debent ante portantes fercula, & removere multitudinem a via.

Magiſter ſacri hoſpitii, & magiſter domus provideant in tempore de modo & ordine ferculorum, de ſervitoribus, qui prius, & qui poſterius, & quod quælibet menſa habeat præfectos ſuos. Quæ vina primo, quæ deinceps, & per quos ferenda, & ſic de aliis rebus opportunis. Pontifex, remota prius menſa, ad partem ſedeat in ſede cum mitra, & mantum poſt collum apertum, ut nihil ante pectus dependeat. Cardinales, Principes & Prælati, & alii convivæ, ſtent ante menſas paratas. Nobilior laicus, etiam IMPERATOR aut REX, *aquam ad lavandas Pontificis manus, primo ferat hoc ordine.* Magiſter ſacri hoſpitii cum clerico cerimoniarum, quem adeſſe oportet in ordinandis hiſce rebus omnibus, cum ſervientibus armorum. Et ſi *Imperator* aut *Rex* aquam ferre debet, cum *aliquibus* etiam *Principibus ſociatus,* Imperatorem, aut Regem ad credentiam ducit. Si eſt nobilis inferior, ſolus erit, & in credentia aquam prius a miniſtris probatam & prægustatam accipit in pelvibus, fertque conſuetis cerimoniis ad Pontificem, præeunte uno ex auditoribus cum mantili, ad tergendum manus. Prior Epiſcoporum Cardinalium & duo Diaconi aſſiſtentes, depoſitis in manibus ſervitorum mantellis & mitris, ſic in rocheto ſerviunt Papæ, dum lavat, Epiſcopus aquam cum portante infundendo, & Diaconi mantile, quod ab auditore acceperant, hinc inde tenendo. Dum Papa lavat manus, non Prælati, ſed laici omnes genuflectunt, Car-

unde capiuntur a dantibus, & in menſa a portante, & de omnibus rebus. Cum primum convivium incipietur, in loco convenienti ponatur pulpitum, & Subdiaconus, ſive Capellanus Papæ, aliquid de ſacra Scriptura legat uſque in finem convivii. Interim cum ſilentio, & ſine ſtrepitu omnia adminiſtrentur quam diligentiſſime. Cum Pontifex biberit, conſueverunt omnes aſtantes, præter Epiſcopos, & ſuperioris dignitatis viros, genu flectere, quod ſervari noſtris temporibus vidimus, quamvis in nullo *cerimoniarum libro* id legerimus. Epulis abunde ſubminiſtratis, fit ſecunda lotio manuum & tunc ſecundus nobilis laicus portat aquam conſuetis cerimoniis: Prior Epiſcoporum Cardinalium, & duo Diaconi, dimiſſis mantellis & mitris, ut ſupra, ſerviunt: deinde revertuntur ad loca ſua, lavantur & alii ordine ſuo, quo ſupra, ſedentes tamen, & dum Cardinales lavant, unus ſervit alteri de mantili illud explicando, & tenendo, dum alius lavat, & ſic ſucceſſive. Ponuntur deinde vinum & confectiones, ſive ſpecies, ut habent *antiqui codices:* & demum, finito convivio, lector dicit: *Tu autem, Domine, miſerere nobis,* niſi ſit in cœna Domini: quia tunc non profertur *Tu autem.* Surgit Pontifex ſine mitra, aſſiſtunt ei Diaconi & redduntur gratiæ, ut in ordinario. Omnibus completis, reducitur Pontifex ad cameram ſuam, & alii ad propria divertuntur. Si autem ſolenne convivium hujusmodi fiet in die, quo Pontifex ſacra publice non celebraverit, omnia, ut prædicta ſunt, ſervabuntur, niſi de ſacris veſtibus. Papa indutus amictu, alba longa, cingulo, ſtola precioſa, & manto rubro cum parvo caputio ſubtus, ſive ſi calores erunt, ſine manto cum caputio tantum, ducetur ad menſam. Cardinales & Prælati erunt in mantellis conſuetis ſine ſuperpelliciis, & ſine mitris: alia omnia, ut ſupra. Advertendum tamen, quod nunquam in convivio Pontificis admittuntur *mulieres, etiamſi IMPERATRIX, REGINA*, vel Pontificis conſanguinea eſſet.

SECTIO

SECTIO IV.

Quæ Mutantur, ſi coronatio Pontificis fiat extra urbem.

QUæ ſupra diximus de conſecratione, benedictione, & coronatione Romani Pontificis, omnia ſervabuntur, etiam *ſi extra urbem Romanam fient*, præter infra ſcripta. Cum Papa ad Eccleſiam venerit, ubi ea fieri debent, Canonici & Capellani illius Eccleſiæ illi obviam exibunt proceſſionaliter. Sed non recipientur ad oſculum pedis, ut Canonici Sancti Petri. Intrabit Pontifex in Eccleſiam, & in medio genuflexus orabit verſus Altare majus. Deinde ibit ad capellam, ubi paramenta capere debet, convenienti ſpacio ab Altari majore diſtante, ut commode proceſſio poſſit inde explicari, alia omnia uſque ad actum coronationis fient, ut dictum eſt, ſed ipſa coronatio fiet vel ſupra gradus, vel loco commodiori, & magis in conſpectu populi, nam ibi parandus erit ſuggeſtus, ubi majus erit ſpacium ad capiendam multitudinem. Pontifex ornatus poterit equitare cum ſolenni proceſſione, ut ad Lateranum conſuevit, ad aliquam aliam Eccleſiam, & in via fient jactus pecuniarum, & Judæi obviabunt cum lege, & reſpondebitur, & fiet, ut in via ad Lateranum. Et cum pervenerit ad dictum locum, deſcendet, & ſuper ſedem, in loco honeſto ſibi in introitu Eccleſiæ præparatam, ſedebit: & tunc extrahetur ſibi regnum, & imponetur ſibi mitra, & aſtantibus ſibi hinc inde Diaconis, & deinde in ordine aliis Cardinalibus, a priore Presbyterorum Cardinalium cum Subdiaconis & aliis officialibus conſuetis, fient laudes: *Exaudi Chriſte*, ut dictum eſt ſuperius. Tum Pontifex aſcendit ad Altare majus, præcedente clero illius Eccleſiæ & cantante: *Te Deum laudamus*, procumbet ſuper faldiſtorio ante Altare majus, ad orationem

nem ſine mitra, & finito, *Te Deum*, factaque oratione, aſcendet ad Altare, & benedicet populo: deinde, aſſumpta mitra, aſcendet ad ſedem eminentem, & dat Presbyterium Cardinalibus & Prælatis: & finitis omnibus, vadit ad locum, ubi ordinatum eſt convivium, vel ad cameram ſuam, ſi privatim prandet. Et omnia ſervantur, ut in urbe, quæ ſervari poſſunt.

SECTIO V.

CAPUT I.

De Adventu & Coronatione electi in Imperatorem Romanorum.

Electus REX, *futurus Romanorum Imperator*, primum conſuevit electionem ſuam per ſuos ſolennes oratores Summo Pontifici intimare, & decretum electionis oſtendere, devotionem ac fidelem reverentiam exhibere, favorem & gratiam Apoſtolicæ ſedis implorare, offerre ſe ad quæcunque fidelitatis juramenta Romanæ Eccleſiæ præſtanda: & demum unctionem, conſecrationem, & Imperii diadema *humiliter* poſtulare. Pontifices vero conſueverunt, *viſo decreto*, & *examinata electione* in ſacro Senatu, habitoque ſufficienti informatione tam ſuper *forma* electionis, quam ſuper idoneitate & habilitate perſonæ electi, per commiſſarios a ſe conſtitutos, ad inſtantiam dicti electi, ipſum electum in ſpiritualem *filium ſuum* & Eccleſiæ Romanæ ſuſcipere, illique favorem & gratiam concedere, & ipſius Regis electi perſona idonea reputata, eum nominare, denunciare, aſſumere, & declarare *Regem Romanorum*, ac etiam habilem, & ſufficientem declarare ad ſuſcipiendum Imperialis Celſitudinis dignitatem: decernere, conſecrationem & coronationem per manus ſuas eſſe impendendas, & ſupplere omnes defectus &c. Hoc ſervatum legimus in CAROLO IV. a

CLE-

CLEMENTE VI. & antea in HENRICO VII. a CLEMENTE V. & in ALBERTO, ejus prædeceſſore, & RODOLPHO patre a BONIFACIO VIII. & a pluribus aliis: & in WENCESLAO, CAROLI IV. filio, quem pater adhuc vivens in Romanorum Regem ab Electoribus deſignari procuraverat, cujus rei approbationem, cum GREGORIUS XI. ad quem delata erat, morte præventus, decernere non poſſet: URBANUS VI. ejus ſucceſſor, legitime confecit.

CAPUT II.

Quod, veniente Imperatore, mittantur Legati Apoſtolici.

Electus igitur ROMANORUM IMPERATOR, quum ſtatuerit urbem petere, ad Imperiale diadema de manu Summi Pontificis ſuſcipiendum, primum convenit per Nuncios & Legatos ſuos cum Romano antiſtite de modo & tempore intrandi, ut Pontifex rebus opportunis conſulere poſſit; deinde cum Pontifex noverit, Cæſarem jam Italiam intraſſe, mittit illi obviam duos *Legatos de latere*, qui illum conveniant, antequam terras Romanæ Eccleſiæ ingrediatur. Et poſt gratulationes, ſalutationem & benedictionem, nomine Pontificis honeſto modo exigunt ab illo juramentum ſolitum præſtari ab electis Imperatoribus, antequam intrant agrum Romanæ Eccleſiæ, in forma, qua in *Decretis* cavetur, videlicet: *Sanctiſſimo Domino noſtro, Domino N. divina providentia Papæ. Ego B. Rex Romanorum, promitto & juro per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & per lignum vivificæ crucis, & per has reliquias Sanctorum, quod ſi permittente Domino, Romam venero, ſanctam Romanam Eccleſiam, & Sanctitatem ſuam, rectorem ipſius exaltabo, ſecundum meum poſſe & vitam, membrum nunquam, neque ipſum honorem, quem habet, mea voluntate, meo conſilio, meo conſenſu, aut mea exhortatione perdet, & in Roma nullum*

placitum aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad Sanctitatem ſuam, aut ad Romanos pertinent, ſine veſtro conſilio. Et *quicquid de terra ſancti Petri ad noſtram poteſtatem pervenerit, ſuæ Sanctitati reddam: & cuicunque Italicum regimen commiſero, jurare faciam illum, ut adjutor ſuæ Sanctitatis ſit ad defendendam terram ſancti Petri, ſecundum ſuum poſſe: Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* Aliquando oratores electi, quando veniunt ad intimandam electionem, & ad petendum approbationem, nomine electi Regis ſolent præſtare ſupra dictum juramentum, ſi habent ad hoc ſpeciale mandatum. Hoc juramentum FEDERICUS III. *Imperator*, QUI ADHUC REGNAT, dum Senis eſſet in manibus legatorum Apoſtolicorum, Anno ſalutis *quinquageſimo primo ſupra mille & quadringentos* præſtitit, & ante eum plures alii præſtiterunt. Dehinc ut primum Eccleſiæ territorium ingreſſus eſt Cæſar, conſuevit cum ſua familia expenſis Pontificis ali, quamdiu & Romæ, & in agro Romano fuerit. NICOLAUS V. quamvis Federico prædicto cum familiaribus quingentis tantum expenſas promiſerit: longe tamen plures ære ſuo aluit. Ut *Sutrium* venit Cæſar, vel locum urbis vicinum, ita ut *pridie* poſt applicare ad urbem poſſit, legati Apoſtolici illum, cum aliquibus Prælatis a Pontifice miſſis, qui neceſſaria curent, dimittunt, & Romam perveniunt. Sequenti die electus Imperator Romam verſus capit iter, cui honoris gratia obviam mittuntur a Pontifice Prælati, Barones, & Curiales, hoc ordine, ut in FEDERICI adventu ſervatum eſt. Primi ad ſextum lapidem *Columnenſes* proceres cum ſuis amicis & clientelis, & mox *Urſini* atque alii Barones urbis, tum Pontificis copiæ, quæ adſunt cum illarum præfecto, inde *Vice-Camerarius cum præfecto urbis, Senatore, Conſervatoribus, Officialibus*, & aliis nobilibus civibus Romanis, deinde ordines curiæ, cum regente Cancellariæ, ſine aliquo alio Prælato. Demum alii Prælati domeſtici Pontificis cum omni ejus familia, & tandem Sacrum

Cardi-

Cardinalium Collegium, ad radices montis, juxta domum leproſorum, Cæſarem expectabunt. Hi omnes diſtinctis intervallis Imperatori electo obviabunt. Oratores vero Principum, ſi qui in urbe erunt, pro ſuo libito obviam procedent. Cardinales, ut Cæſarem conveniant congratulationibus, & oblationibus factis nomine Pontificis, & collegii, illum habentes medium inter duos primos Epiſcopos Cardinales, deducent usque ad tentorium, ſive alium locum ſibi deputatum extra urbem: nam Cæſar non conſuevit ea die qua appulit, urbem intrare, ſed pernoctare ſaltem una nocte, extra mœnia in campis. Cardinales & alii omnes, poſtquam Cæſar ad locum deputatum pervenerit, in urbem revertuntur. Conſueverunt etiam electi Imperatores hac die, antequam ponticulum, qui primus ante ingreſſum urbis poſt deſcenſum montem occurrit, pertranſeant, præſtare juramentum Romanis, in hanc formam: *Ego Karolus Rex, Romanorum futurus Imperator, juro, me ſervaturum Romanis bonas conſuetudines ſuas. Sic Deus me adjuvet.*

CAPUT III.

De Urbis Ingreſſu Imperatoris.

POſtera die Cæſar per portam, quæ eſt ſub arce Sancti Angeli, hoc ordine quaſi triumphans ingreditur. Primi duo equites vexilla duo Cæſaris portant, alterum *Sancti Georgii*, quod ad Suevorum pertinet cuſtodiam, *Aquilæ* alterum; hos ſequuntur Cæſaris cohortes armatæ, tum nobiles proceres, & togati ejus. Inde oratores Regum, & Principum, qui adſunt. Tum ſi quis adeſt *Rex*, aut maximus Princeps, ut fuit cum FEDERICO *Rex Ungariæ & Bohemiæ* LADISLAUS. Et tunc ſequitur præfectus urbis, & Senator. Et ad præfectum quidem pertinebat, nudum enſem ante Cæſarem ferre. FEDERICO tamen *mareſcallus ſuus*, non præfectus, gladium

prætulit. Inter iſtos autem & Cæſarem nemo equitare debet, niſi *mareſcallus*, ſi præfectus non præfert enſem. Incedit deinde Cæſar ſolus equitans, & poſt eum Prælati Conſiliarii, proceres inermes, & alii togati ſui. Deinde modico intervallo Imperatricis familia, ſi UXOR virum ſequitur, ſuccedere debet, ante illam nobiles & Prælati, & poſt Matronæ, Virgines, & pediſſequæ, circa illam vero ſolam equitantem pedites multi. Ultimo incedunt Eccleſiaſticæ copiæ, pompam claudentes. Portam ipſam, qua ſub arce ingrediuntur, *noſtri codices* falſo Collinam appellant. Collina autem porta non eſt in novis Leonis Papæ ſuburbiis, ſed in antiqua Roma, Quirinalis primum dicta, deinde Collina (ut ſcripſit *Varro*) a pluribus montibus, qui in Quirinali monte continebantur, hodie Salaria nuncupatur, quia inde via Salaria itur. In porta igitur, quæ ſub arce eſt, (non Collina) clerus urbis ſacris veſtibus ornatus, cum crucibus & ſanctorum reliquiis, præſidente Vicario urbis, & aliis Eccleſiarum Prælatis infulatis, Cæſarem expectant: advenienti cruces deoſculandas offerunt, & eum incenſant, ac cantantes: *Ecce, mitto Angelum meum &c.* procedunt uſque ad gradus baſilicæ principis Apoſtolorum. Cives autem digniores baldachinum ſupra Cæſaris caput portant, Conſervatores freno equum ducunt. Cum vero eſt in magna Area ante gradus, Præfectus & Senator id muneris gerunt. Et, deſcendente ex equo Cæſare, Præfectus ſtapham tenet, deinde ante eum præcedit. Inter equitandum autem Cæſaris Camerarius pecuniam ſpargere conſuevit, ut diximus in coronatione Papæ de *Soldano*. In plano ſupra gradus baſilicæ, ante primum porticum ad dextram aſcendentibus erigitur ſuggeſtus, ornatus cum throno Pontificali, & ſedibus Cardinalium Prælatorum & Officialium, ut ſupra deſcripſimus in coronatione Pontificis. Supra quem ſuggeſtum Pontifex pluviali & mitra precioſis indutus aſcendit cum ordinibus curiæ paulo ante, quam Cæſar appareat. Electus

Impe-

Imperator cum ſuis omnibus ſervato ordine, ut equum deſcendit, per gradus aſcendit ſuggeſtum. Et utprimum Pontificem videt, *detecto capite illum genu terram tangens veneratur.* Et iterum, cum appropinquat ad gradus ſedis, genuflectit, demum ad Pontificis pedes pervenit, illos in reverentiam Salvatoris devote oſculatur. Pontifex hilari vultu Cæſarem aſpiciens, ad oſculum manus & oris recipit. Tum Cæſar iterum genuflexus, auri maſſam ad pedes Pontificis offert, habetque verba ad Pontificem, gratias agens pro honore ſuſcepto, prout illi videbitur. Pontifex benigne illi reſpondens, illum ſublevat, & ſummæ charitatis declaratione amplectitur. Et ſtante ibi ad dextram Pontificis Cæſare, Pontifex recipit IMPERATRICEM ad oſculum pedis & manus: Regem vero, ſi quis adeſt, ad oſculum pedis, manus & oris: alios autem Prælatos, Proceres & Nobiles Cæſaris, ad oſculum pedis tantum. His finitis, ſurgit Pontifex, & manu ſiniſtra Cæſarem capiens, e ſuggeſtu deſcendit, & pariter ad ſecundum uſque Eccleſiæ porticum cum eo progreditur. Deinde Pontifex palatium aſcendit, ad cameram ſuam reverſurus, & Cæſar duobus aut quatuor Cardinalibus ſociatus templum ingreditur, Apoſtolorum ſacras reliquias veneraturus cum ſuis omnibus. Inde ad loca cuique deſtinata divertuntur. CÆSAR ipſe in palatio Apoſtolico recipi conſuevit: AUGUSTA vero in aliquo loco vicino. Cæſar poſtera die, opportuno tempore ad Pontificem accedet, & cum ſua Sanctitate de incumbentibus ad ſolennitatem pertractabit. Statuent de die coronationis: & ſi qua erunt prius peragenda, deliberabunt: ut FEDERICI tempore factum eſt, qui ante diem Imperialis coronationis, inter miſſarum ſolennia benedictionem Imperialem cum ſponſa ſua, HELEONORA, *Regis Portugalliæ* filia, ſuſcepit. Et CORONA REGNI LONGOBARDICI, ſive Italici, quam ſuperiores Imperatores Modatiæ ſuſcipere conſueverunt, cum Federicus peſtis

timore illuc accedere non potuiſſet, Pontificis Nicolai manibus coronatus eſt in baſilica Petri, apud altare majus, quæ corona ferrea (licet area ſit) nuncupatur.

Cerimonias in coronandis Regibus ſervandas, in LIBRO PONTIFICALI, quem *nuper emendavimus*, plene conſcripſimus. Proinde eò diligentem Lectorem relegamus.

Et notandum, quod Cæſar, antequam coronetur Imperiali diademate, ſedet poſt primum Epiſcopum Cardinalem. Et ſi quis REX adeſt, ſedet tunc poſt primum Presbyterum Cardinalem. Cum vero Cæſar erit coronatus, tunc ſedebit in ſede ſibi parata inter Papam & primum Epiſcopum Cardinalem, & tunc Rex erit poſt primum Epiſcopum Cardinalem. Adveniente die ſtatuta Imperialis coronationis, quæ convenientiſſima eſt in die dominica *Lætare*, in medio Quadrageſimæ (ut DURANTES *in Rationali divinorum* ſcripſit,) & ita a NICOLAO V. in coronatione FEDERICI ſervatum eſt, Eccleſia Sancti Petri & capella major erunt decenter ornatæ, ut in maximis ſolennitatibus, cum Pontifex eſt celebraturus divina, ſolent ornari, & præter conſueta erigantur duo ſuggeſtus hinc & inde extra cancellos capellæ: alter pro Imperatore electo ad ſiniſtram venientibus: alter a dextra pro Imperatrice: & ornetur tapetis, aulæis, ſedibus, ſcabellis, & aliis opportunis. Eccleſia tota, & maxime capella *D. Gregorii*, *D. Mauritii*, & quæ *D. Mariæ* in turribus appellata, extra Eccleſiam in primo porticu, ſub turri campanaria eſt, bene mundentur, ornenturque. IMPERATRIX vero, antequam Pontifex deſcendat ad Eccleſiam, cum ſuis ornata, præveniens ſuggeſtum ſibi paratum conſcendit. Summo igitur mane Pontifex cum Cardinalibus, Prælatis, & aliis Officialibus paratis colore tempori & Miſſæ congruis, veluti ad ſupplicationem, & ſub baldachino deſcendant ad Eccleſiam, & præmittat duos Diaconos Cardinales cum ſuis cappis laneis ad Cæſarem, qui eum congruo tempore ad

Eccle-

Eccleſiam deducant. Pontifex, facta reverentia ante Altare, accedat ad ſedem, ubi conſuevit accipere paramenta, & recipiet ad reverentiam omnes Prælatos. Incipiet tertiam, & accipiet ſandalia, ut alias conſuevit: & dicta oratione induitur omnibus paramentis Pontificalibus. Interim Cardinales omnes, qui ſunt cum Cæſare, ut primum cognoverunt Pontificem intraſſe Eccleſiam, & ipſi cum Cæſare & omni ſua comitativa ad Eccleſiam deſcendunt: egreſſi primam palatii portam, per primas Eccleſiæ portas, quæ ſuper gradus baſilicæ patent, ingrediantur porticum ad capellam, quæ vocatur beatæ Mariæ inter turres, ibi à Canonicis & Collegio Eccleſiæ occurrenti recipitur. Quo deductus Cæſar ad Altare dictæ capellæ, in manibus primi Cardinalis præſentis, & nomine Pontificis, recipientis, beato Petro, Summo Pontifici, & ſuis ſucceſſoribus, ſolitum *juramentum* præſtabit in forma ſubſcripta, videlicet: *Ego N. Rex Romanorum, adjuvante Domino, futurus Imperator, promitto, ſpondeo, & polliceor, atque juro Deo, & beato Petro, me de cætero protectorem atque defenſorem fore Summi Pontificis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in omnibus neceſſitatibus & utilitatibus ejus cuſtodiendo & conſervando poſſeſſiones, honores, & jura, ac jus, quantum divino fultus adjutorio fuero, ſecundum ſcire & poſſe meum, recta & pura fide. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* Tum indutus ſuperpellicio & almucia, recipitur a Canonicis Sancti Petri in Canonicum, & in fratrem, quos omnes ſtans ante Altare dictæ capellæ recipit ad oſculum pacis. Inde præcedente clero, & cantante reſponſum, *Petre amas me? tu ſcis, Domine, quia amo te. Paſce oves meas.* Verſus. *Simon Joannis amas me plus his? tu ſcis, Domine, quia amo te. Paſce, &c.* Alii Cæſaris proceres ſuo odine ad portam deveniunt principalem ipſius baſilicæ, quæ argentea nominatur, & ex quinque media eſt. Interim duo Epiſcopi Cardinales poſt priorem antiquiores, facta reverentia Pontifici cum ſuis mitris & pluvialibus

bus veniunt ad prædictam portam, dum Cæſar adhuc eſt in dicta capella inter turres. Et ante eum junior Epiſcopus Cardinalis ſtans ſine mitra, ſupra Cæſarem genuflexum orantem dicit hanc orationem: *Oremus, Deus, in cujus manu corda ſunt Regum, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ, & huic famulo tuo Regi veram appone ſapientiam, ut hauſtis de tuo fonte conſiliis, & tibi placeat, & ſuper omnia præcellat: per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.* Finita prima oratione, intrant Eccleſiam, Cæſare incedente ſemper inter duos Diaconos Cardinales prædictos: & immediate præcedentibus duobus Epiſcopis Cardinalibus præfatis, & flectentes ad ſiniſtram, perveniunt ad capellam *Sancti Gregorii*, ubi Imperator ſedens, depoſita Almucia, primo induit ſandalia, deinde ſtans tunicellam, & demum Imperiale paludamentum: & mox inde procedens ad medium Eccleſiæ, ubi rota porphyretica eſt, venit, & ibi ab alio Epiſcopo Cardinali, ſibi aſſiſtente, dicitur ſuper eum alia oratio, videlicet: *Deus inenarrabilis, auctor mundi, conditor generis humani, gubernator Imperii, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui, Patriarchæ noſtri Abrahæ, præelegiſti Regem ſeculis præfuturum, tu præſentem Regem hunc cum exercitu ſuo per interceſſionem Sanctorum uberi bene✠dictione æternitatis circumda, ut ſemper maneant læti, & triumphantes in pace victores, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.* Procedunt deinde ad confeſſionem beati Petri ſub Altare, ubi procumbit ſuper faldiſtorium Imperator, & duo Epiſcopi Cardinales aſcendunt capellam, & vadunt ad ſedes ſuas: prior autem Diaconorum, ac prior Presbyterorum parati deſcendunt ad eum, atque hinc inde genuflectunt, & Diaconus ipſe facit litaniam procumbens ad ſiniſtram, omnibus alta voce replicantibus & flexis genibus permanentibus. Finita litania, ſurgit prior presbyterorum, & ſuper Cæſarem adhuc procumbentem dicit: *Pater noſter, & ne nos. Salvum fac ſervum tuum.* Reſpond. *Deus meus, ſperantem in te.* Verſ. *Eſto ei Domine turris*

forti-

fortitudinis. Reſpond. *A facie inimici.* Verſ. *Nihil proficiat inimicus in eo.* Reſpond. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſpond. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Prætende, quæſumus Domine, famulo tuo dextram cœleſtis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne poſtulat, aſſequatur. Actiones noſtras quæſumus, Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur: per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.* Et cum Diacono, his finitis, revertitur ad locum ſuum inter alios Cardinales. Dum ultimæ orationes dicuntur per Presbyterum Cardinalem, prior Epiſcoporum Cardinalium, cum pluviali, ſtola & mitra deſcendit ad Imperatorem, & ſimul cum duobus Diaconis, finitis orationibus, ducit illum ad altare Sancti Mauritii, ubi ſtans cum mitra, inungit brachium dextrum Cæſaris, & ſcapulas cum oleo exorcizato in modum crucis, & depoſita mitra dicit: Oremus: *Deus omnipotens, cujus eſt omnis poteſtas, & dignitas, te ſupplici oratione, atque humillima prece depoſcimus, ut huic famulo tuo, N. proſperum Imperatoriæ majeſtatis concedas effectum, ut in tua protectione conſtituto, ad regendum Eccleſiam tuam ſanctam nihil ei præſentia officiant, futura nihil obſiſtant, ſed inſpirante Sancti Spiritus dono, populum ſibi ſubditum æquo juſtitiæ libramine regere valeat, & in omnibus operibus ſuis te ſemper timeat, tibique jugiter placere contendat.*

Deus, Dei Filius, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui a Patre Deo participationis unctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacri unguenti infuſionem Spiritus Paracleti ſuper caput tuum infundat benedictionem, eandemque uſque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc viſibili & tractabili dono inviſibilia percipere, & temporali regno juſtis moderationibus executo æternaliter conregnare ei merearis, qui ſine peccato Rex

Regum vivit cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Interea adducitur Imperatrix, ſi adeſt, & ſimiliter perungitur in eiſdem locis, deinde dicitur per eundem Cardinalem Epiſcopum oratio ſuper eam cum mitra, quia *ad eam*, non *ad Deum*, oratio dirigitur: *Spiritus Sancti gratia noſtræ humilitatis officio copioſa in te deſcendat, ut, ſicut manibus noſtris licet indignis, oleo materiali oblinita pingueſcis exterius, ita ejus inviſibili unctione delibuta impinguari merearis interius, ejusque ſpirituali unctione perfectiſſime ſemper imbuta, & illicita declinare tota mente, atque ſpernere diſcas, & valeas, & utilia animæ tuæ jugiter optare, atque operari queas, & opereris auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, &c.* Et hæc quidem fiunt ad Altare beati Mauritii; nam ad Altare beati Petri nemo inungitur, nemo ordinatur, niſi Romanus Pontifex ſolus. His completis, Imperatrix ad ſuum ſuggeſtum revertitur, & Cæſar, cum Epiſcopo Cardinali & Diaconis, ad Pontificem. Diaconi, acceptis ſuis dalmaticis & mitris in manibus, vadunt ad reverentiam Papæ: qui, deſcendens de ſede ſua, procedit ad Altare ſupplicabundus more ſolito: & recipit ad oſculum oris & pectoris tres presbyteros Cardinales aſſiſtentes. Deinde facit confeſſionem Cæſar ad dextram Epiſcopi Cardinalis aſſiſtentis, genuflexo ſuper ſuum faldiſtorium permanente. Facta confeſſione, Pontifex accedit ad Altare, oſculatur, & incenſat, ut alias, deinde recipit ad oſculum oris & pectoris primo Cæſarem, deinde tres ſuos Diaconos Cardinales, & mox ad eminentem ſedem aſcendit, & Cæſar ad ſuum ſuggeſtum cum ſuis principalibus & miniſtris deducitur. Cum Pontifex deceſſit a latere, miniſtri Cæſaris afferunt gladium cum ſua vagina & cingulo, coronam, ſceptrum & pomum, danda ſuo tempore Imperatori & Imperatrici, quæ per ſacriſtam, & clericum cerimoniarum locantur ſuper Altare. Interim vero, dum Pontifex facit confeſſionem, incipit chorus

Introi-

Introitum & Kyrieeleiſon. Pontifex vero, in ſede eminenti ſtans ſine mitra, legit Introitum, & procedit in miſſa, ut alias, uſque ad dictam Epiſtolam, & graduale. Sed poſt orationem diei dicit pro ipſo Imperatore hanc orationem: *Oremus, Deus regnorum omnium, & Chriſtiani maxime protector Imperii, da ſervo tuo, N. Imperatori noſtro, triumphum virtutis tuæ ſcienter recolere, ut qui tua conſtitutione ſit princeps, tuo ſemper munere ſit potens.* Pro ſecreta: *Suſcipe, Domine, hoſtias Eccleſiæ tuæ pro ſalute famuli tui, N. ſupplicantis, & protectione fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula, ut, ſuperatis inimicis, ſecura tibi ſerviat chriſtiana libertate, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium tuum &c.* Poſt communionem: *Deus, qui ad prædicandum æterni regni Evangelium Romanum Imperium præparaſti, prætende famulo tuo Imperatori noſtro, N. arma cœleſtia, ut pax Eccleſiæ nulla turbetur tempeſtate bellorum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.* Dum cantatur graduale, Cæſar, deſcendens e ſuggeſtu, venit ad pedes Sanctiſſimi Domini noſtri, deducentibus eum duobus Diaconibus Cadinalibus paratis: & unus ex clericis cameræ ex Altari accipit gladium cum ſua vagina, & illum ad priorem Diaconorum, ſtantem ante Pontificem, ad dextram portat, quem Pontifex, vagina extractum, de manu ipſius Diaconi accipiens, Imperatori ante ſe genuflexo in dextra manu tradit, ipſe cum mitra ſedens, ac dicens: *Accipe gladium deſuper beati Petri Apoſtoli corpore ſumptum per manus noſtras licet indignas, vice tamen & auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apoſtolorum conſecratus, Imperialiter tibi conceſſum, noſtræque benedictionis officio in defenſionem Sanctæ Matris Eccleſiæ divinitus ordinatum ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Et memor eſto, de quo Pſalmiſta prophetavit, dicens: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime, ut in hoc vim æquitatis exerceas, per eundem molem iniquitatis potentiſſime deſtruas, & ſanctam Dei Eccleſiam, ejusque fideles*

 propu-

propugnes, atque protegas: neque minus ſub fide falſos, quam chriſtiani nominis hoſtes exeras, atque diſpergas: viduas, atque pupillos clementer adjuves, atque defendas: Deſolata reſtaures, reſtaurata conſerves: ulciſcaris injuſta, conſerves bene diſpoſita: quatenus hoc agendo virtutum triumphator glorioſus, juſtitiæ cultor egregius: cum mundi Salvatore, cujus typum geris in nomine ejus, ſine fine regnare merearis: Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, &c.

Finita oratione, Diaconus accipit gladium, & reponit illum in vagina, quam habebat in manu, & ſimul cum Pontifice accingit illo Cæſarem, dicente Pontifice: *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſſime. Et attende, quia Sancti non in gladio, ſed per fidem vicerunt regna.* Accinctus gladio Imperator, & miles beati Petri effectus, ſurgens evaginat gladium, ter illum vibrat, deinde reponit in vagina, & iterum genuflectit: cui Pontifex pomum de Altari, & ſceptrum, ut de gladio diximus, ad eum portata, in manu dextra pomum, & in ſiniſtra ſceptrum ponit, dicens: *Accipe virgam virtutũ, atque veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos: errantes viam docere, lapſis manum porrigere: diſpergere ſuperbos, & relevare omnes humiles. Et aperiat tibi oſtium Jeſus Chriſtus, Dominus noſter, qui de ſemetipſo ait: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur, qui eſt clavis David & ſceptrum domus Iſrael: qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Sitque tibi auctor, qui eduxit vinctum de domo carcerũ, ſedentem in tenebris, & umbra mortis, & in omnibus ſequi merearis eum, de quo David propheta cecinit: Sedes tua, Deus, in ſeculum ſeculi, virga directionis virga regni tui. Et imitando ipſum diligas juſtitiam, & odio habeas iniquitatem: quia propterea unxit te Deus, Deus tuus ad exemplum illius, quem ante ſecula unxerat oleo exultationis præ participibus ſuis, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: qui cum eo vivit & regnat Deus &c.* Demum Imperialem coronam, cum ſua Tiara allatam, ſibi ex Altari

(ut de

(*ut de aliis diximus*) imponit ſuper ejus caput, dicens: *Accipe ſignum gloriæ, & diadema regni, coronam Imperii, in nomine ✠ Patris, & ✠ Filii, & ✠ Spiritus Sancti, ut ſpreto antiquo hoſte, ſpretiſque contagiis vitiorum omnium, ſic juſtitiam, miſericordiam, & judicium diligas, & ita juſte, pie, & miſericorditer vivas, ut ab ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto in conſortio ſanctorum æterni regni coronam percipias, qui cum Patre, &c.* Et mox Imperator oſculatur pedes Pontificis, & ſurgens diſcingitur gladio, eumque armigero ſuo tradit. Et ipſe cum corona, ſceptro & pomo procedens, ab illis duobus Diaconibus ducitur ad ſedem Imperialem, paratam ſibi a dextra Pontificis inter Pontificem, & priorem Epiſcoporum Cardinalium: quæ ſedes altior erit ſedibus Cardinalium, & *humilior* Papali ſede, habebitque aureum pannum poſt tergum, & parvum ſcabellum ad pedes, & ibi ſedebit, quouſque Imperatrix coronetur. Imperatrix vero ducetur ab eiſdem ad Pontificem, qui ſurgens ſine mitra ſuper eam genuflexam dicit hanc orationem: *Deus, qui ſolus habes immortalitatem, lucemque habitas inacceſſibilem, cujus ſapientia in ſua diſpoſitione non fallitur: qui facis cuncta, quæ futura ſunt, & vocas ea, quæ non ſunt, ſicut ea, quæ ſunt: qui ſuperbos æquo moderamine de principatu dejicis, atque humiles dignanter in ſublime provehis, ineffabilem miſericordiam tuam ſupplices exoramus, ut ſicut Heſter, reginam Iſraeliticæ cauſa ſalutis de captivitatis ſuæ compede ſolutam, ad Regis Aſſueri thalamum, regnique ſui conſortium tranſire feciſti: ita hanc famulam tuam N. humilitatis noſtræ bene✠dictione Chriſtianæ plebis ſalutis gratia ad dignam, ſublimemque Imperatoris noſtri copulam, & Imperii ſui participatum tranſire concedas, & ut in Imperialis fœdere conjugii ſemper permanens pudica, proximam virginitati palmam continere queat, tibique Deo vero & vivo, in omnibus & ſuper omnia jugiter placere deſideret, & te inſpirante, quæ tibi placita ſunt, toto corde perficiat, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.* Deinde ſedens cum mitra accipit coronam

Imperialem de manu prioris Diaconorum Cardinalium ex Altari allatam, & imponit ſuper illius caput, dicens: *Officio noſtræ indignitatis, N. Imperatrix ſolenniter benedicta, accipe coronam Imperialis excellentiæ: quæ licet ab indignis, Epiſcopalibus tamen manibus capiti tuo imponitur, ut ſicut auro & gemmis redimita enites, ita & interius auro ſapientiæ, virtutumque gemmis te Omnipotens decorari concedat, quatenus poſt occaſum hujus ſeculi cum prudentibus virginibus ſponſo perenni, Domino noſtro Jeſu Chriſto, digne & laudabiliter occurrens, regni cœleſtis aulæ ingredi merearis januam, eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto auxiliante, qui cum Patre, &c.* Et coronata ſtatim oſculatur pedes Pontificis, & ſurgens educitur tam ipſa, quam Cæſar ſimul ad ſuos ſuggeſtus, ubi in ſedibus ſibi paratis locantur, & ſedentibus Imperatore & Auguſta in ſedibus cum Imperialibus ornamentis, prior Subdiaconorum Apoſtolicorum cum aliis Subdiaconis, & cum Capellanis aulæ Imperialis deſcendit ad confeſſionem beati Petri, alta voce ſimul cum ipſis facit laudes Imperatori, dicens: *Exaudi Chriſte!* Scriniarii vero urbis cum cappis ſericeis ſtantes, ſuperius apud chorum, reſpondent: *Domino Federico, inviciſſimo Romanorum Imperatori, & ſemper Auguſto, ſalus & victoria.* Qua laude tertio repetita, prior Diaconorum cum ſuis, tribus vicibus dicat: *Salvator mundi:* & Scriniarii viciſſim reſpondeant: *Tu illum adjuva.* Et deinde iſte cum ſuis, duabus vicibus dicat: *Sancta Maria,* & illi viciſſim reſpondeant: *Tu illum adjuva,* & ſic deinceps

Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
Sancte Joannes Baptiſta,
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,

Sancte

Sancte Stephane, reſp. *Tu illum adjuva.*
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
Sancte Silveſter,
Sancte Leo,
Sancte Gregori,
Sancte Benedicte,
Sancte Baſili,
Sancta Saba,
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agnes,
Sancta Cecilia,
Sancta Lucia.

Poſt hæc, omnibus ad locum revertentibus, cantatur *Alleluja,* vel Tractus, & deinde Evangelium, *Credo,* & Offertorium. Deinde Imperator, & corona & manto depoſitis, ſine ſceptro aut pomo deſcendit, & ad Pontificis pedes aurum offert, quantum ſibi placet. Et ſimiliter poſt eum facit Imperatrix, quæ deinde non revertitur ad ſuggeſtum, ſed procumbit ſuper faldiſtorium, a dextra parte Altaris ſibi paratum, in loco, ubi non impediat credentiam, & ibi expectat uſque ad communionem. Imperator vero Pontificem ad Altare deſcendentem ſequitur, & illi in locum Subdiaconi calicem & patenam cum oſtiis offert, deinde aquam infundendam in vino. Et retrahens ſe ad partem dextram ſtat, uſque quo Pontifex ad ſedem eminentem communicaturus revertatur, quem Imperator ſequitur. Et ab ejus manibus ipſe primo, deinde Auguſta, ſacram corporis Chriſti communionem ſumant, poſtquam Pontifex cum Diacono & Subdiacono communicaverint. Nam Subdiaconus, poſtquam cum Diacono communicavit de corpore & ſanguine Chriſti, accipit de manu Diaconi apud Altare cum circulis & cerimoniis conſuetis duas hoſtias conſecratas pro Imperatore & Auguſta: &

eas ad Pontificem portat. Et, percepto ſacramento, Imperator quidem Pontificis faciem oſculatur, Auguſta vero manum: & deſcendentes ad Altare, de manu Diaconi vinum purificationis ſumitur, & deſcendant ambo ad ſuos ſuggeſtus, ibique reſumant Imperialia ſigna. Poterit tamen Pontifex, ſi ei videbitur, ſuper Imperatorem ante ſe genuflexum, immediate, poſtquam illum cum Auguſta communicaverit, infra ſcriptas orationes dicere, videlicet: *Reſpice, quæſumus, omnipotens Deus, ſerenis obtutibus hunc glorioſum famulum tuum, N. ut, ſicut benedixiſti Abraham, Iſaac & Jacob, ſic illi largiaris benedictionem ſpiritualis gratiæ, eumque plenitudine tuæ potentiæ irrigare atque perfundere digneris, ut tribuas ei de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini & olei, & omnium frugum opulentiam. Et ex ea largitate divini muneris longæva tempora, ut illo regnante ſit ſanitas corporis, imperii pax inviolata ſit in regno, & dignitas glorioſa regalis palatii maximo ſplendore regiæ poteſtatis, oculis omnium fulgeat, luceque clariſſima coruſcare, atque ſplendeſcere, quaſi ſplendidiſſimi fulguris maxima perfuſa lumine, videatur. Tribue ei, omnipotens Deus, ut ſit fortiſſimus protector, & conſolator Eccleſiarum, atque cœnobiorum ſanctorum, maxime pietatis, regalis munificentiæ: atque ut ſit fortiſſimus triumphator hoſtium ad opprimendas rebelles & paganas nationes, ſitque ſuis inimicis facie terribilis, maxima fortitudine, Regalis potentiæ, optimatibus quoque, ac præcelſis proceribus, & fidelibus ſui regni ſit munificus, amabilis, & pius, & ab omnibus timeatur, & diligatur. Et poſt glorioſa tempora, atque fœlicia vitæ præſentis gaudia, in perpetua beatitudine habitare mereatur, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.*

Benedic, quæſumus Domine, hunc Principem noſtrum, N. quem ad ſalutem populi nobis a te credimus eſſe conceſſum. Fac annis eſſe multiplicem, ſalubri corporis robore vigentem ad ſenectutem optatam pervenire fœlicem. Sit nobis fiducia obtinere gratiam populo, quam Aaron in tabernaculo, Heliſeus in fluvio,

Ezechias

Ezechias in lecto, Zacharias vetulus impetravit in templo. Sit illi regendi auctoritas, qualem Joſue ſuſcepit in caſtris, & David ſumpſit in præliis, Petrus accepit in clave, Paulus eſt uſus in dogmate. Et ita paſtoris officium perficiat in Chriſti ovile, ſicut Iſaac profecit in fruge, & Jacob eſt dilatatus in grege. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre, &c. Deus, Pater æternæ gloriæ, ſit adjutor tuus, & protector, & omnipotens benedicat tibi, preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam in longitudinem dierum impleat: thronum regni jugiter firmet, & gentem populumque tuum in æternum conſervet: & inimicos tuos confuſione induat, & ſuper te ſanctificatio Chriſti floreat: ut qui tibi tribuit in terris imperium, ipſe in cœlis conferat præmium, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Poſt communionem Pontifex deſcendit ad Altare, & proſequitur Miſſam more conſueto. Et in fine dat benedictionem ſolennem, dicens: *Sit nomen Domini &c.* Et publicantur immediate indulgentiæ per unum ex Diaconis aſſiſtentibus, ſive plenariæ, ſive ut Pontifici placuerit. Tum Cardinales & Prælati deponunt paramenta, & accipiunt laneas cappas, Pontifex vero, dimiſſis Miſſalibus indumentis, accipit pluviale, & mitram precioſam, & cum Imperatore deſcendit ad gradus baſilicæ ſub eodem baldachino. Si eſt Dominica *Lætare Hieruſalem*, Pontifex ſiniſtra portat roſam auream, dextra benedicit aſſiſtentibus, atque hinc inde elevantibus fimbrias Diaconibus. Hanc autem auream roſam Pontifex, antequam ad Eccleſiam deſcendat, in camera Papagalli benedicit cum balſamo & muſco, quod ſingulis annis fit in tali die, prout *inferius* in ſuo loco plene ſcribemus. Si vero eſſet alius dies, dextra ſicut ſiniſtra tenebit dextram Imperatoris. Diaconus a ſiniſtris retro erit inter Papam & Imperatorem, & cum dexteritate elevabit fimbriam a dextris, caudam vero portabit major Princeps, etſi erit Rex. Principes, vel rex, & Prælati, qui venerunt cum Cæſare, dum

miſſarum & coronationis ſolennia fiunt, ſemper Cæſarem ſequuntur, & cum ipſo in ſuo ſuggeſtu conſiſtunt ſemper. Et ſimiliter, qui cum Auguſta, eam ſemper comitantur, aſſiſtuntque. Quæ, finita Miſſa, dimiſſis Pontifice & Imperatore in Eccleſia, ad domum ſuam cum ſuis revertitur.

CAPUT IV.

Proceſſio Pontificis & Cæſaris per urbem.

CÆſar vero, cum corona in capite, ſceptro & pomo in manibus, ad latus Pontificis incedens, niſi illius manu ducatur, quia tunc pomum, vel ſceptrum tantum, in ſiniſtra retineret, cum ad finem graduum pervenerit, traditis ſceptro & pomo uni ex ſuis, pervenit ad equum Pontificis, & in honorem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cujus vices Pontifex in terris gerit, tenet ſtapham, quoad Pontifex equum aſcenderit. Et deinde, accepto equi fræno, per aliquos paſſus ducit equum Pontificis. Pontifex, dum Imperator hæc humilitatis officia vult exhibere, debet aliquantulum modeſte recuſare, & tandem cum aliquibus bonis verbis honorem non in perſonam ſuam, ſed illius, cujus locum tenet, recipiendo permittit illum aliquantulum progredi: tum firmat ſe, & nullo pacto permittit Cæſarem ulterius ire: qui mox, conſcenſo equo ſuo, accedit ad ſiniſtrum latus Pontificis, & ſub eodem baldachino equitat. Et *hoc ordine* procedunt. Primum præcedant familiæ Cardinalium cum ſuis valiſiis, & ſimul mixtæ familiæ Prælatorum, Principum, & omnium Curialium tam Cæſaris, quam Pontificis. Deinde duo cum valiſiis Pontificis; inde familiares domeſtici Imperatoris, & poſt eos familiares Papæ, tum Nobiles, Barones, Comites minores utriuſque: equus cum ſcala Papæ, tum vexilla rubea, quæ duodecim curſores portant. Deinde vexillum populi Romani, vexillum Imperii, vexillum Papæ, vexillum Eccleſiæ, vexillum.

lum crucis, cum vexilliferis armatis & ornatis, ut in coronatione Papæ. Hos ſequuntur duodecim equi albi phalerati ſine ſeſſoribus. Deinde quatuor Nobiles, portantes pilea ex cramesino quatuor Papæ, cum baculis, quibus ſuccedunt Advocati & Secretarii mixtim ſecundum prioritatem officii præcedentes cum ſuis capputiis circa collum, quos tamen præcedunt Secretarii Imperatoris. Tum ſequuntur cubicularii, etiam cum ſuis capputiis: inde Acoluthi, Clerici cameræ Apoſtolicæ, & poſt eos ſtatim auditores cum rochettis & cappis. Deinde Subdiaconi, cum cruce papali, cum galero Indici coloris, & cum aliis Subdiaconis cum cappis, ut alii: tum duo portantes laternas cum lumine ante Sacramentum equitantes, deinde equus albus phaleratus cum tintinnabulo, portans Sacramentum, & ſupra Sacramentum baldachinum per cives Romanos portatur, & circa duodecim intorticia, quæ portantur per duodecim familiares Papæ, ſive per duodecim beneficiatos Sancti Petri cum ſuperpelliciis. Et melius, ut vidi ſervari per JULIUM Dominum Papam ſecundum. Poſt ſacramentum equitat Sacriſta cum ferula alba. Inde, ſi qui ſunt maximi Domini, Principes aut Duces: *Principes Electores immediate ante Cardinales procedunt.* Et ſi quis adeſſet frater, aut filius Imperatoris, iret medius inter juniores Diaconos Cardinales: REX iret a ſiniſtris ſenioris Epiſcopi Cardinalis. Et ſi plures adeſſent Reges, locarentur cum aliis Epiſcopis Cardinalibus; ſequuntur duo Diaconi Cardinales, aſſiſtentes Pontifici. Et ſi cum Cæſare eſſent duo *Principes Electores,* qui præferrent gladium & pomum Cæſaris, iſti deberent ire immediate ante Cæſarem, ſicut Diaconi ante Pontificem, & quando via eſſet arcta, irent ante ipſos Diaconos aſſiſtentes. Si vero non ſint Principes Electores, qui portant illa, videlicet gladium, pomum, ſeu ſceptrum, (nam alterum iſtorum duorum portabit Imperator) illi duo vadant ſimul cum Subdiacono, qui portabit crucem, & illum in

medio habeant. Sequitur Pontifex ſub baldachino, & Imperator cum ſua corona & imperiali habitu a ſiniſtris, poſt Pontificem ſequuntur duo Cubicularii ſecreti cum ſerviente de mitra, & duo Medici cum Secretario, ſi non ſit Prælatus. Et poſt Imperatorem duo Camerarii ſint cum uno Secretario. Inde equitabit ſerviens armorum cum uno Secretario cum umbella, deinde Prælati aſſiſtentes Papæ. Et ſi quis *Archiepiſcopus, Princeps, Elector* Imperatoris adeſſet, iret ante aſſiſtentes Papæ: poſt quos ibunt Prælati, Aſſiſtentes, ſive Conſiliarii Imperatoris cum cappis, & galeris, ut alii Prælati: alioquin non irent inter cappatos. Sequuntur deinde Prælati, Oratores, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prothonotarii, & Abbates cappati, & piliati, & demum alii curiales togati, tam Papæ, quam Cæſaris. Hoc ordine recta via per campum florum, & Judæorum plateam devenient ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Coſmedim. Et ibi Pontifex, ſi roſam habet, illam eques Imperatori equiti dono dat. Et ad dextram converſus per tranſtyberim cum ſuis omnibus ad palatium revertitur. Cæſar autem via, qua ſibi melius placet, roſam manu geſtans ad pontem Adrianum redit, ubi viros complures, & de ſe optime meritos, equeſtri dignitate inſignire ſolet.

Quo facto, ad Lateranum cum ſuis progreditur. Canonici, & capitulum Eccleſiæ ſupplicabundi Cæſari in porta principali occurrentes, illum honorifice ſuſcipiunt, & poſtquam crucem, & reliquias oſculatus fuerit, incenſant, & præcedentes, atque cantantes: *Te Deum laudamus,* ad Altare majus deducunt: ubi procumbens ſuper faldiſtorium, orat detecto capite: deinde ſurgens oſculatur Altare. Tum, reaſſumpta corona, recipitur in Canonicum, & in fratrem Eccleſiæ Lateranenſis, & Canonicos omnes recipit ad oſculum pacis. Quibus finitis, aſcendit ad palatium Lateranenſe, & cum ſuis celebrat ſolenne convivium ſuis moribus & cerimoniis. Deinde, ſi placet, recurrit ad palatium Apoſtolicum ad cameras ſuas.

CAPUT

CAPUT V.

De Coronatione Imperatoris, abſente Papa.

SI quando autem accideret, quod propter abſentiam Summi Pontificis ab urbe, Cæſar non poſſet ab ipſo Pontifice coronari, conſuevit Pontifex mittere ad urbem aliquem *Epiſcopum Cardinalem*, qui ſimul cum *Legato Apoſtolico*, qui urbi præeſt, Imperatorem electum coronet. Si autem Legatus eſſet iſte Epiſcopus Cardinalis, non eſſet neceſſarium, mittere alium Epiſcopum, ſed, quemcunque vellet, alium Presbyterum Cardinalem. Et tunc procedetur hoc modo:

Electus Imperator ad urbem veniens pro corona Imperiali, habebit obviam Barones, Nobiles, Officiales, civesque urbis, & Officiales Curiæ Romanæ, & remanebit extra mœnia illa nocte, ut ſupra dictum eſt. Sequenti die intrabit per portam ſub arce ſancti Angeli, quæ, ut diximus, non eſt Collina, cum ſuis Principibus ordine prædicto. Et in porta recipietur a Vicario Pontificis, cum Prælatis, & Clero urbis, in modum ſupplicantium paratis. Et deducetur, ut ſupra, ad gradus baſilicæ ſancti Petri, ibique non ſuper ſuggeſtum, ſed ante primas portas recipietur ad oſculum tantum per Epiſcopum Cardinalem, Coronatorem & Legatum, qui ibi aderunt cum aliis Prælatis curiæ, parati cum pluvialibus & mitris. Aderunt etiam cum Cardinalibus Officiales curiæ, Subdiaconi, Auditores, Acoluthi, & ſi qui ſunt alii: & etiam Barones, aliique nobiles Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Et electus ſtatim poſt oſculum offerat aurum duobus Cardinalibus, quod offerre debet Pontifici, & dicat hæc verba: *Si ſanctiſſimus Pater, Dominus noſter, N. Summus Pontifex, præſens hic eſſet, offerrem illi aurum iſtud præſens: ſed per ejus abſentiam offero ipſum vobis Dominis Epiſcopo & Legato Cardinalibus, recipientibus illud vice & nomine Domini noſtri Papæ.*

Quo facto, intrabunt porticum : & ſi tunc erit procedendum ad ſolennitatem coronationis, quod commode & decenter fieri poteſt, ibi ſupra Altare Sanctæ Mariæ in turribus præſtabit *juramentum fidelitatis* in manibus Cardinalium. Et ſimiliter, ſi aliud juramentum eſſet innovandum, ſeu confirmandum, tunc immediate innovabit, & deinde recipietur in *Canonicum* Eccleſiæ Sancti Petri, ut ſuperius dictum eſt : intrabit deinde Eccleſiam, & ibi ante portam argenteam Epiſcopus Cardinalis dicet ſuper eum primam orationem. Deinde ducitur ad capellam Sancti Gregorii, ad capienda ſua ornamenta : & Epiſcopus Cardinalis vadit ad Altare majus, & ibi ſuper faldiſtorium capit ſandalia & paramenta omnia Pontificalia. Et nota, quod debet habere expreſſe facultatem a Pontifice ſuper Altare beati Petri celebrandi, ut moris eſt. Cæſar indutus imperialibus indumentis, venit ad medium Eccleſiæ, & ibi ſuper eum Legatus Apoſtolicus dicet ſecundam orationem. Veniet deinde ad confeſſionem beati Petri, & procumbet in faldiſtorio, & Diaconus, qui ſervit in Miſſa, facit ſuper eum litaniam : orationem autem cum verſiculis, & *Pater noſter*, dicet Legatus Apoſtolicus. Deinde ducetur ad Altare *Sancti Mauritii*, & ibi inungetur a Cardinale celebrante, tam ipſe, quam Auguſta, ſi adeſt, cum orationibus opportunis. Revertentur deinde ad Altare. Et facta confeſſione, Imperator ad ſuggeſtum, ſine oſculo pacis, ad faldiſtorium ſuum revertitur. Et proceditur in miſſa usque ad Graduale. Dum cantatur Graduale, Imperator deſcendit ad Altare, & celebrans Cardinalis ante Altare ſtans cum mitra, gladium ſumit de Altari, & illum nudum Imperatori tradit, dicens : *Accipe gladium &c.* Et idem dicit Legatus, ſubmiſſa tamen voce, det eidem mox pomum & ſceptrum cum ſua oratione : *Accipe virgam.* Mitras autem & coronas Imperiales ambo imponent Cæſari & Auguſtæ. Sed Legatus alta voce profert verba : *Accipe ſignum &c.*

Et

Et celebrans dicet eadem voce ſubmiſſa. Coronati Auguſtus & Auguſta, revertuntur ad ſuos ſuggeſtus ſine oſculo pacis: & ad offertorium veniunt cum coronis, & habitu Imperiali. Et, oblato auro, revertuntur ad ſuggeſtus, neque miniſtrabit Imperator calicem & ampullam: ſed tempore congruo veniet ad communionem ſine manto, & coronis. Poſt communionem Imperatori non dabitur oſculum pacis a celebrante, ſed revertetur ad ſuum ſuggeſtum. Imperator, finita Miſſa, ipſe cum ſuis, & cum Legato, ſi placebit, ibit ad Lateranum, & ibi perficiet ſuas ſolennitates. Cerimoniæ omnes, quæ pertinent ad perſonam Pontificis, dimittantur, ut oſcula pedum, manuum, & oris. Quin etiam nec in miſſa illi deſerviet Imperator, quod Pontifici præſtitiſſet præſenti: nec ſtapham illi, dum equum inſcendit, tenet, nec equum ducit.

Hæc fere omnia ſervata fuerunt, cum CAROLUS IV. coronatus fuit Romæ per Dominum Petrum, Epiſcopum Hoſtienſem: quem ex Avinione INNOCENTIUS VI. nuncium Apoſtolicum ad hoc miſerat & per Dominum Egidium de Albornozio, tituli Sancti Clementis Presbyterum Cardinalem ac Legatum Apoſtolicum in Italia, Anno ſalutis *Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto, Nonis Aprilis,* ut ex literis ipſius *Caroli*, quæ adhuc extant, & regiſtratæ ſunt in archiviis Eccleſiæ, publice patet. Voluit tamen idem Pontifex, quod Cardinales prædicti publice proteſtarentur Domino Imperatori, quod propter omiſſionem reverentiarum, obſequiorum, & multarum cerimoniarum, quæ pertinent ad perſonam Romani Pontificis, non eſſet aliquomodo derogatum privilegiis & honorificentiis Romanæ ſedis, & ſuorum ſucceſſorum. Et de hac proteſtatione & conſenſu Imperatoris exigerent quadruplices literas, Regalibus & Imperialibus ſigillis munitas, ſicut & factum eſt.

CAPUT

CAPUT VI.

De Coronatione Imperatricis ſine Imperatore.

IMperatrix ſi venerit Romam, pro corona Imperiali ſuſcipienda ſine Imperatore, vel quod non potuit venire cum Imperatore, vel poſt ejus coronationem ei eſt conjuncta, hoc ordine coronabitur. Die, qua urbem intrabit, procedent ei obviam nobiles, & officiales urbis, & ordines curiæ, ut de Cæſare dictum eſt. Sacer Senatus ante portam urbis eam expectabit, & media inter duos primos Cardinales Diaconos introducetur. In fine autem clerus cum proceſſione in porta illi occurret, & ſub Baldachino ducetur ad Pontificem, qui eam in publico Conſiſtorio in prima aula, ad pedis & manus oſculum recipiet, ut alii Reges recipi conſueverunt: non tamen ſedebit inter Cardinales, ſed poſt oſculum pedis & manus diſcedet ad ſuum hoſpitium. Deinde parabitur in Eccleſia ſancti Petri ſuggeſtus extra cancellos pro Imperatrice, & dicta die Pontifex procedet ad Eccleſiam ſupplicatione præeunte ſub baldachino, & paramentis tempori congruis aſcendit ad Altare, orat, ſedet. Pontifex autem ſtat, ubi ſolet capere paramenta: cui fit reverentia a Prælatis. Incipitur Tertia, & accipiet ſandalia, & procedet uſque ad finem Tertiæ, & capit omnia Pontificalia indumenta. Interim duo juniores Diaconi Cardinales, cum ſuis cappis laneis, ducunt Auguſtam ad Eccleſiam, & prior Epiſcopus Cardinalis cum pluviali, ſtola, & mitra accedens in tempore, expectat eam in porta Eccleſiæ principali, & ibi ſuper eam genuflectentem, depoſita mitra, legit hanc orationem:

Omnipotens ſempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis: qui fœminei ſexus fragilitatem nequaquam reprobando avertis: ſed dignanter comprobando potius eligis, & quod infirma mundi quæcunque, ut fortia confunderes, eligenda decreviſti: quique

etiam

etiam gloriæ virtutisque tuæ triumphum in manu fœminæ judaicæ olim plebis de hoſte ſæviſſimo aſſignare voluiſti. Reſpice, quæſumus, ad preces humilitatis noſtræ, ut ſupra hanc famulam tuam, N. quam ſupplici devotione Imperatricem eligimus, benedictionum tuarum dona multiplices, eamque dextera tuæ potentiæ ſemper & ubique circumda: & ut dono tui numinis undique firmiter adjuta, ut viſibilis, ſeu inviſibilis hoſtis nequitias triumphaliter expugnare valeat, & una cum ſacra Rebecca, Lia, atque Rachele, beatis reverendisque fœminis, fructu uteri ſui fœcundari, ſeu gratulari mereatur ad decorem totius Imperii, ſtatumque Sanctæ Eccleſiæ regendum, nec non protegendum, per Chriſtum, Dominum noſtrum, qui ex intemeratæ Beatæ Mariæ Virginis alvo naſci, viſitare & renovare dignatus eſt mundum. Qui tecum vivit, & gloriatur Deus in unitate Spiritus Sancti per immortalia ſecula ſeculorum, Amen. Ducitur deinde ad confeſſionem beati Petri, & procumbit ſupra faldiſtorium ſibi in eo loco paratum. Et a Subdiacono Apoſtolico fit litania: & ea finita, prior presbyterorum cum ſuis paramentis ad confeſſionem deſcendens, ſtans ſine mitra, dicit ſuper eam: *Pater noſter.* Et deinde: *Et ne nos inducas in tentationem.* Reſpond. *Sed libera nos a malo.* Verſ. *Salvam fac ancillam tuam, Domine.* Reſpond. *Deus meus ſperantem in te.* Verſ. *Eſto ei, quæſumus Domine, turris fortitudinis.* Reſpond. *A facie inimici.* Verſ. *Nihil proficiat inimicus in ea.* Reſpond. *Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Verſ. *Domine exaudi orationem meam.* Reſpond. *Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum Spiritu tuo.* Oremus: *Prætende, quæſumus Domine, famulæ tuæ dextram cœleſtis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne poſtulat, conſequi mereatur. Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra operatio & oratio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.*

 Finitis

Finitis orationibus, revertitur Presbyter ad locum ſuum, & prior Epiſcoporum Cardinalium procedet ad Altare Sancti Mauritii, quem Auguſta media inter Diaconos ſequitur. Et ibi apud Altare Epiſcopus ipſe inungit illam ſtantem de oleo exorcizato, brachium dextrum, & ſcapulas, ſtans cum mitra, dicens:

Spiritus Sancti gratia, noſtræ humilitatis officio, copioſa in te deſcendat, ut, ſicut manibus noſtris licet indignis, oleo materiali oblinita pingueſcis exterius: ita ejus inviſibili unguine delibuta impinguari merearis interius, ejuſque ſpirituali unctione perfectiſſime ſemper imbuta, & illicita declinare tota mente, & ſpernere diſcas, & valeas, & utilia animæ tuæ jugiter optare atque operari queas, & opereris, auxiliante Domino noſtro Jeſu Chriſto. Qui tecum vivit & regnat in unitate, &c. Reducitur deinde ad ſuggeſtum ſuum Imperatrix, & Cardinales revertuntur ad Pontificem, & Diaconi quidem, depoſitis cappis, capiunt paramenta ſibi convenientia, & faciunt reverentiam Pontifici. Deinde Pontifex procedit ad Altare per ſupplicationem: occurrunt tres Presbyteri, cantatur Introitus a cantoribus: & proceditur in miſſa uſque ad Graduale more ſolito. Imperatrix a Diaconis illis, quamvis paratis, ducitur ante Pontificem, qui ſurgens, depoſita mitra, ſuper eam, ante ſe genuflexam, dicit hanc orationem: *Oremus: Deus, qui ſolus habes immortalitatem, lucemque habitas inacceſſibilem, cujus prudentia in ſua diſpoſitione non fallitur: qui feciſti ea, quæ futura ſunt, & vocas ea, quæ non ſunt: qui ſuperbos æquo moderamine de principatu ejicis, atque humiles dignanter in ſublime provehis: ineffabilem miſericordiam tuam ſupplices exoramus, ut, ſicut Heſter Reginam Iſraheliticæ cauſa ſalutis de captivitatis ſuæ compede ſolutam ad Regis Aſſueri thalamum, regnique ſui conſortium tranſire feciſti: ita hanc famulam tuam, N. humilitatis noſtræ benedictione, Chriſtianæ plebis ſalutis gratia, ad dignam ſublimemque Imperatoris noſtri copulam, & Imperii ſui participatum*

tranſire concedas, & ut Imperialis fœdere conjugii ſemper permanens, pudicitiæ proximam virginitati palmam continere queat, tibique Deo vivo ac vero in omnibus & ſuper omnia jugiter placere deſideret, &, te inſpirante, quæ tibi placita ſunt, toto corde perficiat, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen. Deinde ſedens cum mitra imponit illi Tiaram cum corona Imperiali, allatam ſibi ex Altari, ut diximus de Imperatore, & dicit: *Officio noſtræ indignitatis in Imperatricem ſolenniter benedictam, accipe coronam Imperialis excellentiæ, quæ licet ab indignis, Epiſcopalibus tamen manibus capiti tuo imponitur, unde ſicut auro & gemmis redimita enites, ita & interius auro ſapientiæ, virtutumque gemmis, decorari concedat: quatenus poſt occaſum hujus ſeculi cum prudentibus Virginibus ſponſo perenni Domino Jeſu Chriſto digne & laudabiliter accurrens, regni cœleſtis aulæ ingredi merearis januam, eodem Domino noſtro auxiliante, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit &c.*

Coronata Imperatrix mox oſculatur pedem Pontificis cum corona, & ſurgens reducitur a Diaconis ad ſuggeſtum, & cum cantatur deinde offertorium, revertatur ad Pontificem, & illi offerat aurum, quantum placet: deinde, ſi vult communicare de ſacramento Altaris, (ut congruum eſt) procumbat ſuper faldiſtorium ad partem convenientem, ſitum, ut ſuperius diximus, & oret, quouſque ſit tempus, cum corona tamen; & cum Pontifex in ſede ſua eminenti communicaverit, ducatur Imperatrix ſine corona ad ejus pedes, & communicet, oſculeturque manum Pontificis: & deſcendens ad Altare, purificet cum vino, communicabitur Imperatrix poſt Diaconum & Subdiaconum, & a Diacono accipiet vinum purificationis. Deinde, aſſumpta corona, reducetur ad ſuum ſuggeſtum.

Et nota, quod Imperatrix deducetur ſemper eundo & redeundo ab illis duobus Diaconis, ſive paratis, ſive non paratis: & illam ſociabunt ſui Prælati & Proceres, atque ma-

tronæ & aliæ mulieres. Finita miſſa, Imperatrix deducitur ad ſuum hoſpitium, Pontifex cum ſuis Prælatis non paratis revertitur ad cameram ſuam: nam Cardinales & Prælati dimittunt in Eccleſia paramenta, & capiunt cappas laneas.

CAPUT VII.

De triplici Imperatorum Corona.

ET quoniam vulgari opinione fertur, Romanorum Imperatorem tribus coronis ornari oportere variorum metallorum, *Argentea*, Aquisgrani in Germania, *ferrea*, Modætiæ in Lumbardia, & *aurea* Romæ. Super qua re clariſſimus Jureconſultorum ſui temporis BALDUS opuſculum edidit, myſticas metallorum ſignificationes ſolertiſſime interpretando: non videbitur fore abſurdum, aliquid de ea re pro veritate oſtendenda differere. Et ut omittamus priſcos illos Romanorum Imperatores, qui toti fere orbi imperabant, ante Aurelianum, ut *Eutropio* placet, nulla corona niſi laurea, aut ex alia aliqua felici arbore uſos fuiſſe, nihilque gravius odiſſe populum Romanum, quam Regium nomen. Hoc vero affirmamus, ante CAROLUM MAGNUM, in cujus perſonam Imperium translatum eſt a Græcis in Latinos, neminem Imperii Romani coronam ex manu Romani Pontificis Romæ ſuſcepiſſe. Et ut ſæpe a PIO II. *audivimus, rerum Germanicarum peritiſſimo, cui a manu ſervivimus:* & in *Auſtrali* ejus *hiſtoria* legimus, Cæſar nullam omnino coronam accipit, niſi auream: & alias quidem coronas pro variis regnis, *Romæ* vero, & a Romano Pontifice Romani Imperii coronam ſuſcipit. *Otho,* Friſingenſis Epiſcopus, & FEDERICI I. patruus, vir doctus & eloquens, hiſtoriam ſcripſit ſuorum temporum: in ea tradit, Federicum ipſum coronis quinque aureis decoratum fuiſſe: prima de regno *Francorum,*

apud Aquisgranum: ſecunda Ratiſponæ, de regno *Germaniæ:* tertia Papiæ, de regno *Langobardico:* quartam *Romæ* ſuſcepit pro Romano imperio ab HADRIANO IV. Summo Pontifice: quintam vero MODÆTIÆ pro regno Italico illum ſuſcepiſſe teſtatur. Quæ quidem corona ideo appellatur *ferrea,* quod laminam quandam habeat ferream in ſummitate, alioquin aurea & precioſiſſima. Sed differt forma coronæ Imperialis ab aliis: nam ea ſub ſe Tiaram quandam habet in modum fere Epiſcopalis mitræ, humiliorem tamen, magis apertam & minus acutam: eſtque ejus apertura a fronte, non ab aure: & ſemicirculum habet per ipſam aperturam aureum, in cujus ſummitate crux parvula eminet, eam Tiaram aliæ coronæ non habent. Et quoniam hanc Imperialem *coronam bis aut ter in Germania vidimus,* dum Cæſar regalia quibusdam Principibus concederet, ideo illam exprimere conati ſumus. Legimus & in aliis hiſtoriis, quosdam Imperatores *Arelate* etiam coronam ſuſcepiſſe de regno Arelatenſi, & alibi alias pro aliis regnis. Nam & CAROLUS IV. Avinionem venit ad URBANUM V. Anno ſalutis *milleſimo, tricenteſimo, ſexageſimo primo,* jam pridem juſſu INNOCENTII VI. Romæ Imperator coronatus. Qui, rebus, quarum gratia ad Pontificem venerat, abſolutis, *Arelate* profectus eſt, ubi per Epiſcopum ejus urbis regni Arelatenſis corona decoratus eſt. Sciant ergo, qui de tribus coronis fabulantur, & Romanorum Imperatorem unam tantum pro Romano Imperio coronam ſuſcipere, & eam quidem *Romæ* & a *Romano Pontifice,* alias autem alibi pro aliis & diverſis regnis.

SECTIO VI.

DE CANONIZATIONE UNIUS SANCTI.

CAPUT I.

Et primo de Inquiſitione & commiſſione cauſæ.

POſtquam, increbreſcente fama de excellentia vitæ, opinione ſanctitatis, & miraculorum coruſcatione, ſummus Pontifex ſæpe fuerit per Reges, Principes ſeu populos certior factus, rogatusque, ut aliquem vita jam functum aſſcribendum in Sanctorum catalogo, & venerandum ut Sanctum, decernat. Re cum fratribus mature tractata, ſi procedendum ad inquiſitionem cenſuerit, committat aliquibus Prælatis in illis partibus, ubi vitam duxit & mortuus jacet ille, de quo agitur, ut ſe diligenter informent & ſolerter inquirant de fama, opinione, & devotione populorum circa illum talem: quam inquiſitionem in genere, & ſine teſtium juridica examinatione facere debent: & quæ invenerunt, ſuis literis ad Summum Pontificem fideliter referre. Pontifex, intellecta Commiſſariorum relatione, proponit omnia ſacro Collegio, & cum eis deliberat, an ſatis digna videantur quæ relata ſunt ad ulterius inquirendum: quod ſi placuerit, committatur iisdem vel aliis Prælatis, ut diligentiſſime inquirant de veritate rei, teſtes examinent, & omnia perſcrutentur, quæ ad veritatem eliciendam ſunt opportuna. Et debent his Commiſſariis articuli & interrogatoria mitti ſub Bulla Apoſtolica: cum quibus examinare debent teſtes de excellentia & ſanctimonia vitæ, de puritate fidei, de patratione miraculorum: & illis mandare, ut depoſitiones teſtium, & omnia fideliter per literas, ſuis ſigillis ſignatas, ad Curiam tranſmittant. Quibus receptis, Pontifex committat

illa

illa examinanda aliquibus Auditoribus ſacri palatii, qui videant & ordinent proceſſum: & videant, an inquiſitio & probatio eſt legitima, & ſufficienter facta.

Deinde, ſi retulerunt, rem bene eſſe paratam, iterum de conſilio fratrum committat tribus Cardinalibus, Epiſcopo, Presbytero, & Diacono, qui diligenter examinent inquiſitionem, probationes & depoſitiones teſtium: & conſiderent ſolertiſſime omnia conſideranda. Et cum placuerit ſanctiſſimo Domino noſtro, referant in ſecreto Conſiſtorio. Et primo de excellentia vitæ & fidei puritate: quæ ſi judicabuntur collegio bene probata, & digna ſanctificatione, tunc procedent ad narrationem, & probationem miraculorum, & de conſenſu Cardinalium finiet Summus Pontifex vitam, & miracula: quæ ita erunt ſufficienter eſſe probata. Deinde deliberabunt, an quæ probata ſunt, videantur talia, propter quæ merito ſit decernenda canonizatio. Tunc ex conſilio fratrum definit Pontifex, canonizationem eſſe faciendam. Fit poſt hæc publicum Conſiſtorium, in quo Pontifex cum pluviali rubeo, & mitra precioſis reſidet, & advocatus cauſæ longa oratione proponit *vitam, geſta, & miracula canonizandi*, & demum *ſupplicat* nomine Principum & populorum, qui de ea re ſcripſerunt, *bonæ memoriæ* talem aſſcribendum eſſe a ſua Sanctitate in catalogum Sanctorum Chriſti: utque a cunctis fidelibus pro Sancto veneretur, decernendum. Pontifex, audito Advocato, laudat ejus facundiam: dicit, libenter ſe audiviſſe tam miranda illius viri præconia: velle tamen ſuper hac re maturius cum fratribus ſuis deliberare, hortari, atque monere omnes, ut divinam clementiam implorent, quatenus dignetur inſpirare in mente ſua, & fratrum ſuorum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, atque omnium Prælatorum, quorum conſilio in tanto negotio ſit uſurus, ea, quæ ſuæ placitura ſunt divinitati: neque permittat errare Eccleſiam ſuam Sanctam. Prælatos vero monet, ut ſuper his

cogi-

cogitare debeant, ut cum requiſiti fuerint, mature poſſint reſpondere. His dictis, finitur Conſiſtorium. In hujusmodi Conſiſtorio, ut apud *antiquos codices* legimus, ſolebant ſex, aut octo Prælati ſucceſſive orare, narrantes merita canonizandi, & ſupplicantes pro canonizatione: Advocatus autem in principio tantummodo petebat a Pontifice, ut Prælati audirentur, & ſupplicabat, ut canonizatio decerneretur. Poſt hæc, cum placuerit ſanctiſſimo Domino noſtro, vocentur omnes Prælati curiæ in ſecreto Conſiſtorio cum Pontifice, & ſacro Collegio, & ibi proponat breviter Sanctitas ſua, ad quid vocati ſint: deinde, ſi placet, per Advocatum faciat ſummatim repeti vitam & miracula canonizandi, & quæ ſunt probationes in genere tantum. Poſt hæc narret, quanta cum diligentia & fide inquiſitio & proceſſus ſuper hac re factus ſit, de multiplici & canonica atteſtatione, de inſtanti Principum & populorum poſtulatione. Et demum conſcientiam illorum onerando, exquirat ſigillatim a quolibet ſuam in ea re ſententiam, & cum omnes finierint, agit gratias de bono conſilio, & hortatur eos, ut orent Deum, ne ſinat ſe errare in tanto negotio: & ſic omnes recedunt. In hoc Conſiſtorio debent eſſe Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, ad quos tantum pertinet dicere ſententiam ſuam. Poterunt intereſſe aliqui Protonotarii ordinarii, ut ſint rogati de his, quæ gerantur. Aderunt etiam auditores rotæ, & maxime commiſſarii cauſæ, ut, ſi quid eſſet declarandum, poſſint, ut bene informati, mentes aliorum declarare. Summus Pontifex erit cum mitra & pluviali: procurator fiſcalis aderit, & faciet rogatos protonotarios de conſilio & conſenſu Prælatorum. Deliberatur deinde dies canonizationis, & interim in Eccleſia conſtruitur ſuggeſtus ligneus tantæ amplitudinis, ut ſuper illum inſtituatur, apteturque capella cum Altari, credentiis, throno Pontificali, ſedibus Cardinalium aſſiſtentium Papæ, oratorum, Prælatorum, choro pro cantoribus & locis omnium ordinum

Romanæ

Romanæ curiæ ad inſtar capellæ palatii Apoſtolici a cancellis, & ſupra quoad formam ſedilium, & capacitatem. In eo ſuggeſtu erunt duæ ſedes Papales, una eminens ad ſiniſtram partem, & alia erit amovibilis; aſcendetur ad ſuggeſtum per pontem cum duplici oſtiolo a capite, & in imo, ornabitur ſuggeſtus in extremitatibus circumcirca cum herbis & floribus, & intus cum pannis & tapetis opportunis ornabitur Eccleſia, & ſuſpendentur per totum inſignia Pontificis, Eccleſiæ, & imago canonizandi, atque etiam inſignia procurantium canonizationem: fiet baldachinum novum cum inſignibus Pontificis, procuratorum canonizationem, & imagine Sancti: quod debet ſuſpendi ſupra Altare, ubi Pontifex celebrat. Fiet etiam vexillum magnum cum imagine Sancti, quod portabitur ante religioſos, ſive illos, qui procurant canonizationem, & ponitur ſupra oſtium ſupra ſuggeſtum. Cum Pontifex venit ad Eccleſiam, ponuntur circum circa ſuper deambulatorium intorticia, numero octuaginta, vel circa ſex librarum pro quolibet: quæ ardeant, dum fit officium. Paretur cera diſtribuenda, in primis pro Pontifice duæ ceræ albæ duodecim librarum pro qualibet, pro Cardinalibus quatuor libræ. Item pro elevatione Sacramenti duodecim intorticia, librarum ſex pro quolibet: pro Altari ſeptem cerei, & duo pro credentia duarum librarum. Item pro offertorio duo magni cerei duodecim librarum, quos offert primus Cardinalis. Item tres cerei ſex librarum, quos offerent tres Oratores, ſeu deputati cum tribus Cardinalibus. Et omnes cerei ſupradicti erunt albi, præter octuaginta intorticia Eccleſiæ. Item ordinentur cerei de cera communi pro Prælatis, oratoribus, & magnis nobilibus duarum librarum: pro officialibus & cantoribus unius libræ: pro clero & aliis, ut placuerit. Intimetur etiam clero urbis, ut ſummo mane conveniant ſupplicantes in porticu Eccleſiæ Sancti Petri.

CAPUT II.

De his, quæ fiunt in die canonizationis.

STatuta igitur die canonizationis, Pontifex paratus pluviali rubeo & mitra preciosis, cum Cardinalibus, Prælatis & officialibus paratis processionaliter deſcendit ad Eccleſiam ſub baldachino. In camera paramenti diſtribuuntur cerei, & ab omnibus portantur accenſi. Cum vero Pontifex pervenerit ad porticum Sancti Petri, excipitur ibi a clero urbis, in modum ſupplicantium parato: intrat Eccleſiam Pontifex, & aſcendit ſuggeſtum cum Prælatis & aliis officialibus: clerus vero ſuggeſtum circumſtat. Pontifex oratione facta ante Altare, aſcendit eminentem ſedem, & accipit Cardinales & Prælatos paratos ad reverentiam. Qua facta, deſcendit, & ſuper aliam ſedem, ſibi ante Altare paratam, ſedet verſus renes ad Altare, ubi facit ſermonem, referens quæ geſta ſunt, & vitam ac miracula Sancti ſummarie & in genere. Demum hortatur omnes, ut ſecum pariter Domino pias preces fundant, orantes, ne permittat errare Eccleſiam ſuam in hoc negotio. Surgit deinde Pontifex, removetur ſedes, & procumbit ſuper faldiſtorium cum mitra. Cantatur litania a cantoribus, & nulla fit mentio de canonizando, omnibus in terram genuflexis orantibus. Finita litania, Diaconus a dextris ſurgit, & verſus ad populum alta voce dicit: *Orate;* iterum genuflectit, & omnes prolixius orant: tum Diaconus a ſiniſtris ſurgens, eodem modo dicit: *Levate,* & omnes ſurgunt. Tunc Pontifex, ſtans ſine mitra, incipit in voce: *Veni creator Spiritus,* & tam ipſe, quam alii omnes genuflectunt ad primum verſum. Cantores proſequuntur hymnum, & Pontifex cum mitra aſcendit ad ſedem eminentem, & mitra depoſita, expectat finem hymni, quo completo, duo cantores dicunt verſum: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur:* & alii

reſpon-

reſpondent: *Et renovabis faciem terræ.* Et Pontifex: *Oremus: Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium tuum: qui tecum, &c.* Tunc procurator cauſæ inſtanter petit a Pontifice nomine procuratorio, & nomine Principum &c. pronunciari & declarari beatum N. in Sanctorum catalogum aſcribendum, & ut ſanctum venerandum a Chriſti fidelibus. Pontifex antequam pronunciet, conſuevit *proteſtari* in hanc formam, quod invenimus ſervatum a multis Pontificibus. Sunt tamen aliqui clariſſimi viri, qui dicunt hoc introductum ex quadam cauſa, quæ nunc ceſſat, quia Papa tunc quodammodo cogebatur ad canonizandum quendam contra ſuam opinionem, & propterea proteſtabatur, nunc autem non videri congruam illam proteſtationem. Sed de hoc ſtatuat Summus Pontifex, & ſacer ſenatus.

Forma Proteſtationis.

Antequam ad pronuntiationem veniamus, proteſtamur publice apud vos præſentes, quod per hunc actum canonizationis, non intendimus aliquid facere quod ſit contra fidem aut Eccleſiam catholicam, ſive honorem Dei. Deinde alta voce, ſedens tamen cum mitra, pronunciat in hunc modum: *Ad honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, & exultationem fidei catholicæ, ac Chriſtianæ religionis augmentum, auctoritate ejuſdem Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, de fratrum noſtrorum conſilio decernimus & definimus, bonæ memoriæ, N. ſanctum eſſe, & Sanctorum catalogo adſcribendum, ipſumque catalogo hujuſmodi adſcribimus: ſtatuentes, ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet in die tali feſtum ipſius, & officium, ſicut pro uno confeſſore* (ſi ſit Confeſſor) *vel Martyre* (ſi ſit Martyr) *devote & ſolenniter celebretur.* Et ſi Domino Papæ placuerit, poterit addere iſta verba:

inſuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui annis ſingulis ad ſepulturam ejuſdem in die tali devoti acceſſerint, unum annum & 40. dies: accedentibus vero annis ſingulis in octavas dicti feſti ad ſepulturam, quadraginta de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

Quibus finitis, Procurator fiſcalis rogat Protonotarios &c. de proteſtatione facta per Papam; & Procurator cauſæ ſimpliciter rogat de ſolenni pronunciatione canonizationis, & petit inſtrumentum, & a Papa decerni bullas ſuper his opportunas: & mox ſurget Pontifex ſine mitra, & incipit: *Te Deum laudamus:* & chorus proſequitur. Diaconus a dextris in fine dicit: *Ora pro nobis, beate N.* Et Pontifex deinde dicit orationem de communi, ſancto canonizato convenientem (ſi non habetur propria) & concludit, *per Chriſtum Dominum noſtrum.* Finita oratione, Diaconus a dextris ſtans ante Pontificem, dicit alte: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* & poſt Apoſtolos nominat *Sanctum* N. & Papa ſine mitra cruce ſua præſente dicit: *Precibus & meritis, &c.* & in fine dat indulgentias, ut ſibi placet. Legimus BONIFACIUM IX. Pontificem, cum canonizavit beatam BRIGIDAM, dediſſe plenariam indulgentiam viſitantibus Eccleſias beati Petri & Sancti Laurentii in Paniſperna, ubi jacebat corpus illius Sanctæ.

His finitis, Pontifex incipit *Tertiam,* & accipit ſandalia, vel, ſi magis placet, dimiſſa Tertia, accipit paramenta omnia Pontificalia, & canit Miſſam ſolitis cerimoniis, vel de ſancto: vel ſi aliqua ſolemnitas eſſet, cantat de die cum commemoratione de ſancto: & ſi non poſſet, aliquis Cardinalis celebret pro eo. Dum cantatur *Credo,* tres Cardinales commiſſarii deſcendunt ad portam inferiorem ſuggeſtus, & ordinant offertorium: & debito tempore, antequam Papa lavat manus in ſede eminenti, veniunt ordinate. Et primus, id eſt, Epiſcopus Cardinalis, offert duos magnos cereos, & cum eo

primus

primus orator offert cereum ſuum, & caniſtellum deauratum cum duabus turturibus. Tum Presbyter Cardinalis offert duos magnos panes cum mappulis, & ſecundus orator cereum ſuum & caniſtellum argentatum cum duabus columbis albis: ultimo Diaconus Cardinalis offert duo vaſa vini: & tertius orator ſuum cereum & caniſtellum diverſorum colorum, cum variis aviculis, Cardinales oſculantur genu, alii pedem Summi Pontificis: proceditur deinde in Miſſa, ut alias.

SECTIO VII.

DE PLURIBUS BENEDICTIONIBUS.

CAPUT I.

Ordo ſervandus in Creatione novi Ducis, a PAULO II. inſtitutus.

CReandus in Ducem per Summum Pontificem, veniet ad cameram Pontificis indutus manto aureo, panno contexto, aperto a dextro humero ad terram uſque, & ſequitur Pontificem ad Eccleſiam deſcendentem, portabitque caudam pluvialis. Facta oratione ante Altare, Pontifex ſtatim faciet confeſſionem cum celebrante: deinde aſcendet ad ſedem eminentem, & recipit Cardinales ad reverentiam: non tamen imponit incenſum, nec cantores incipient *Introitum*, & interim creandus Dux ſedet ad pedes Pontificis ſuper primum gradum, & celebrans, oſculato Altari, accedet ad ſuum faldiſtorium, & ibi expectabit. Finita reverentia, creandus Dux accedit ad pedes genuflexus ſanctiſſimi Domini noſtri, & *fit miles Sancti Petri, etiamſi prius erat miles.*

CAPUT II.

Ordo benedicendi novum militem.

POntifex primo ſtans ſine mitra benedicit enſem, quem unus ex acoluthis nudum tenet in manu, dicens: *Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Reſpond. *Qui fecit cœlum & terram.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſpond. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum:* Reſpond. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Exaudi quæſumus Domine, preces noſtras, & hunc enſem, quo hic famulus tuus circumcingi deſiderat, majeſtatis tuæ dextra dignare bene✠dicere, quatenus eſſe poſſit defenſor Eccleſiarum, Viduarum, Orphanorum, omniumque Deo ſervientium, contra ſævitiam paganorum, aliisque ſibi inſidiantibus ſit terror, & formido: præſtans ei, quæ perſecutionis & in defenſionis ſint effectum: Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. Benedic Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per invocationem ſancti tui nominis, & per adventum Chriſti filii tui, Domini noſtri, & per donum Spiritus Sancti paracleti, hunc enſem, ut hic famulus tuus, qui hodierna die eo, tua concedente pietate, præcingitur, inviſibiles inimicos ſub pedibus conculcet, victoriaque per omnia potitus, maneat ſemper illæſus, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.* Deinde aſpergit aquam benedictam. Tum ſtans ſine mitra, dicit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum: miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus, & liberator meus, protector meus, & in ipſo ſperavi, qui ſubdit populum ſub me. Gloria Patri & Filio &c. Sicut erat in principio &c.* Verſ. *Salvum fac ſervum tuum, Domine.* Reſp. *Deus meus ſperantem in te.* Verſ. *Eſto ei, Domine, turris fortitudinis.* Reſp. *A facie inimici.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſpond. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Domi-*

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cuncta ſolus ordinas, & recte diſponis: qui ad coercendam malitiam reproborum, & tuendam juſtitiam, uſum gladii in terris hominibus tua ſalubri diſpoſitione permiſiſti, & militarem ordinem ad populi protectionem inſtitui voluiſti: quique per beatum JOANNEM Baptiſtam militibus ad ſe in deſerto venientibus, ut neminem concuterent, ſed propriis ſtipendiis contenti eſſent, dici feciſti, clementiam tuam Domine ſuppliciter exoramus, ut ſicut David puero tuo Goliam ſuperandi largitus es facultatem, & Judam Machabæum de feritate gentium nomen tuum non invocantium, triumphare feciſti: ita & huic famulo tuo, qui noviter jugo militiæ colla ſupponit, pietate cœleſti vires & audaciam, ac fidei & juſtitiæ defenſionem tribuas: & præſtes ei fidei, ſpei & charitatis augmentum, & tui timorem pariter & amorem, humilitatem, perſeverantiam, obedientiam, & patientiam bonam, & cuncta in eo recte diſponas, ut neminem cum gladio iſto, vel alio, injuſte lædat, & omnia cum eo juſta & recta defendat: & ſicut ipſe de minori ſtatu ad novum militiæ promovetur honorem; ita veterem hominem deponens cum actibus ſuis, novum induat hominem, ut recte retineat, & recte colat: perfidorum conſortia vitet, & ſuam in proximum charitatem extendat: præpoſito ſuo in omnibus obediat, & ſuum in civitate juſtum officium exequatur: per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.

Deinde ſedens cum mitra Pontifex imponit nudum gladium in ejus manu, dicens: *Accipe gladium iſtum in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ & utaris eo ad defenſionem tuam, & Sanctæ Eccleſiæ Dei, & ad confuſionem inimicorum crucis Chriſti, & fidei Chriſtianæ, & quantum humana fragilitas tibi permiſerit, cum eo neminem injuſte lædas. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.* Et repoſito gladio in vagina per eundem militem, accingitur eodem gladio per duos nobiliores milites præſentes, Pontifice dicente: *Accingere gladio*

tuo

tuo ſuper femur tuum potentiſſime, in nomine Patris Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Et attende, quod Sancti non in gladio, ſed per fidem vicerunt regna.* Novus igitur miles enſe accinctus, illum de vagina ter vibrat nudum viriliter, & eo ſuper ſiniſtrum brachium terſo, mox in vaginam recondit. Deinde Pontifex inſigniens illum charactere militari, dat ei oſculum pacis, dicens: *Pax tibi.* Tum accipiens illius enſem nudum, ter militem percutit plane ſuper ſpatulas, dicens: *Eſto miles pacificus, ſtrenuus, fidelis, & Deo devotus*, & mox dat ei leniter alapam, dicens: *Exciteris a ſomno malitiæ, & vigila in fide Chriſti, & fama laudabili.* Tunc nobiles aſſiſtentes imponunt ſibi calcaria, & cantores, ſive Pontifex (ſi magis placet) dicit, Antiphonam: *Specioſus forma præ filiis hominum, accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* Deinde dicit Pontifex: Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum Spiritu tuo.* Oremus: *Omnipotens ſempiterne Deus, ſuper hunc famulum tuum, N. qui hoc eminenti mucrone circumcingi deſiderat, gratiam tuæ bene✠dictionis infunde, & eum dextræ tuæ virtute fretum, fac contra cuncta adverſantia cœleſtibus armari præſidiis, quo nullis in hoc ſeculo tempeſtatibus bellorum turbetur, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.*

Finita oratione, novus miles oſculatur pedem Papæ: tum ſurgit & deponit enſem & calcaria, & redit ad ſedendum, ubi prius. Cantores incipiunt Introitum, incenſatur Altare, & proceditur in Miſſa usque ad cantatum Graduale: quod dum cantatur, futurus dux ducitur ante Pontificem, ubi genuflexus præſtabit juramentum. *Ego N. annuente Domino, futurus Dux promitto, ſpondeo, polliceor, atque juro coram Deo, & beato Petro Apoſtolorum principe, me de cætero reverentiam & obedientiam ſervaturum* (etiam ſi alias obligatus ſum) *ſacroſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, & vobis Domino, Domino N. divina providentia Summo Pontifici, & ſucceſſoribus veſtris canonice intrantibus: nec deficiam in omnibus neceſſitatibus veſtris & utilita-*

utilitatibus, juxta vires meas, & quantum potero, divino auxilio fultus, pura & bona fide, cuſtodiendo etiam & conſervando omnes poſſeſſiones, terras, loca, honores, juriſdictiones, & jura veſtra, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in omnibus & per omnia: & propter honorem & præeminentiam ducalem, quam hodie a vobis recepturus ſum: etiam promitto in recognitione tantæ ſuſceptæ gratiæ, pro me & ſucceſſoribus meis, perpetuo dare vobis & ſucceſſoribus veſtris, ſingulis annis in die feſtivitatis beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, unum paraſrenum album bene & decenter ornatum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Præſtito juramento, Pontifex deſcendit ad faldiſtorium, & procumbit ſuper illud ante Altare cum mitra. Dux futurus proſternit ſe ad ſiniſtram Papæ, aliquantulum retro ſupra ſcabellum viride. Subdiaconus vero Apoſtolicus facit Litaniam, cæteris cum choro reſpondentibus: *Kyrieeleiſon &c.* ubi autem dixerit, *Ut obſequium ſervitutis*, & replicatum fuerit, ſurgit Pontifex, & ſignans ſuper Ducem alte dicit: *Ut hunc famulum tuum in Ducem eligere digneris, te rogamus, audi nos. Et iterum, ut hunc famulum tuum benedicere digneris, te rogamus, audi nos.* Et tertiò, *Ut hunc famulum tuum ad Ducale faſtigium perducere digneris, te rogamus, audi nos:* & ſemper chorus reſpondet replicando. Recumbit deinde iterum Pontifex, & Subdiaconus atque alii faciunt Litaniam. Qua finita, Papa revertitur ad ſedem eminentem, & futuro Duce permanente proſtrato, Papa, depoſita mitra ſtans, dicit ſuper eum: *Pater noſter.* Deinde: *Et ne nos inducas &c.* Verſ. *Salvum fac ſervum tuum.* Reſp. *Deus meus, ſperantem in te.* Verſ. *Eſto ei, Domine, turris fortitudinis.* Reſp. *A facie inimici.* Verſ. *Nihil proficiat inimicus in eo.* Reſp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum Spiritu tuo.* Oremus: *Prætende, quæſumus, famulo tuo, N. Duci, dextram cœleſtis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne*

poſtulat, conſequi mereatur. Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur: per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen. Sedebit deinde Pontifex cum mitra, & Dux futurus ducetur ad ejus pedes: & tunc Pontifex accipiens Ducale Biretum, imponit ejus capiti ante ſe genuflexi, dicens: *Accipe inſigne Ducalis præeminentiæ, quod per nos capiti tuo imponitur, in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen. Et intelligas te a modo ad defenſionem fidei, Sacroſanctæ Eccleſiæ, viduarum, pupillorum, & quarumcunque aliarum miſerabilium perſonarum fore debitorem: veliſque deinceps utilis eſſe executor, perſpicuuſque dominator coram Domino, & inter glorioſos athletas virtutum merito ornatus appareas, quam gratiam tibi concedere dignetur Dominus noſter Jeſus Chriſtus: Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.* Poſt hæc immediate dat ei ſceptrum in manu dextra, dicens: *Accipe virgam directionis & juſtitiæ, in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen. Per quam valeas unicuique ſecundum merita ſua tribuere, ſive boni, ſive mali, ſemper Deum ante oculos habens, non declinans a dextris, vel a ſiniſtris, ſed cum omni bonitate & charitate bonos foveas, malos coerceas, ut omnes intelligant, & ſciant te juſtitiam dilexiſſe, & iniquitatem odio habuiſſe. Quam gratiam tibi concedere dignetur, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.*

Et mox cum bireto, & ſceptro oſculatur pedem Pontificis, qui deinde ſurgens ſine mitra dicet ſuper novum Ducem adhuc genuflectentem cum ſuo habitu, hanc orationem: *Deus Pater æternæ gloriæ ſit adjutor tuus, & protector tuus, & omnipotens benedicat tibi, preces tuas in cunctis exaudiat & vitam tuam longitudine dierum adimpleat, ſtatum dominii tui jugiter firmet, & gentem populumque tuum in æternum conſervet, & inimicos*

micos tuos confuſione induat, & ſuper te ſanctificatio Chriſti floreat, ut qui tibi tribuit in terris dominium, ipſe in cœlis conferat præmium. Qui vivit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Surgit deinde novus Dux, &, ſociatus per duos juniores Diaconos Cardinales, ducitur in locum ſuum ad ſedendum, id eſt, inter duos ultimos Diaconos Cardinales. Quod recipiatur ad oſculum a Cardinalibus, non videtur convenire, cum non ſit ex ordine illorum, neque par. His finitis, proceditur in miſſa usque ad offertorium. Et tunc novus Dux, depoſito bireto, accedet ad pedes Pontificis, & offeret aurum quantum voluerit: & recipietur ad oſculum pedis, manus, & oris, & mox revertetur ad locum ſuum: &, finita Miſſa, procedet inter ipſos juniores Diaconos Cardinales.

CAPUT III.

Quæ ſervantur in Duce minoris potentiæ.

Et hæc quidem ſervantur, ut ſupra dictum eſt, ſi Dux eſt magnæ nobilitatis & potentiæ, ut fuit tempore Domini PAULI, *Papæ ſecundi*, *BORSUS Ferrariæ*. Si vero eſſet mediocris potentiæ, ut fuit tempore Domini SIXTI, *Papæ quarti*, FEDERICUS, *Dux Urbini*, omnia ſervarentur, niſi quod non duceretur a Cardinalibus, ſed a duobus aſſiſtentibus Papæ principalibus: & ſederet ultimus poſt omnes Cardinales, in banco Diaconorum, & eundo incederet ſolus poſt crucem ante omnes Cardinales. *Quod ſi adhuc eſſet inferior*, tunc omnia alia ſervarentur, niſi quod non daretur ei ſceptrum, neque ſederet in banco Cardinalium, ſed ad pedes Papæ in ſupremo gradu, & eundo incederet ante crucem poſt oratores, & alios Principes.

CAPUT

CAPUT IV.

Ordo ſervandus in benedictione, & inveſtitura novi almæ urbis præfecti, a SIXTO IV. inſtitutus.

IN primis præparentur hora competenti veſtes præfecturæ, videlicet tunicella ſericea, ornata fimbriis auratis, & mantum etiam aureo limbo circumtextum, apertum a parte dextra, & infula ad ſimilitudinem bireti Ducalis, & omnia portentur ad Eccleſiam, ubi eſt celebrandum. Pontifex autem procedit ad Eccleſiam, ut conſuevit, cum pluviali & mitra precioſis, orat ante Altare, facit confeſſionem cum celebrante: aſcendit ſedem eminentem, & Cardinales exhibent conſuetam reverentiam: deinde duo ex Proceribus Romanis præſentant novum præfectum in ſuis veſtibus Summo Pontifici, qui genuflectit ſuper infimum gradum ſolii Pontificalis: & Pontifex ſurgens ſine mitra dicit ſuper eum orationes, quæ in novo milite creando dicuntur: & alia omnia facit, quæ ad creationem novi militis pertinent. Si autem antea eſſet miles, illis dimiſſis procedit ad benedictionem, in hunc modum: Surgit ſine mitra, & dicit: Verſ. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Reſpond. *Qui fecit cœlum & terram.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Deus, in nomine tuo congregatis famulis tuis te medium eſſe Chriſti corona valente, da gratiam huic famulo tuo præfecto noſtro, quam Abraham in holocauſto, Moyſes in exercitu, Helias in eremo, Samuel meruit crinitus in templo: concede, Domine, concordiam, quam inſpiraſti Patriarchis, prædicaſti populis, tradidiſti Apoſtolis, mandaſti victoribus: benedic, quæſumus Domine, hunc Præfectum noſtrum, quem ad ſalutem populi nobis a te credimus eſſe conceſſum, fac, eum eſſe annis multiplicem, ingenii atque ſalubri corporis robore vigentem, & ad ſenectutem optatam, atque demum ad finem pervenire fœlicem. Sit nobis fiducia, eum obtinere gratiam*

pro populo, quam Aaron in tabernaculo, Eliſeus in fluvio, Ezechias in lecto, Zacharias vetulus impetravit in templo: ſit illi regendi virtus atque auctoritas, qualem Joſue ſuſcepit in caſtris, Gedeon ſumpſit in prœliis, Petrus accepit in clave, Paulus eſt uſus in dogmate: & ita paſtoris cura proficiat in ovile, ſicut Iſaac profecit in fruge, & Jacob eſt dilatatus in grege. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Benedicat deinde veſtes, quæ per aliquem Acoluthum ad dextram Pontificis tenentur. Pontifex vero ſtans ſine mitra dicat: *Verſ.* Adjutorium noſtrum in nomine Domini. *Reſp.* Qui fecit cœlum & terram. *Verſ.* Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum Spiritu tuo. *Oremus: Deus omnium bonorum virtutumque dator, omnium bonorum largus infuſor: ſupplices te rogamus, ut manibus noſtris opem tuæ benedictionis infundas, tunicellam, mantum & regnum præparatum virtute Sancti Spiritus benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris, ✠ & omnibus eis utentibus gratiam.* His dictis, ſedet Pontifex cum mitra, & ſine alia veſtium benedictione, quoniam *ſecularium Principum veſtes non benedicuntur:* exuitur Præfectus veſte communi ab illis proceribus, & adducitur ad pedes Pontificis cum ſtricta veſte. Qui illi primò imponit tunicellam: & deinde mantum cum apertura ſuper humerum dextrum, dicens: *Induat te Dominus veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdet te, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Imponit deinde ei genuflexo infulam, ſive biretum, præfecturæ, dicens: *Accipe inſigne præfecturæ præeminentiæ, quod per nos capiti tuo imponitur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et intelligas te a modo ad defenſionem fidei, & ſacroſanctæ Eccleſiæ fore debitorem: quod ut opere perficere valeas, ille tibi concedere dignetur, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.*

Surgit demum Pontifex, & ſine mitra dicit ſuper præfectum genuflexum, hanc orationem: Oremus: *Deus, Pater*

æternæ gloriæ ſit adjutor tuus & protector, & omnipotens benedicat tibi, preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam longitudine dierum adimpleat: inimicos tuos confuſionem induat, & ſuper te ſanctificatio Chriſti floreat, & qui tibi in terris contulit præfecturam, ipſe tibi in cœlis conferat æternam gloriam. Qui vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

His finitis, cantores incipiunt Introitum, imponitur incenſum a Pontifice, & incenſatur Altare, & reliqua, ut alias. Novus Præfectus cum ſuo habitu ſedet ad pedes Pontificis in ſupremo gradu.

CAPUT V.

De benedictione Roſæ, quæ fit Dominica Lætare Hieruſalem, & ejus traditione.

CONſueverunt Romani Pontifices in Dominica quarta quadrageſimæ, in qua cantatur in Eccleſia *Lætare Hieruſalem*, roſam auream benedicere, & illam poſt Miſſarum ſolennia alicui magno Principi, ſi præſens eſt in curia, dono dare. Si minus eſſet in curia Princeps tanto munere dignus, mittitur extra ad aliquem Regem vel Principem, ut placuerit ſanctiſſimo Domino noſtro, cum conſilio ſacri Collegii. Nam conſuevit Summus Pontifex ante, vel poſt Miſſam convocare Cardinales ad circulum in camera ſua, vel ubi ſibi placet, & cum eis deliberare, *cui danda vel mittenda ſit roſa.* Pro ejus igitur benedictione juxta lectum paramenti, ubi ſanctiſſimus Dominus noſter accipit ſua paramenta, paratur parvum Altare, & ſuper illud duo candelabra, & Pontifex indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, pluviali & mitra, accedit ad ipſum Altare, &, depoſita mitra, dicit: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Reſp. *Qui fecit cœlum & terram.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Deus, cujus*

verbo & potentia facta ſunt omnia, & cujus nutu univerſa diriguntur: qui eſt lætitia & gaudium omnium fidelium: majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut hanc roſam, odore viſuque gratiſſimam, quam hodierna die in ſignum ſpiritualis lætitiæ in manibus geſtamus, bene✠dicere & ſancti✠ficare tua pietate digneris, ut plebs tibi dicata ex jugo Babylonicæ captivitatis educta, per unigeniti Filii tui gratiam: qui eſt gloria & exultatio plebis Iſrael illius Hieruſalem, quæ ſurſum eſt mater noſtra, ſinceris cordibus gaudium repræſentet, & quia ad honorem nominis tui Eccleſia tua hoc ſigno hodie exultat & gaudet: tu ei, Domine, verum & perfectum gaudium largiaris, & devotionem ejus accipiens, peccata dimittas, fide repleas, indulgentia foveas, miſericordia protegas, adverſa deſtruas, proſpera cuncta concedas: quatenus per fructum boni operis in odorem unguentorum illius floris tranſeat, qui de radice Jeſſe productus, flos campi & lilium convallium myſtice prædicatur: cum quo in ſuperna gloria cum Sanctis omnibus ſine fine letetur. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Finita oratione, inungit cum balſamo roſam auream, quæ eſt in ipſo ramuſculo, & ſuperimponit muſcum tritum, quæ per ſacriſtam ei miniſtratur, & imponit incenſum in thuribulo more conſueto, & demum aſpergit roſam aqua benedicta, & adolet incenſo. Interim Clericus Cameræ Apoſtolicæ ſuſtinet roſam, quam deinde dat ad manus Diaconi Cardinalis a dextris, & ille ad manus Pontificis, qui manu ſiniſtra roſam geſtans, & dextra benedicens progreditur ad capellam, & Diaconi Cardinales hinc inde elevant fimbrias pluvialis: cum pervenerit ad faldiſtorium, dat roſam Diacono prædicto, qui eam Clerico cameræ tradit, & ille eam ſuper Altare ponit. Finita miſſa, Pontifex, facta oratione ante Altare, recipit roſam, ut ſupra, & eam defert ad cameram ſuam. *Et ſi ille, cui eam dare velit, eſt præſens,* vocatur ad ejus pedes, & genuflexo dat ei roſam, dicens:

Accipe

Accipe roſam de manibus noſtris, qui licet immeriti locum Dei in terris tenemus, per quam deſignatur gaudium utriuſque Hieruſalem, triumphantis ſcilicet & militantis Eccleſiæ, per quam omnibus Chriſti fidelibus manifeſtatur flos ipſe ſpecioſiſſimus, qui eſt gaudium & corona ſanctorum omnium, ſuſcipe hanc, tu dilectiſſime fili, qui ſecundum ſeculum nobilis, potens, ac multa virtute præditus es, ut amplius omni virtute in Chriſto Domino nobiliteris tanquam roſa plantata ſuper rivos aquarum multarum, quam gratiam ex ſua uberanti clementia tibi concedere dignetur, qui eſt trinus & unus in ſecula ſeculorum, Amen. In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, Amen. Hoc aliquando in capella factum fuit finita Miſſa, antequam Papa deſcenderet de ſede ſua: ſed convenientius eſt, ut Papa revertatur ad cameram cum roſa, & ita apud *majores* factitatum reperio. Ille, cui roſa data eſt, poſtquam manum & pedem Pontificis oſculatus eſt, eique pro tempore gratias agit, cum Papa in camera veſtes ſacras depoſuerit, ipſe roſam manu geſtans aſſociatur usque ad domum ſuæ habitationis a Collegio Cardinalium, medius inter duos antiquiores Diaconos, poſt omnes alios Cardinales, circa illum ſunt pedites curſores Romanæ curiæ cum ſuis baculis, qui ſolent illa die ſtrenas ab eo, qui roſam habuit, accipere.

CAPUT VI.

De enſe, in nocte Nativitatis Domini dando, & benedicendo.

(conf. Lib. II. cap. XV.)

IN nocte nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, conſueverunt Romani Pontifices *enſem benedictum*, cum quodam capello Ducali, ornatum candidis margaritis in formam columbæ, alicui magno Principi, ſi præſens eſt, dare: vel ſi non ſit præſens, ad aliquem Regem vel alium Principem, per aliquem ex ſuis trans-

tranſmittere. Sed quamvis enſis benedictus vocatur, non tamen reperi ejus benedictionem. SIXTUS Papa IV. aliqua verba ordinavit, cum enſis datur, dicenda, quæ ſubjiciam. *Benedictio autem poterit fieri hoc modo, ſi placebit.* Pontifex indutus alba, cingulo, amictu & ſtola, antequam ſumat cappam purpuream, qua in hac nocte uti ſolet, benedicit enſem, quem Clerus cameræ in manu tenet, dicens: Verſ. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Reſp. *Qui fecit cœlum & terram.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum Spiritu tuo.* Oremus: *Benedicere digneris, quæſumus Domine Jeſu Chriſte, hunc enſem in defenſionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & chriſtianæ Reipublicæ ordinatum, noſtræ bene✠dictionis officio ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, ut per eum, qui te inſpirante illo accingetur, vim æquitatis exerceas, molemque iniquitatis potenter evertas, & ſanctam Eccleſiam, ejusque fideles, quos ut precioſo ſanguine tuo redimeres, hodie in terris deſcendere, & carnem noſtram ſumere dignatus es, ab omni periculo protegas, atque defendas, & famulum tuum, qui hodie gladio in tuo nomine armatus erit, pietatis tuæ firma cuſtodia munias, illæſumque cuſtodias. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.* Aſpergit deinde gladium & capellum aqua benedicta, & incenſo adolet: deinde accipit cappam, & præcedente clerico cameræ cum enſe benedicto immediate ante crucem; Pontifex deſcendit ad capellam, & cætera ſervantur, ut in officio noctis nativitatis Domini dicetur. Cum vero Pontifex dat enſem prædictum alicui præſenti, dicit hæc verba, quæ, ut diximus, SIXTUS IV. inſtituit. *Solent Romani Pontifices in præclara natalis Domini celebritate Chriſtianiſſimo, clariſſimoque alicui Principi ornatum enſem dare, aut deſtinare: quæ res profecto non caret myſterio. Unigenitus namque Dei Filius, ut humanam naturam ſuo reconciliaret auctori, eam aſſumere dignatus eſt, ut inventor mortis, Diabolus, per ipſam, qua vicerat, vinceretur: quæ*

quidem victoria per enſem congrue deſignatur. Fuerunt inſuper infideles Arriani, qui non veriti ſunt, Dei Filium purum creaturam affirmare, cum tamen hodierni Evangelii ſcriptura teſtetur, Deum omnia feciſſe per Verbum. Largitur igitur præſenti die maximus Pontifex enſem, Dei infinitam potentiam ſignantem in Chriſto, Deo vero, Patrique æquali, & vero homini reſidentem: per quem facta ſunt omnia, juxta Davidicum illud: ***Tui ſunt cœli, & tua eſt terra: orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundaſti, aquilonem & mare tu creaſti.*** *Sedes denique Dei Apoſtolica, videlicet ſedes a Chriſto ſuum ſumpſit ſtabilimentum, extititque præparata Dei juſto judicio præmio atque juſtitia, quibus Salvator noſter Jeſus, verus Deus & homo, profligavit ſedes ipſius adverſarios, hæreticos videlicet & tyrannos, juxta id quoque propheticum:* ***Juſtitia, & judicium præparatio, ſedis tuæ.*** *Figurat denique Pontificalis hic gladius poteſtatem ſummam temporalem, a Chriſto Pontifici ejus in terris Vicario collatam, juxta illud:* ***Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.*** Et alibi: ***Dominabitur a mari, uſque ad mare, & a flumine, uſque ad terminos orbis terrarum,*** *quam & declarat cappa illa ſericea, quam Pontifices geſtare ſolent in nocte nativitatis Domini. Nos ergo volentes, ut æquum eſt, approbatas Sanctorum Patrum conſuetudines obſervare, ſtatuimus, & principem Catholicum Sanctæque ſedis a Deo utrumque gladium habentis filium devotiſſimum, hoc noſtro præclaro munere inſignire, nec non & hoc pileo in ſignum muniminis & defenſionis adverſus inimicos fidei, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ protegere; firmetur igitur manus tua contra hoſtes ſanctæ ſedis ac Chriſti nominis, & exaltetur dextra tua, eos veluti ipſius aſſiduus, intrepidusque propugnator de terra delendo, & armetur caput tuum Spiritus Sancti per columbam figurati protectione adverſus eos, in quos Dei juſtitia atque judicium pro Romana*

mana

manu Sancta Eccleſia, & apoſtolica ſede præparatur. Quod tibi præſtare dignetur idem Dei Filius, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, per infinita ſecula ſeculorum, Amen. Princeps, qui enſe donatus eſt, ut primum illum de manu Pontificis accipit, pedem & manum ejus oſculatur, & pro tempore gratias agit: deinde diſcedens deducitur ad domum habitationis ſuæ a familiaribus, & domeſticis Prælatis Papæ, & ab amicis, oratoribus & nobilibus, qui voluerint illum honorare. Servientes armorum præcedunt illum, qui enſem cum pileo ante principem præfert, & in hoc actu ipſi debent habere præcipuam ſtrenam, ſicut curſores in roſa.

CAPUT VII.

De Benedictione & Traditione vexilli bellici.

POntifex conſuevit VEXILLA ECCLESIÆ & ARMORUM SUORUM benedicere, & Capitaneo ſeu Vexillifero Sanctæ Romanæ Eccleſiæ dare in fine miſſæ: ſedens in ſede ſua vexillum unum, ſive plura tenent brachiis plicata ſine haſtis aliqui clerici cameræ ante ſanctiſſimum Dominum noſtrum: qui, depoſita mitra, ſurgit, & dicit: Verſ. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Reſpond. *Qui fecit cælum & terram.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, & triumphantium fortitudo: reſpice propitius ad preces humilitatis noſtræ, & hoc vexillum, quod bellico uſui præparatum eſt, cæleſti benedictione ſanctifica, ut contra adverſarias & rebelles nationes ſit validum, tuoque munimine circunſeptum: ſitque inimicis Chriſtiani populi terribile, ac intercedentibus Sanctis tuis, ſolidamentum, & victoriæ certa fiducia. Tu enim es Deus, qui conteris bella, & cæleſtis præſidii ſperantibus in te præſtas auxilium: per Chriſtum Dominum noſtrum.* Finita benedictione, aſpergit vexilla cum aqua benedicta, & adolet incenſo, quæ mox

haſtis infiguntur: & erecta ſimul cum haſtis dantur per Summum Pontificem, ſedentem cum mitra, Capitaneo genuflexo ad ejus pedes, cum his verbis, dicens: *Accipe vexillum cœleſti benedictione ſanctificatum, ſitque inimicis populi Chriſtiani terribile: & det tibi Dominus gratiam, ut ad ipſius nomen & honorem cum illo hoſtium cuneos potenter penetres incolumis & ſecurus.* Capitaneus, accepto vexillo, oſculatur pedes Sanctiſſimi Domini noſtri, & ſurgens recedit cum ſuis.

CAPUT VIII.

De Conſecratione Agnus Dei.

AGNUS DEI ſoliti ſunt benedici a Summo Pontifice, primo anno ſui Pontificatus, & deinde *ſeptimo* quoque anno, dum vivit. Sed antiquitus cera alba pro illis formandis per magiſtrum ceræ palatii Apoſtolici, & per illos, qui volebant pro ſe agnus Dei, cera ponebatur ſuper Altare beati Petri, quam Subdiaconus Apoſtolicus de Altari accipiebat, & in aliqua camera capaci & idonea in palatio ipſi cum aliis Subdiaconis & Acoluthis Papæ manibus propriis formabant Agnus Dei cum magna devotione, reverentia & munditia. Habebant aliquos ſervitores, qui neceſſaria miniſtrabant. Et omnia fiebant impenſis Cameræ, ceram albam mollificabant cum oleo ſancto, & oleo chriſmatis, quod ſuperfuerat de anno præterito. Deinde, cum facta erat tota quantitas, præſentabantur capſæ plenæ Agnus Dei, & benedicebantur per Papam. Hodie autem ſacriſta cum ſuis Capellanis & Clericis capellæ format ipſos Agnus Dei. Ceram ipſam ſumit vel ex cereo benedicto in Sabbatho ſancto anni præteriti, vel aliunde, expenſis Papæ. Non miſcentur oleo ſancto, aut ſacro chriſmate: ſed puri & mundi præſentantur in capſis ſanctiſſimo Domino noſtro in camera ſua. Pontifex aliquo die poſt paſcha ante ſabbathum in albis dicta, ſive audita Miſſa

in ſua

in ſua privata capella, indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & mitra ſimplici, benedicit aquam benedictione communi, ſicut fit in Dominicis diebus a ſacerdotibus, in aliquo magno vaſe, ibi præparato. Et, ſi magis placet, poteſt illa aqua prius benedici ab aliquo Epiſcopo domeſtico Papæ. Deinde Pontifex, accedens ad vas prædictum, depoſita mitra, ſtans dicit Verſ. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Reſpond. *Qui fecit cœlum & terram.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum Spiritu tuo.* Oremus: *Domine Deus, Pater omnipotens, ſtatutor elementorum omnium, & conſervator humani generis, datorque gratiæ ſpiritualis, & largitor ſalutis æternæ, qui aquas ex paradiſi fonte manantes totam terram irrigare juſſiſti, ſuper quas unigenitus tuus ſiccis pedibus ambulavit, & in eis baptizari dignatus eſt, quæ una cum ſuo ſanguine de latere ſacratiſſimo perfluxerunt, & baptizare in ipſis præcepit diſcipulis omnes gentes, adeſto benignus & clemens, & nobis tua hæc magnalia recolentibus adveniat, ut ea, quæ in hoc aquarum vaſculo, ad gloriam tui nominis præparato, infundere decrevimus, & immergere, bene✠dicas, & benedicta ſancti ✠ fices, quatenus ipſorum veneratione & honore nobis, famulis tuis, crimina diluantur, abſtergantur maculæ peccatorum, impetrentur veniæ, gratiæ conferantur, ut tandem una cum ſanctis, & electis tuis vitam percipere mereamur æternam: per eundem Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.*

Reſumit deinde mitram Pontifex, & infundit balſamum ex ampulla in aquam, in modum crucis, dicens: *Conſecrare & ſanctificare digneris, Domine, aquas iſtas per iſtam unctionem balſami, & noſtram benedictionem: In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen.* Et ter ſignat. Deinde ex alia ampla in eandem aquam Sanctum chriſma, & in modum Crucis, dicens: *Conſecrare & ſanctificare digneris, Domine, aquas iſtas per iſtam unctionem Sancti chriſmatis, & noſtram benedictionem: In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen.* Benedicta aqua, vertit ſe ad capſas, ubi ſunt Agnus

Dei, & ſine mitra ſtans dicit: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum Spiritu tuo.* Oremus: *Deus omnium ſanctificationum, Dominator Dominus, cujus pietas ſine fine ſentitur, qui Abraham, patrem fidei noſtræ, præcepto tuo filium, Iſaac, immolare diſponentem, in figuram redemptionis noſtræ per arietem vepribus inhærentem, ejus ſacrificium conſumare voluiſti, quique Moyſi, famulo tuo legifero, juge holocauſtum præcepiſti in agnis immaculatis offerri, te ſuppliciter deprecamur, ut noſtræ vocis exoratus officio, has cereas formas innocentiſſimi agni imagine figuratas benedi✠cere, & per invocationem tui ſancti nominis ſanctificare digneris, ut per ejus tactum & viſum fideles invitentur ad laudes, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempeſtatum, ventorum rabies, infeſta tonitrua temperentur: fugiant, atque tremeſcant maligni Spiritus ante Sanctæ Crucis vexillum, quod in illis exſculptum eſt, cui flectitur omne genu, & omnis lingua confitetur, quia devicta morte per Crucis patibulum Jeſus Chriſtus regnat in gloria Dei Patris, ipſe enim tanquam ovis ad occiſionem ductus, in morte tibi Patri ſanctum ſui corporis obtulit ſacrificium, ut ovem perditam diabolica fraude ſeductam reduceret, & reductam ſuis humeris ad cæleſtis patriæ gregem reportaret: Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſecula ſeculorum Amen.* Deinde dicit aliam orationem: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui legalium hoſtiarum, & cerimoniarum es inſtitutor, & quæ pro reſtauratione humani generis fieri inſtituiſti, ut plaſmatio tua, quæ ſuggeſtione diabolica decepta, tuæ majeſtatis imperium contemnendo indignationem tuam incurrit, & his hoſtiis atque ſacrificiis obediendo placari voluiſti, ſicut in ſacrificio agni primitiarum inſtituiſti Abel, & in oblatione Melchiſedech, ſacerdotis tui: atque in immolatione hoſtiarum, agnorum, arietum, & taurorum pinguium, Abrahæ, Moyſi & Aaron, famulis tuis: quæ omnia illis in figuram contingebant, quia cum tua ſancta benedictione ſancta erant, atque ſalutifera offerentibus. Et ſicut ille Agnus, de cujus ſanguine poſtes & ſuperliminina domus line-*

linebantur, immolatus, populum tuum a perſecutione Ægyptiaca media nocte liberavit: & quemadmodum ille agnus innocens tua voluntate immolatus in ara crucis, Jeſus Chriſtus, Filius, protoplaſtum noſtrum, de diabolica poteſtate eripuit: ſic iſti agni immaculati virtutem illam accipiant, quos conſecrandos offerimus in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ. Tu eos bene✠dicere, ſanctifi✠care & conſe✠crare digneris, ut tua larga benedictione ſanctificati eandem virtutem accipiant contra omnes diabolicas verſutias, & fraudes maligni ſpiritus, ut illos devote ſuper ſe ferentibus nulla tempeſtas eisdem prævaleat, nulla adverſitas dominetur, nulla aura peſtilens, neque aeris corruptio, nullusque morbus caducus, nulla maris procella, & tempeſtas, nullum incendium, neque ulla iniquitas dominetur eis, neque prævaleat homo: partus cum matre incolumis conſervetur per interceſſionem unigeniti Filii tui, Domini noſtri Jeſu Chriſti: qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, &c. Oramus tuam clementiam, omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creaſti, & poſt Adæ lapſum Noe & filiis ejus benedixiſti, qui juſti coram Majeſtate tua comparuerunt, atque tua miſeratione ab aquis diluvii ſalvi facti ſunt: ſic ita iſtos Agnos benedi✠cere, ſanctifi✠care & conſe✠crare digneris, quatenus eos, devote deferentes ob reverentiam & honorem nominis tui liberentur ab omni inundatione aquarum, & ab omni fluctuatione diabolicæ tempeſtatis, & a morte ſubitanea per virtutem paſſionis Jeſu Chriſti Filii tui benedicti, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen. His finitis, accingitur Pontifex, & ſumpta mitra ſedet apud vas aquæ, & Cubicularii ad eum portant Agnus Dei in pelvibus argenteis, quos Pontifex immergit in aquam, & Prælati aſtantes eos extrahunt, & in pelvibus portant ſuper menſas cum mappis madis præparatas, ut ſiccentur. Et omnibus *baptizatis* per Pontificem, vel per ejus Prælatos, ſurgens Pontifex ſtans ſine mitra, dicit ſuper eos has orationes. Oremus: *O alme Spiritus, qui aquas fœcundas, & cuncta vivificas, & in aquarum ſub-*

ſtantia

ſtantia maximaque ſacramenta conſtituiſti, quæ a te ſanctificante, amaritudine dimiſſa, in dulcedinem ſunt converſa, & tuo flatu ſanctificatæ, atque imperante lavacri ſuſceptione, Sanctæ Trinitatis nomine invocato omnia, peccata diluunt: quæſumus Domine, ut hi agni ſacra & perenni unda balſamoque ſacri chriſmatis perfuſi, tu illa benedi✠cere, ſanctifi✠care & con✠ſecrare digneris, quatenus a te benedicti virtutem accipiant contra omnia diabolica tentamenta, & omnes portantes tuti eſſe poſſint inter adverſa & proſpera, ut tua conſolatione accepta nullum periculum timeant, nullamque formident umbram, nulla ſævitia diabolica aut verſutia humana eis noceat; ſed fortitudine tuæ virtutis roborati, tua conſolatione glorientur, qui vere Paracletus diceris, & in Trinitate perfecta vivis & regnas per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui vere es agnus innocens, ſacerdos & hoſtia: qui prophetica voce vitis es, lapis angularis prædicaris: qui mundi peccata abſtuliſti: qui occiſus nos redemiſti, Domine Deus, in ſanguine tuo, atque poſtes pectoris & frontis noſtræ tuo cruore liniviſti, ne diabolica nocturna verſutia, & meridiani incurſus, & populus ſæviens, & ſuper domos noſtras tranſiens, vires in nos exercerent. Tu vere es agnus immolatus pro noſtra reconciliatione, & jugis voluiſti a tuis fidelibus in tui memoriam immolari, & in agnum paſchalem ſumi ſub ſpeciebus panis & vini in ſacramento in ſalutem, & in remedium animarum noſtrarum, ut mari & præſenti ſeculo tranſacto, ad reſurrectionis & æternitatis gloriam venire poſſimus. Rogamus ergo clementiam tuam, & hos agnos immaculatos benedi✠cere, ſanctifi✠care, & conſe✠crare digneris, quos de cera virginea in tuum honorem formavimus per opera crucis, & ſacra unda, balſamoque, & ſacro chriſmate liquori confecti in ſanctificationem tuæ conceptionis, quam absque contagione ac propagine humana, ſola divina virtute ſuſcepiſti, ſic eos deferentes tuearis, protegas & defendas ab omni periculo incendii, fulguris, procellæ & tempeſtatis: & ab omni adverſitate cuſtodi per myſterium paſſionis tuæ: & ſic eos liberare

digneris

digneris ab omnibus periculis, & in puerperio laborantes, ſicut matrem tuam ab omni periculo liberaſti: & Suſannam de falſo crimine, & beatam Teclam virginem & Martyrem tuam, ab incendiis, & Petrum a vinculis abſolutum illæſum abire feciſti: ita nos ab hoc ſeculo illæſos abire facias, ut tecum ſine fine vivere valeamus. Qui vivis & regnas in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

His finitis, reponuntur Agnus Dei in ſuis capſis, & deinde Sabbatho in albis poſt Agnus Dei in Miſſa dentur, ut in cerimonia illius diei plenius dicemus.

Legimus URBANUM V. Pontificem maximum miſiſſe ad Imperatorem Græcorum tres Agnus Dei, cum verſibus infra ſcriptis.

Balſamus, & munda cera cum chriſmatis unda,
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum.
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum.
Fulgura de ſurſum depellit, omne malignum.
Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit.
Prægnans ſervatur, ſimul & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem deſtruet ignis.
Portatus munde de fluctibus eripit undæ.

SECTIO VIII.

CAPUT I.

De Creatione novorum Cardinalium.

QUamvis Romanus Pontifex de plenitudine poteſtatis, quando voluerit, & quos utiles Reipublicæ Chriſtianæ putaverit, poſſit in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ CARDINALES aſſumere, tamen conſuevit Cardinalium creationem celebrare in quatuor temporibus, ad imitationem Sanctorum patrum, qui illis diebus ordinationes faciebant Clericorum Romanæ Eccleſiæ, ſicut & hodie faciunt aliarum civitatum Epiſcopi: aliquando tamen

etiam noſtris temporibus extra tempora creati ſunt Cardinales. SIXTUS enim Papa IV. Anno ſalutis *Milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo tertio:* & ſui Pontificatus *ſecundo,* ſeptima die Maji, creavit octo Cardinales. Servatum tamen uſque ad tempora, ut Summus Pontifex non creet novos Cardinales, niſi de conſenſu majoris partis ſacri Collegii.

CAPUT II.

De primo Conſiſtorio, an ſint creandi, & quot?

CUm igitur Pontifex voluerit novos Cardinales creare, quarta feria quatuor temporum in Conſiſtorio ſecreto proponit fratribus ſuis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus cauſas, quæ mentem ſuæ Sanctitatis movent ad novos Cardinales faciendum, deinde exquirit ſigillatim eorum ſententiam, *an videatur eis expedire nova Cardinalium creatio.* Exponunt vota ſua omnes per ordinem libere, & ut ab omnibus intelligantur, ſervato ordine dignitatis, & prioritatis, videlicet, primum Epiſcopi, deinde Presbyteri, ultimo Diaconi. Et quamvis antiquis temporibus in conſiliis & votis dandis, præterquam in electione Pontificis, ordine præpoſtero, inter Diaconos Prior Diaconorum eſſet ultimus, & Junior primus: tamen hodie res ad debitum ordinem redacta eſt, & Prior eſt primus, & Junior ultimus. Si major pars Collegii in ſententiam Pontificis venit, tunc agitur de numero promovendorum: in quo, ſi eadem die conveniunt, dimittitur Senatus, & indicitur ad ſextam feriam aliud Conſiſtorium, & Pontifex monet Cardinales, ut cogitent de perſonis promovendorum.

CAPUT III.

De ſecundo Conſiſtorio, & forma pronunciandi Cardinales.

SExta feria iterum conveniunt Patres ad ſecretum Conſiſtorium: proponit Pontifex nomina illorum, qui ſibi videntur

dentur idonei ad talem dignitatem, & cauſas, cur ad id moveatur, exponit, ſive ſint merita perſonarum, ſive Principum juſtæ preces: rogantur patres ſententiam, & in quibus major pars Collegii conſentit, illi tantum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales a Pontifice pronunciantur in hanc formam: *Auctoritate Dei Patris omnipotentis, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra N. Epiſcopum Firmanum abſolvimus a vinculo, quo tenebatur Eccleſiæ ſuæ firmanen, & ipſum aſſumimus in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem, & B. Protonotarium Senenſem aſſumimus in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconum Cardinalem, & ſic de ſingulis.* Si vero aliquis non erat prius Epiſcopus, non dicit: *Abſolvimus a vinculo, quo tenebatur Eccleſiæ, &c.* ſed ſimpliciter dicit: *Aſſumimus.*

CAPUT IV.

Infirmorum vota per duos Cardinales exquirenda.

ET advertendum, quod ſi qui antiqui Cardinales ſunt in curia, qui, infirmitate detenti, non poſſint venire ad Conſiſtorium, conſuevit Pontifex duos alios Cardinales ad domum infirmi mittere, qui ab illo exquirant votum ſuum, primo die & ſecundo, *an ſint novi creandi, & de numero, & poſtea de perſonis,* qui omnia fideliter referant ſanctiſſimo Domino noſtro in ſecreto Conſiſtorio coram aliis Cardinalibus. Creatis novis Cardinalibus, ipſa ſexta feria Pontifex, ſive Cardinales antiqui, ſolent per ſuos nuncios id ſignificare noviter creatis.

CAPUT V.

Quod noviter creati non ſunt publice viſitandi, antequam capellum acceperint, & viſitaverint.

SEd non debent prius viſitari publice novi ab antiquis, quam galerum acceperint a Pontifice, & alios ipſi viſitaverint;

 poſſunt

poſſunt tamen ab aliquibus amicis viſitari clam, & noctu, & non cum oſtentatione. Vidimus tamen, SIXTI præfati tempore ſolitam Cardinalium gravitatem non fuiſſe ſervatam, qui non modo publice viſitarunt aliquos novos creatos, ut primum e Conſiſtorio ſunt egreſſi, ſed nonnullos, qui erant in palatio, omnes ſimul collegialiter deduxerunt ad domum ſuam, cum cappa Cardinalati, & galero nigro: quod tamen fuit a multis damnatum.

CAPUT VI.

De Conſiſtorio publico, in quo publicantur Cardinales novi, & datur galerus præſentibus.

SAbbatho ſequenti fit publicum Conſiſtorium: novi Cardinales veniunt ſummo mane ad palatium in habitu, quo antea utebantur, & expectant in aliqua camera ſibi præparata, & hoc antequam Cardinales antiqui veniant. Deinde, congregatis omnibus, Pontifex cum pluviali & mitra precioſis, præcedente cruce & Cardinalibus, exit ad publicum Conſiſtorium, aſcendit cathedram ſuam, & recipit Cardinales antiquos ad reverentiam more ſolito; deinde conſedentibus omnibus, Pontifex verbis convenientibus exponit cauſas, quæ moverunt ſuam Sanctitatem & ſacrum Collegium, ad novos Cardinales creandos: deinde deſcendens ad particularia, nominat perſonas ad Cardinalatum aſſumptas, unumquemque laudans pro meritis, & qualitate ſua. Verbi gratia. *Aſſumpſimus dilectos filios, Egregium ſacræ Theologiæ Profeſſorem, N. tunc Epiſcopum Ulyſſponenſem, &c. virum utique probum, modeſtum, & multa doctrina prudentem: & B. tunc Epiſcopum Urbinatem, Juris utriusque peritiſſimum, virum integerrimum, & vitæ laudabilis, in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteros Cardinales.* Simili modo, *aſſumpſimus dilectos filios N de Fuxo, tunc Apoſtolicæ ſedis Protonotarium, virum & majorum ſuorum gloria, & ſua*

ſua virtute clariſſimum: & demum JOANNEM, noſtrum ſecundum carnem nepotem (cujus merita dies oſtendet): in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconos Cardinales.

His dictis, prout res & tempus exigere videbitur, jubebit Summus Pontifex novos Cardinales vocari: Diaconi Cardinales antiquiores numero, ſi adſunt, ut duo antiqui unum novum ducant, ad eos proficiſcuntur, & illos ad conſpectum Pontificis adducunt duo: antiquiores Diaconi medium habent primo nominatum ex novis: quod ſi antiqui Diaconi non ſufficerent, erit unus tantum antiquus cum uno novo, ita tamen, quod antiquus ſit a ſiniſtris: & ſi etiam non ſufficiant antiqui, unus ducat duos, aut tres novos. Si autem nullus adeſſet Diaconus antiquus, aut unus tantum, Juniores Presbyteri Cardinales, antiqui unus vel duo debent ſupplere, ita ut non minus duobus ſint antiqui Cardinales, qui novos ducant: primum tamen locum obtinebit Diaconus Cardinalis, ut prior illius ordinis. Cum pervenerint in conſpectum Pontificis, detecto capite ſe profunde inclinant, prout ductor eis oſtendet. Cum venerint ad introitum Conſiſtorii, firment ſe poſt ſcamnum, ubi ſedent ultimi Presbyteri Cardinales ante Pontificis faciem, & capite detecto perſiſtent per ordinem ſuæ pronunciationis, ita ut primo nominatus ſit primus verſus parietem, & alii ſucceſſive ſequantur, Pontifex in hanc ferme ſententiam eos alloquitur:

Maximâ, dilectiſſimi Filii, & excellentiſſima dignitate donati eſtis: ad Collegium Apoſtolicum vocati Conſiliarii noſtri, & conjudices orbis terrarum eritis: inter cauſam & cauſam, inter ſanguinem & ſanguinem, inter lepram & lepram diſcernere vos oportebit: ſucceſſores Apoſtolorum circa thronum ſedebitis. Vos Senatores urbis & regum ſimiles, eritis veri mundi Cardinales, ſuper quos oſtium militantis Eccleſiæ volvendum ac regendum eſt. Cogitate animo, quos viros, quæ ingenia, quam integritatem hæc dignitas requirat: humilitatem, non ſuperbiam: liberalitatem, non avaritiam: abſtinentiam,

non ebrietatem: continentiam, non libidinem: ſcientiam, non ignorantiam: virtutes omnes, nullum vitium hic honor expoſcit. Si fuiſtis hactenus vigilantes, nunc vigiletis oportet adverſus malignum hoſtem, qui nunquam dormit, cogitans quem devoret. Si liberales fuiſtis, nunc opes in rebus honeſtis profundite, & maxime in alendis pauperibus Chriſti: ſi cibi potuſque abſtinentes, nunc præcipue luxuriam fugite: abſit avaritia, faceſſat crudelitas, exulet arrogantia, ſint libri ſacri ſemper in manibus veſtris, dies noctesque aut diſcite aliquid, aut alios docete: opera perficite, per quæ lux veſtra coram hominibus luceat, & denique tales eſtote, quales eſſe debere Cardinales dijudicaſtis, antequam hoc culmen aſcenderetis. His verbis uſus eſt PIUS II. Pontifex maximus, cum primos ſuos Cardinales creavit, poterit Pontifex pro ſua eloquentia & doctrina mutare, & addere, prout ſibi expediens videbitur. Nos pro introductione & formula quadam hæc poſuimus, facile erit deinde inventis addere, & pro qualitate temporis, & perſonarum varietate variare.

CAPUT VII.

De Receptione novorum Cardinalium ad oſculum pacis; Et traditione galeri.

DUm Pontifex novos Cardinales alloquitur, Diaconi, qui illos deduxerunt, in ſcamno ſuo ſedent, & ut Pontifex dicendi finem fecit, ſurgunt, & rurſus novos ordine, quo venerant, ad Pontificem ducunt, procedit antiquus, & novo geſtus reverentiasque oſtendit. Cum pervenerint ad Pontificem novi, pedem, deinde manum illius oſculantur, & Pontifex eos allevans, ad oſculum oris recipit: inde a Diaconis ad alios antiquos Cardinales deducuntur, & a primo usque ad ultimum ſtantibus recipiuntur ad oſculum pacis. Diaconi deductores ſuo loco, & ipſi ſtantes in ſuis ſcamnis, novos ad oſculum ſuſcipiunt: qui demum, exoſculatis omnibus antiquis,

quis, a miniſtro cerimoniarum deducuntur ad ſubſellia Presbyterorum ſeu Diaconorum, & ſedent ſecundum ordinem factæ pronunciationis & gradus. Ubi conſederint, poteſt proponi aliqua brevis cauſa per advocatos, ſi placuerit ſanctiſſimo Domino noſtro, & ea finita, ſurgent omnes Cardinales, & Cantoribus cantantibus, *Te Deum laudamus*, procedent ad capellam minorem palatii Apoſtolici, ſi fiet apud Sanctum Petrum, ſi alibi, capellam aliquam commodam, ſive Altare in proximo præparatum, præcedent Epiſcopi, deinde Presbyteri & Diaconi, & novi erunt medii inter ultimos: duo Diaconi ex ſenioribus remanebunt apud Papam; cum pervenerint ad Altare, proſternunt ſe novi omnes ſuper tapetis ante Altare in terra, tenentes caput ſuper brachia ſua. Et finito hymno, prior Epiſcoporum ſtans in cornu Altaris, ubi Epiſtola legitur, & ex eo libro ſuper Altare parato, dicit verſiculos & orationes infra ſcriptas. *Pater noſter*, ſecrete proſequitur, & deinde alte. *Et ne nos inducas in tentationem.* Reſpond. *Sed libera nos a malo.* Verſ. *Salvos fac ſervos tuos.* Reſpond. *Deus meus, ſperantes in te.* Verſ. *Mitte eis, Domine, auxilium de ſancto.* Reſpond. *Et de Syon tuere eos.* Verſ. *Domine, exaudi, orationem meam.* Reſpond. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum Spiritu tuo.* Oremus: *Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulis tuis, & dirige eos ſecundum miſericordiam tuam in viam ſalutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, & quæ tibi placita ſunt, tota mente perficiant. Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur: per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.*

Revertuntur Cardinales omnes ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum, ordine, quo venerant, & ſtantibus antiquis Cardinalibus in circulo ante Pontificem *prior*: nominatus ex novis genuflectit ante Pontificem: cui Pontifex imponit gale-

galerum rubrum ſuper caput ejus, dicens: *Ad laudem omnipotentis Dei, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, ornamentum accipe galerum rubrum, inſigne ſingulare dignitatis Cardinalatus, per quod deſignatur, quod uſque ad mortem, & ſanguinis effuſionem incluſive pro exaltatione ſanctæ fidei, pace & quiete populi Chriſtiani, augmento, & ſtatu ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, te intrepidum exhibere debeas: in nomine Patris, ✠ & filii, &c.* Et ſic unicuique ſigillatim galerum imponit ſecundum ordinationem, ſive pronunciationem: & quisque ex deputatis a Pontifice, qui primo tenebant galerum, cum Pontifex ipſum impoſuit capiti Cardinalis, finita oratione reſumit dictum galerum, & ipſum portat, quouſque Cardinalis novus equitat.

CAPUT VIII.

De novi Cardinalis deductione.

CArdinales, acceptis galeris, deducuntur ab antiquis equitantes ordine, quo ad Altare ducti ſunt: prior ex novis erit medius, inter duos antiquiores Diaconos, qui equitant ultimi. *Secundus* erit medius, inter duos alios Diaconos, illis prioribus ſuccedentes: & ſic de aliis, ita quod caput Diaconorum incipiatur ab ultimis, & ita deducuntur novi ab antiquis Cardinalibus usque ad domos ſuarum habitationum. Et primo vadunt non per ordinem promotionis, ſed ut magis commodum erit, incipiendo a viciniori, & quemlibet dimittunt domi ſuæ. Quando autem perveniunt ad domum novi cujusdam Cardinalis, antiqui firmant ſe ante oſtium, antiquiores prope ipſum oſtium, & alii Epiſcopi, & Presbyteri ſucceſſive: Diaconi autem ab alia parte, & novus ſolus, deducente Clerico cerimoniarum, equitat ad primum Cardinalem, & detecto capite agit ei gratias pro impenſo honore & ſocietate breviſſimis verbis: & deinde ſigillatim cuique ex antiquis; revertitur poſt hæc ante oſtium ſuum, & verſus ad Cardinales, ſemper detecto capite, cuique

cuique diſcedenti inclinat caput: & cum omnes Cardinales, & Prælati deceſſerint, intrat domum ſuam. Idem fit cum omnibus aliis, tam Presbyteris, quam Diaconis.

CAPUT IX.

De Modo viſitandi.

Poſtquam novi Cardinales acceperunt galerum a ſanctiſſimo Domino noſtro, ſequenti die, ſi poſſunt, viſitant Summum Pontificem. Deinde alios Dominos antiquos, non per ordinem, ſed ut eis commodum erit: & finita viſitatione omnium, ipſi debent ab antiquis viſitari in domibus ſuis. Quando ipſi viſitant alios, debent honorari a viſitatis, & poni ad manum dextram eundo: & cum intrant oſtia, primo intrare debent, tamen facere modeſtam reverentiam, & renitentiam de non accipiendo dextram, & non intrando prius, ſed tamen tandem debent obedire: & ſimiliter quando alii veniunt ad viſitandum eos in domo ſua, etiam ſi ſint poſt eum pronunciati, aut inferioris ordinis, debent eos ponere ad dextram, & præmittere intrando, & cum veniunt, exire eis obviam usque ad fines ſcalarum, ſi poteſt: & cum recedunt, ſociare eos, quousque aſcendant equum ſeu mulam: & hoc non debent dimittere, etiam ſi ſæpius a viſitante rogentur, ut remaneant. Quod ſervatur & in novis & antiquis, cum ſe mutuo viſitant: *ſemper viſitatus honorat viſitantem.*

CAPUT X.

De Modo & forma claudendi & aperiendi os novis Cardinalibus.

In primo Conſiſtorio Pontifex novis Cardinalibus claudit os, inhibetque, ne quid loqui præſumant in Conſiſtoriis, aut Conſiliis, quouſque de conſilio fratrum duxerit eis os aperire.

In ſecundo Conſiſtorio, aut tertio, conſuevit eidem Pontifex aperire os in hunc modum: Poſtquam omnes tam antiqui quam novi concederint, Pontifex jubet exire novos Cardinales, qui exeuntes expectant extra Conſiſtorium in loco condecenti: & ſummus Pontifex proponit antiquis Cardinalibus, *an illis videatur, quod novis ſit aperiendum os?* & illis ſigillatim conſentientibus, vocantur intus novi Cardinales, & ſedent in locis ſuis. Tunc Pontifex novos Cardinales ſtantes verbis, paterna charitate plenis, inſtruit, quomodo ſe in omnibus cum gravitate, modeſtia, humanitate, & prudentia gerere debeant: quod in Conſiſtoriis cum reverentia & modeſtia loquantur. Mentem ſuam exponant non per modum contradicendi, ſeu impugnandi aliorum dicta: ſed cum omnium reverentia & modeſtia ſententiam ſuam explicent ea prudentia, quam Dominus eis ſubminiſtrare dignabitur. In conſiliis ſeu votis explicandis ſolum Deum præ oculis habeant. Domum atque familiam ſuam cum omni honeſtate gubernent, non ſint in ea luſores, rixatores, ganeones, & viri infames: familiæ namque vitia plerumque dominis impingi ſolent. Unde illud, Qualis Rex, talis & populus. Incumbant, cum vacant a publicis negotiis, bonarum artium ſtudiis. In menſa ſemper aliquid audiant de ſacra Scriptura. Hæc, & alia pleraque, in hunc modum poterit ſanctiſſimus Dominus noſter novis Cardinalibus dicere, prout ſuæ Sanctitati videbitur expedire.

CAPUT XI.

Forma aperiendi os.

DEinde aperit eis os, dicens: *Aperimus vobis os tam in collationibus, quam in conſiliis, atque in electione Summi Pontificis, & in omnibus actibus, tam in Conſiſtorio, quam extra, qui ad Cardinales ſpectant, & quos ſoliti ſunt exercere, in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen.*

CAPUT

CAPUT XII.

De dandis titulis & annulis novis Cardinalibus.

DEinde accedentes novi Cardinales unus poſt alium Pontificem, primus genuflectit ante Pontificem: qui accipiens annulum precioſum ad hoc præparatum, immittet in digito annulari dextræ manus Cardinalis, dans ei annulum & titulum, dicens: *Ad honorem Dei omnipotentis, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſancti N. committimus tibi Eccleſiam ſancti N. cum clero & populo, & capellis ſuis, ſecundum formam, qua committi conſuevit Cardinalibus, qui eandem Eccleſiam in titulum habuerunt:* in Diaconis autem idem ſervatur, niſi quod non dicit, tituli, nec adduntur capellæ.

CAPUT XIII.

Quod novi Cardinales non utuntur titulis, antequam habeant titulum.

ET notandum, quod novi Cardinales, etiam ſi antea erant Prælati, non debent portare annulos, antequam habeant annulum a Summo Pontifice. Cum autem acceperint annulum & titulum, oſculentur pedem & Pontificis manum: & Sanctitas ſua eos elevet ad oſculum oris, & revertuntur ad ſedes ſuas. Datis annulis & titulis Cardinalibus præſentibus, conſuevit etiam Pontifex, ad contentiones tollendas, etiam dare titulos Cardinalibus abſentibus, ſi qui ſint noviter creati. Et hæc omnia de ore aperiendo, annulis & titulis dandis, poſſunt etiam fieri extra Conſiſtorium ordinarium, videlicet in circulis, & congregationibus, quando Cardinales vocantur pro aliqua cauſa. Et tamen ſupradicta ſervantur ſicut in Conſiſtorio.

CAPUT XIV.

Diſpenſatio, quod retineant beneficia.

ET quoniam in aſſumptione ad Cardinalatum, cenſentur omnia beneficia promoti vacare, conſuevit Pontifex per literas Apoſtolicas ad partem diſpenſare cum promoto, ut omnia beneficia, quæ obtinebat, retineat: & decernere illa non vacare.

CAPUT XV.

Galerus regulariter non mittitur abſentibus.

ET notandum, quod, ſicut apud omnes *cerimoniarum* libros invenimus, regulariter Pontifices non conſueverunt mittere galerum rubrum novis Cardinalibus extra curiam, niſi eſſent in aliqua legatione pro aliqua re magni momenti ſedis Apoſtolicæ, quia tunc mittetur, ut ſint majoris auctoritatis & reverentiæ: & tunc ſervantur infra ſcriptæ cerimoniæ.

CAPUT XVI.

Quæ ſervantur, cum mittitur galerus extra curiam.

SUmmus Pontifex, cum galerum rubrum alicui extra curiam deſtinat, committit alicui Prælato in illis partibus primario per ſuas literas, ut publice galerum rubrum Apoſtolicæ Sedis nomine novo Cardinali imponat, recepto ab eo prius fidelitatis juramento. Nam ab abſentibus exigitur juramentum: præſentibus autem aliquando fuit factum, aliquando non. Formam juramenti, & literas Apoſtolicas, dabit illi, per quem mittet galerum. Qui igitur illum nomine Pontificis ad novum Cardinalem deferet, cum ingreditur urbem ſive oppidum, ubi novus Cardinalis inhabitat, deducuntur a nobilibus & amicis Cardinalis, & ipſum galerum porta-

portabit palam, ut videri poſſit, ſive ſuper unum baculum, ſicut portantur ante Papam, ſive alias, quomodo ſibi placuerit. Die Dominico vel Feſto, convenient ad domum novi Cardinalis: Epiſcopus, cui committitur aſſignatio, & Pontificis nuncius, qui galerum portavit, & ſimul omnes cum novo Cardinali ibunt ad Eccleſiam, nuncio Apoſtolico ante Cardinalem galerum portante: & tunc Cardinalis habebit cappam Cardinalarem, & galerum nigrum ſtatui ſuo priſtino congruentem. In Eccleſia, poſtquam fecerint orationem ante Altare, audient Miſſam ſolennem ſive ſimplicem, prout Domino Cardinali placebit. Finita Miſſa, Epiſcopus commiſſarius induet ſuper rochetum, ſive ſuperpellicium, ſtolam, pluviale, & mitram precioſam, & ſedebit ſupra cathedram ſibi paratam ante Altare, vertens faciem ad populum. Nuncius autem, & qui galerum portavit, deponet illum ſuper Altare: & ſi ad hoc erit idoneus & paratus, ſtans in loco convenienti, ut ab omnibus audiatur, facit brevem ſermonem de dignitate Cardinalari, de meritis & virtutibus novi Cardinalis, & de meritis Principis, qui pro eo ſupplicavit. Finito ſermone vel dimiſſo, accedet ad Epiſcopum commiſſarium, & illi præſentabit literas Apoſtolicas, quas Epiſcopus reverenter ſuſcipiet, & per unum ex ſuis publice legi faciet. Deinde convertens ſe ad circumſtantes, narrabit, qualiter Summus Pontifex, volens Sanctæ Romanæ & univerſali Eccleſiæ de novis Cardinalibus providere, in quatuor temporibus proxime præteritis aſſumpſit ad Cardinalatus dignitatem octo Reverendiſſimos patres, omnium virtutum genere excellentes: inter quos voluit annumerari Reverendiſſimum in Chriſto patrem, tunc Epiſcopum Tornacenſem, cum ſuis præclaris meritis, tum maximis precibus & interceſſione Sereniſſimi Regis, ſeu Principis, &c. & hic, præſertim ſi nuncius Apoſtolicus id non fecerit, laudet perſonam Cardinalis, perſonam intercedentis, & ipſam dignitatem. Demum exponat commiſſionem ſibi

factam, & concludat ſe eſſe paratiſſimum ad exequenda Apoſtolica mandata.

Novus Cardinalis, his dictis, accedat ad Altare, & genuflexus ante Epiſcopum juret, ut in forma ad Epiſcopum tranſmiſſa continetur. Quo facto, ſurgit Epiſcopus, & retrahens ſe ad cornu Epiſtolæ depoſita mitra, & libro ſuper Altare ſibi parato, dicit verſiculos & orationes infra ſcriptas ſuper Cardinalem genuflexum, in eodem loco, ubi juravit, permanentem, *Pater noſter:* deinde proſequitur ſecrete; tum alte dicit: *Et ne nos inducas in tentationem.* Reſp. *Sed libera nos a malo.* Verſ. *Salvum fac ſervum tuum, Domine.* Reſp. *Deus meus, ſperantem in te.* Verſ. *Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto.* Reſp. *Et de Syon tuere eum.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus. Oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo, N. & dirige eum ſecundum clementiam tuam in viam ſalutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.* Oratio: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.* Sedet deinde Epiſcopus commiſſarius cum mitra, & accipiens galerum rubrum de manu nuncii Apoſtolici, ipſum ſuper caput novi Cardinalis ante ſe genuflexi, biretum & cappam in capite tenentis imponit, dicens: *Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei accipe rubrum galerum, magnæ Cardinalatus dignitatis inſigne, quod per manus noſtras, Apoſtolicæ ſedis nomine, capiti tuo imponitur in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen. Et ſicut idem Paracletus ſuper capita Diſcipulorum Chriſti in figura ignis deſcendit, eorum corda Dei timore inflammans: ita & tu, qui illorum typum cum aliis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in terris geſturus es, charitate fervens, zelo domus Dei ardeas: &*

ſcias

ſciat te pro exaltatione & tuitione catholicæ fidei, pro pace & quiete Chriſtiani populi, pro defenſione Eccleſiaſticæ libertatis, honore, ſtatu, commodoque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, usque ad effuſionem ſanguinis, & ipſius corporis mortem perpetuo fore obligatum: quod ut præſtare valeat, ipſe concedere dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen: & mox dat illi oſculum pacis, dicens: *Pax tibi*, & ille reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo.* Extrahitur deinde galerus, & traditur nuncio Apoſtolico. Epiſcopus vero commiſſarius ſurgens detracta mitra genuflectit, & incipit: *Te Deum laudamus*: chorus proſequitur. Et Epiſcopus poſt primum Verſum ſurgit, ſtans ſine mitra uſque in finem: novus Cardinalis perſeverat ſemper genuflexus uſque in finem. Finito hymno, Epiſcopus dicit: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare.* Et in fine: *Dominus vobiſcum:* & cantores dicunt: *Benedicamus Domino:* alii reſpondent: *Deo gratias.* His finitis, Epiſcopus, reaſſumpta mitra, ſtans in medio Altaris, benedicat ſolenniter, dicens: *Sit nomen Domini, &c.* Deinde exuit ſe ſacris veſtibus, &, aſſumpta chlamide, deducit novum Cardinalem domum ſuam: qui, ſi locus eſt idoneus, aſcendet equum: & cum galero rubro revertitur ad proprios lares.

CAPUT XVII.

De creatione Epiſcopi Cardinalis: & quod Cardinalis, de quo aliquid tractatur, exit Conſiſtorio.

VAcante titulo Epiſcopi Cardinalis, conſueverunt Romani Pontifices regulariter ad Epiſcopatum promovere antiquiorem Presbyterum Cardinalem (ſi tamen ante ſuam promotionem ad Cardinalatum erat conſecratus Epiſcopus) unde ſi prior Presbyterorum non erat ante ſuam promotionem

nem Epiſcopus, præmittitur ſecundus vel tertius, ſi prius erant conſecrati, quod ſervatum legimus a JOANNE XXII. & CLEMENTE VI. & aliis. Sed nonnunquam præponuntur juniores Presbyteri propter legationem, ut fecit JOANNES XXII. prædictus, qui promovit ad Epiſcopatum *Hoſtienſem Dominum* BERTRANDUM de POGETO, qui erat in legatione, & noviſſimus Cardinalis. Legimus etiam, apud antiquos nonnullos ex Diaconatu ad Epiſcopatum promotos fuiſſe. Ut GREGORIUS XI. qui *Cardinalem Lemonicenſem* promovit ad Epiſcopatum Prænenſtinenſem, Diaconum exiſtentem; & etiam ipſi noſtris temporibus idem vidimus. PIUS II. JOANNEM CARVAJAL, *Cardinalem ſancti Angeli,* ex Diacono Epiſcopum Portuenſem creavit, propter ejus præclara erga ſedem Apoſtolicam merita: fuerat enim bis cum legatione contra Turcos cum maximo labore, & vitæ ſuæ diſcrimine. Et SIXTUS IV. RODERICUM BORIAM, *Sancti Nicolai in carcere Diaconum Cardinalem, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarium,* ad Epiſcopatum primum Albanenſem, deinde Portuenſem promovit. Licet igitur videre, quod Pontifex pro ſuo arbitrio cum conſilio fratrum de perſonis Presbyterorum, ſive Diaconorum, conſuevit titulis Epiſcopalibus Cardinalium providere; Igitur, vacante Eccleſia Epiſcopali Cardinalari, Pontifex in ſecreto Conſiſtorio proponit perſonas, ut ſibi videtur, bene meritas: quamvis ordinarie antiquiores Presbyteros proponere debeat. Si præſens eſt ille, de quo agitur, debet exire Conſiſtorio. Et cum Pontifex habebit vota fratrum, promovet illum talem ad Epiſcopatum per verbum *providemus*, ut fit in aliis Epiſcopis: non per *aſſumimus*, ut in Cardinalibus: deinde revocatus ad Conſiſtorium proviſus per Pontificem intimatur ſibi, qualiter de conſenſu fratrum providerit Eccleſiæ Epiſcopali, &c. de ſua perſona; tunc novus Epiſcopus agit gratias genuflexus ſanctiſſimo Domino noſtro, &

oſcula-

oſculatur pedem & manum ejus, & datur ſibi annulus pretioſus, & novis Cardinalibus: & elevatus recipitur ad faciem Pontificis. Inde per ordinem recipitur ad oſculum ab omnibus aliis Cardinalibus, & ſedet poſt ultimum Epiſcopum Cardinalem. Tum, finito Conſiſtorio, deducitur a toto Collegio domum propriam, medius inter duos antiquiores Diaconos, in ultimo loco equitantes. Cum pervenerit ad domum ſuam, agit gratias Dominis Cardinalibus ſingulariter ſingulis, ut de novis Cardinalibus diximus: viſitat, & viſitatur. Et adverte quæ ex laudabili & debita obſervantia quotiescunque in ſecreto Conſiſtorio agitur de aliqua re ſpiritualiter tangente perſonam alicujus Cardinalis præſentis, ille talis debet exire Conſiſtorio, & expectare in camera ad partem, quoad, finito ſuo negotio, revocetur.

CAPUT XVIII.

De electione Legati Apoſtolici de latere.

Pontifex in ſecreto Conſiſtorio primum proponit cauſas, propter quas ſibi videatur neceſſaria Legatorum creatio: & exquirit vota, *an ſint creandi Legati, & quot:* poſtquam convenerint, nominat perſonas: quæ nominatæ exeunt Conſiſtorio, & cum patres concordaverint de perſonis, revocantur intro. Pontifex, omnibus conſedentibus, exponit, qualiter confiſus de prudentia, virtute, &c. illius, de conſilio fratrum deſignaverit illum Legatum Apoſtolicum ad tales partes, injungitque ei onus legationis. Ille, ut primum Pontifex ad eum convertit orationem, aſſurgit: & ut Pontifex finivit, detecto capite agit gratias Sanctiſſimo Domino noſtro & ſacro Senatui de bona eorum opinione erga ſuam inſufficientiam, & verbis modeſtiſſimis excuſat ſe: & rogat, ut id onus melioribus & peritioribus committatur: & tandem, inſtante Pontifice, offert ſe paratum ad obedientiam: agitque iterum

gratias, & accedens ad ejus pedes, & genuflexus oſculatur pedem & manum, & recipitur ad oſculum oris. Et ſimiliter deinde ab omnibus Cardinalibus, & deducitur domum, ut de Epiſcopo Cardinali ſupra diximus. Deinde parat ſe ad iter, & interim omnes Cardinales viſitat, antequam diſcedit. Adveniente die profectionis fit ſecretum Conſiſtorium, & in fine exiens a latere Pontificis deducitur ab omnibus Cardinalibus ordine prædicto, usque extra portam civitatis: & ibi, poſtquam egit gratias, & oſculatus eſt omnes Cardinales, proficiſcitur in pace. Alii autem revertuntur domum ſuam. Cardinalis legatus poſtquam exivit territorium civitatis ubi Pontifex reſidet, incipit benedicere, capitque mantum rubrum, & præfertur ante eum crux: & dum eſt in legatione, non participat de emolumentis Cameræ Apoſtolicæ, ſive Annatarum. Conſueverunt Summi Pontifices ſemper, quando pronunciabant novos Cardinales ſive Epiſcopos Cardinales, ſive Legatos Apoſtolicos, ſive novos electos ad Eccleſias cathedrales, ſive translatos, habere pluviale, & mitram Conſiſtorialem: & tunc Cardinales omnes faciebant reverentiam, ut in Eccleſia. Et nota, *quod Papæ nunquam fit reverentia a Cardinalibus, quando non habet pluviale & mitram.* Hodie, ut audio, raro Pontifex iſta facit cum pluviali & mitra. Et reverentia nunquam fit in Conſiſtorio ſecreto.

CAPUT XIX.

De ordinatione Cardinalium ad ſacros ordines.

Aſſumpti ad dignitatem Cardinalatus, minores ordines, & Subdiaconatum accipiunt ab aliquo Epiſcopo Cardinali de commiſſione Pontificis: Diaconatum vero & presbyteratum de manu Summi Pontificis in loco, ubi Suæ Sanctitati placuerit. Aderunt præſentes duo Diaconi, Pontifici aſſiſtentes: & unus Diaconus miniſtrans in Miſſa, ſi erit ſolennis, &

unus

unus Presbyter Cardinalis parati, qui Pontifici miniſtrabunt. Et ſervabuntur omnia, quæ in ordinatione aliorum ſervantur. Senior Diaconorum dicet: *Poſtulat ſancta Eccleſia, &c.* & reſpondet: *Ordinati poſt ordinationem oſculantur pedem ſanctiſſimi Domini noſtri, & manum genuflexi, & recipiuntur ad oſculum oris.* Ad offertorium offerent cereos, panes & vinum, ut faciunt Epiſcopi. Et in fine cum mitra ſimplici in capite dicent: *Ad multos annos:* ut in Epiſcopis.

CAPUT XX.

Quod apud Altare ſancti Petri ſolus Papa conſecratur.

ET nota, quod ſecundum inſtitutionem GREGORII I. hujuſmodi conſecrationes non debent fieri apud Altare Sancti Petri: quia ibi ſolus Romanus Pontifex conſecratur. Quando Papa aliquos vult ordinare publice in ſancto Petro, conſuevit actus ordinationis & conſecrationis facere in capella *ſancti Andreæ*, vel alia, & reliquum Miſſæ finire ad Altare *ſancti Petri.* Et adverte, quod Cardinales, ſi Papa celebraret publice, antequam illi eſſent ordinati, in ſuo ordine non eſſent cum paramentis, ſed cum ſuis cappis laneis, & ſederent ultimi poſt paratos ſuo ordine.

CAPUT XXI.

De novo Cardinali veniente ad curiam ſine galero.

NOvus Cardinalis die, quo perveniet ad urbem, in qua eſt Pontifex, quieſcit in aliquo loco circa portam urbis intra vel extra, ſecundum commoditatem locorum, ut Romæ apud Sanctam Mariam, de populo venientes per Tuſciam, ſive per viam flaminiam, vel apud Lateranum venientes per Appiam ſive Latinam, illo die non vadunt ei obviam aliqui

Cardinales, neque eorum familiæ: & cum eſt per unum miliare prope civitatem, dimiſſo pallio itinerario, induit cappam Cardinalarem, & galerum nigrum ſecundum ſuam priſtinam dignitatem: & illa nocte, ubi quieſcit, ſummo mane ornetur ibi aliquis locus honeſtus, & capax, in quo Cardinales congregentur, expectantes adventum aliorum. Et novus ponat aliquos ex ſuis, qui advertant, quando Cardinales adveniunt, & ſibi reauncient, ut in tempore poſſit eis occurrere: cum vero Cardinales venerint unus vel plures, novus cum ſua cappa occurrat eis in introitu loci, & reverenter atque benigne eos excipiat: & ponat omnes ad dextram ſuam: & eos honoret, tanquam ſi eſſet in domo ſua: ducatque illos in locum præparatum, ubi debent alios expectare: & ipſe ſedeat ſemper ultimus. Et ſic unicuique venienti obviam ibit, & deducet ad alios. Cum vero omnes convenerint, deſcendant ad equitandum: & ipſe cum ſuo galero nigro equitabit medius inter duos antiquiores Diaconos in ultimis. Qui antequam perveniant ad palatium, illi duo antiquiores Diaconi, dimiſſo novo Cardinali in medio aliorum duorum, poſt eos ſeniores perveniunt ad Pontificem, & illum induunt amictu, alba, cingulo, ſtola, pluviali rubro, & mitra precioſis. Cum vero alii Cardinales perveniunt ad palatium, deſcendunt ex equis, & omnes per ordinem aſcendunt palatium, & novum Cardinalem dimittunt in aliqua capella, ſive camera, ad hoc parata, cum duobus junioribus Diaconis Cardinalibus, & ipſi vadunt ad Summum Pontificem: qui paratus, ut diximus, præcedente cruce exit ad publicum Conſiſtorium: ſedent omnes in locis ſuis, & fit reverentia a Cardinalibus præſentibus: deinde advocatus Conſiſtorialis proponit aliquam cauſam. Interim tempore congruo duo antiquiores Diaconi vadunt ad locum, ubi expectat novus Cardinalis, & illi duo, qui erant, veniunt ad Conſiſtorium, & facta ex more reverentia Pontifici, ſedent in locis ſuis. Poſt paululum

ſulum venit novus Cardinalis medius inter duos Diaconos, & cum venerit in conſpectu Pontificis, profunde caput inclinet ante Pontificem ſimul cum ſuis ductoribus, quorum geſtus animadvertit, & imitatur. Deinde præcedentem priorem Diaconum ſequatur, & iterum ante gradum primum ſedis Pontificalis, ſimul cum deductoribus, Pontificem veneretur, & aſcendens gradus genuflectat ad pedes Pontificis, oſculetur pedem & manum, & a Pontifice ſublevetur, & ad oſculum oris recipiatur: tum a ſupradictis Diaconis ducitur ad oſculum omnium Cardinalium præſentium per ordinem, & in fine ipſos Diaconos ſtantes in locis ſuis oſculetur. Et mox a miniſtro cerimoniarum ducitur ad locum, qui ei competit ſecundum ordinem pronunciationis ſuæ, cum fuit aſſumptus in Cardinalem, &, reliquis ſedentibus, ſedet & ipſe: Advocatus autem proſequitur ſuam cauſam. Finita cauſa, ſurgunt omnes Cardinales, & ordinate vadunt ad parvam capellam, ſeu ad Altare ad hoc paratum, præcedentibus cantoribus, cantantibus *Te Deum laudamus*: duo vero antiquiores Diaconi vadunt ad aſſiſtentiam Summi Pontificis. Ducitur novus Cardinalis ad Altare, ubi proſtratus orat: dicuntur verſiculi, & orationes per primum Cardinalem: reducitur ad pedes ſanctiſſimi Domini noſtri, accipit galerum de manu Pontificis, & deducitur ab aliis Cardinalibus domum ſuam. Et omnia fiunt, ſicut diximus, quando datur galerus præſentibus, viſitat & viſitatur. Demum in primo Conſiſtorio imponitur ei ſilentium, & in ſecundo aut tertio aperitur ſibi os, & fit mentio, ut de aliis ſupra dictum eſt.

CAPUT XXII.

De reditu novi Cardinalis cum galero, ſive Legati.

SI autem novus Cardinalis habuit galerum, ſive eſt Legatus Apoſtolicus aliquis, ille, qui venit, recipitur apud portam,

deducitur ad palatium, & deinde ad Conſiſtorium ad pedes Papæ, ut de novo Cardinali ſine galero diximus, recipitur ad oſculum pedis, manus & oris a Pontifice, & ab omnibus Cardinalibus ad oſculum pacis: & tandem ponitur ad ſedendum in ordine ſuo, ſecundum pronunciationem de ipſo factam, ſi eſt novus: ſive in loco antiquo, ſi eſt Legatus: & non ducitur ad Altare, neque aliquid cantatur, ſed, finito Conſiſtorio, deducitur domum ſuam ab omnibus: viſitat, & viſitatur, ut de aliis dictum eſt ſuperius.

CAPUT XXIII.

De novo Cardinali, vel Legato redeunte, vacante ſede.

SI vero Cardinalis, vel Legatus redierit ad curiam, ſede vacante, nullus Cardinalis vadit ſibi obviam, quia tunc Collegium tenet quodammodo locum Pontificis, ſed cum ſuis privatis amicis ſe recipit domum habitationis ſuæ ſine aliis cerimoniis.

SECTIO IX.

CAPUT I.

De loco & ordine Conſiſtorii.

QUia publicum Conſiſtorium frequenter nominavimus, & in poſterum nominaturi ſumus: operæ precium videtur, ordinem & modum ipſius Conſiſtorii explicare. In palatio Apoſtolico apud Sanctum Petrum tres aulæ ſunt Pontificales, quas in Conclavi contineri ſuperius diximus. *Prima* omnium maxima pro Conſiſtorio publico ornari ſolet, quando Reges, aut regii Legati ſunt excipiendi, canonizationum etiam cauſæ in ea parantur: in *tertia aula* recipiuntur legationes aliorum Principum,

pum, & rerum publicatum, cum ad venerandum Summum Pontificem veniunt, publicantur novi Cardinales: excipiuntur Legati Apoſtolici, quando revertuntur ex ſuis legationibus: excipiuntur Cardinales novi venientes ad Romanam curiam, & agitantur cauſæ, quæ publicum Conſiſtorium requirunt. In capite aulæ erigitur ſolium Pontificale, ad quod tribus amplis gradibus aſcenditur, forma ſolii erit ferme quadrata, latitudinis in ſummo plano palmorum duodecim, vel circa, in medio ſedes erit parieti hærens cum magno & parvo ſcabello, planum totum cum magno ſcabello coopertum erit panno coccineo: ſedes vero aureo erit ornata panno & pariete: & ſupra caput pendebit aureus pannus, a dextra infra ſolium per viginti palmos, vel circa ſedilia Epiſcoporum Cardinalium & Presbyterorum erunt remota a pariete per duos palmos; habebunt reclinatorium ſive poſtergale altum uſque ad ſpatulas, & gradum altitudinis ſex aut octo digitorum, ſuper quem pedes teneant: primum ſedile erit longitudinis trium cannarum vel circa, ſecundum menſuram Romanæ curiæ: huic conjunctum erit ſecundum ſedile duarum cannarum longitudinis in transverſum aulæ, ita ut ibi ſedentes in faciem Pontificis reſpiciant: a ſiniſtra Pontificis erit ſedile Diaconorum Cardinalium e regione Epiſcoporum Cardinalium, & inter quod ſedile, quod in transverſum porrigitur, erit ſpacium decem palmorum, aut duodecim, ut ſit quodammodo oſtium ad ingreſſum Conſiſtorii: longitudo ſedilis Diaconorum erit duarum cannarum cum dimidia, vel circa: hæc ſedilia erunt pariformiter ornata auleis & tapetis, & ejusdem altitudinis & latitudinis, ita ut in nullo differant gradus ſolii Pontificalis: & totum ſpacium, quod ſedilibus circumplectitur, pannis viridibus ſternitur.

CAPUT

CAPUT II.

De habitu, & locis in publico Conſiſtorio.

POntifex ad publicum Conſiſtorium, ut ad capellam, procedit paratus amictu, alba, cingulo, ſtola, pluviali rubro, & mitra precioſis, cruce cum Cardinalibus præcedente: ſedet in ſua ſede Pontifex. Cardinales, facta ex more reverentia, omnes in ſuis ſedibus ſedent. Diaconi non aſſiſtunt, poſtquam fecerint reverentiam: Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, & omnes Prælati ſedent ſuper tres gradus ſolii Pontificalis: & cum eis in ultimo Subdiaconi, Auditores, Clerici Cameræ, & Acoluthi omnes cum ſuis cappis laneis. Curiales togati ſedent ſuper terram inter ſedilia Cardinalium: Cubicularii & Secretarii cum capputiis ad collum in terra inter Prælatos & Curiales togatos. Si nepotes Pontificis, aut aliqui magni Principes adſunt, unus vel duo, non tamen tales, quos ſedere deceat in ſedili Cardinalium, hi ſtant juxta Pontificem hinc inde: Oratores Regum & Principum, & magni nobiles ſtant ad dextram Pontificis inter gradus ſolii & parietes: familiares Papæ & nobiles ſtant a ſiniſtra inter gradus & parietes. Advocati conſiſtoriales ſtant retro, vel poſt ſedilia Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium. Procuratores Regum, Principum, Religionum ſimul cum Procuratore fiſcali ſtant poſt ſedile Epiſcoporum Cardinalium inter murum & ſedile: Fiſcalis tamen tenet primum locum. Spatium autem inter ſedilia Presbyterorum Diaconorum Cardinalium ſervientes armorum obſervant, tanquam oſtium & aditum Conſiſtorii, & illac, qui ingreſſuri ſunt ad Pontificem, ingrediuntur. Magiſter ſacri hoſpitii, quæ dignitas hoc tempore eſt in nobili Comitum domo, illic ſtat ante ſervientes armorum in fine ſedilis Presbyterorum, & in capite ſedilis Diaconorum debent ſtare clerici cerimoniarum, ut præſto ſint ad exequendum, quæ Pontifex mandaverit, & ordinandum,

dum, quæ ſunt agenda. Cum autem Conſiſtorium tenebitur pro cauſis judicialibus tantum, quod fieri conſuevit a Pontificibus, interdum cum ad alias cauſas non tenetur, Advocatus proponens ſtat poſt ſedile Presbyterorum Cardinalium contra Pontificis faciem, & cauſam ſuam exponit, & in fine ſchedulam ſuæ ſupplicationis inter ſedentes in terram curiales projicit, qui illam ad manus Vicecancellarii transmittunt. Si quis eſt ex aliis Advocatis, qui contradicere velit, & pro adverſario reſpondere: finita altercatione, Pontifex reſpondet per verbum *Placet*, ſimpliciter: vel cum limitatione, ut ſibi videtur. Et Vicecancellarius manu propria ſignat ſupplicationem, ſecundum Pontificis reſponſum, & idem in libro, quem penes ſe habet, ſcribit: Nam quidam ex ſuis apud pedes ſuos ſedens, librum & pugillares ſervat. Expeditis autem cauſis, ſurgunt omnes, & duo ſeniores Diaconi accedunt ad aſſiſtentiam Pontificis, qui revertitur ad Cameram eo ordine, quo venerat.

CAPUT III.

De Conſiſtorio Secreto.

SEcretum Conſiſtorium celebratur in aula aliqua palatii Apoſtolici remotiori; hodie cameram *Papagalli* appellant, ſedes Pontificalis parieti adhæret in medio: ſurgit a ſolo ſine thalamo aut gradibus, ſcabellum habet magnum, ſuper quod Pontifex tenet pedes, & aliud parvum, per quod ad majus aſcenditur. Scabella pro pedibus Cardinalium ante Pontificem locantur in forma quadrata a dextra, & a fronte ſedent Epiſcopi & Presbyteri ſuo ordine, unus poſt alium. Prior Epiſcoporum primus poſt Pontificem, deinde alii: a ſiniſtra vero Prior Diaconorum primum juxta Papam obtinet locum, alii deinde ſequuntur: ultimus Presbyterorum proximus eſt ultimo Diaconorum, inter quos nemo Cardinalium ſedet.

 Ponti-

Pontificis ſedes aureo panno eſt ornata, ſcabella Cardinalium nuda ſunt, ſed picta rubeo colore cum armis Papæ. Locus inter ſedem Papæ & ſcabella Cardinalium tapetis ſterni conſuevit: ultimus Diaconorum tintinnabulum ſeu campanellam retinet, ut ſignum faciat cuſtodibus Conſiſtorii, ſi Pontifex aut patres ab eis aliquid velint. In angulis ante faciem Pontificis ſcabella duo hinc inde removentur, quoad omnes convenerint, ut inde tanquam per oſtia intrent Cardinales ad ſedendum: cum omnes congregati ſunt, illa duo ſcabella reſtituuntur in locum ſuum. Pontifex ſi eſt pronunciaturus Cardinales ſive Prælatos, conſuevit exire paludatus & mitratus: in aliis negotiis cum ſuo rocheto & parvo capputio, quamvis hodie raro, niſi in principio Pontificatus, exeat cum pluviali & mitra: alii omnes, præter Cardinales, excluduntur, cum tractare incipiunt Conſiſtorialia: duo ſecreti cubicularii pro foribus Conſiſtorii excubant, cum ſuis capputiis ſuper collum inverſis, ut præſto ſint, ſi ſignum fiat. Pontifex negotia incumbentia in Senatu proponit, deinde per ordinem ſententias rogat (votum enim ſuum ſententias appellant) quisque ſurgens ſententiam ſuam dicit: deinde Pontifex ſecundum majoris partis ſententiam decernit.

SECTIO X.

CAPUT I.

De proviſione Eccleſiarum.

Cum autem proviſiones Eccleſiarum Pontificalium ſive monaſteriorum occurrunt, Pontifex committit vivæ vocis oraculo alicui ex Cardinalibus, ut de opportunis legitime ſe informent, & deinde in ſecreto Conſiſtorio referat. Cardinalis Commiſſarius primo diligenter inquirit de eſſentia, qualitate & regione Eccleſiæ, eo

tempore

tempore vacantis: tum de veritate & modo vacationis: demum de qualitate & ſufficientia providendi, ſeu confirmandi. Nam quædam provinciæ habent privilegium a ſede Apoſtolica eligendi ſibi Prælatos, cum illorum Eccleſiæ, ſive monaſteria, vacant: & tunc ultra prædicta diligenter inquiritur, *an electio fuerit canonica, & canonice facta:* providendus autem ab ipſo Pontifice nominatur, ſive motu proprio, ſive ad petitionem Principum, aut aliorum: & aliquando plures nominantur, & de pluribus exquiritur. Examinantur ſuper præmiſſis teſtes medio juramento: recognoſcuntur publica documenta, & aliæ ſcripturæ: & conficitur proceſſus ordinarius, cum placuerit Summo Pontifici. Cardinalis commiſſarius in ſecreto Conſiſtorio refert publice omnia, quæ in proceſſu continentur ſummarie, & ſimpliciter ac dilucide proceſſum ipſum, in ſcriptis per Scribam ſuum redactum, ſecum habens. Pontifex, relatione audita, exquirit primo votum Commiſſarii proponentis, deinde patrum ſententias: & ſi Suæ Sanctitati videtur expedire, pronunciat in hanc formam, remoto e capite bireto, dicens videlicet: *Auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra providemus Eccleſiæ Pientinenſi de perſona dilecti filii,* AUGUSTINI PATRITII, *Clerici Senenſis, præficientes eum illi Eccleſiæ in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ in ſpiritualibus plenarie committendo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Et ſic dicens facit manu ſignum ſanctæ crucis. Si vero electio erit confirmanda, non dicit, *providemus:* ſed, *Electionem de perſona dilecti filii* ALBERTI, *electi Argentinenſis ad Eccleſiam Argentinam canonice factam confirmamus & approbamus, præficientes eum illi Eccleſiæ in Epiſcopum, &c.*

CAPUT II.

Pronunciandi Abbatis forma.

AUctoritate &c. providemus Monaſterio Sancti Galgani, ordinis Ciſtercienſis, Senenſis diœceſis, de perſona electi filii, A. ejuſdem monaſterii monachi profeſſi, in ſacerdotio & legitima ætate conſtituti, præficientes eum illi Monaſterio in Abbatem, curam, regimen & adminiſtrationem ipſius monaſterii in ſpiritualibus & temporalibus eidem plenarie committendo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Interdum autem cum Eccleſia vacat in curia Romana, & perſona providenda eſt familiaris, ſive valde nota Pontifici, Pontifex ſine aliquo proceſſu ſive commiſſione proponit perſonam, & de conſenſu fratrum pronunciat & providet, ut ſuperius eſt dictum.

CAPUT III.

De Habitu & prima viſitatione Prælatorum, & juramento.

PRonunciatus in Epiſcopum mox accipit rochetum, & tondet caput, faciens ſibi magnam coronam, & ut primum poterit, indutus magna cappa, & ſociatus ab amicis equitat cum *Galero nigro Epiſcopali,* primum ad palatium Apoſtolicum, & agit gratias Summo Pontifici de ſua promotione: deinde ad omnes Cardinales, quibus etiam agit gratias, quod promotionem ſuam benigne juverint, & in ea gratioſe conſenſerint. Et quando promotus intrat ad Pontificem, ſeu Cardinales, ſolent etiam admitti Prælati, & nobiles curiales, qui eum deducunt, ut poſſint audire proponentem, & reſpondentem : ſolent promoti agere gratias, pro dignitate ſibi commiſſa, merita ſua extenuando, & dignitatis auctoritatem amplificando, Eccleſiam ſibi commiſſam commendando, &

ſe offe-

ſe offerendo. Pontifex pro qualitate perſonæ reſpondet allegando merita promoti, vel intercesſorum ejus: & monet, ut Eccleſiæ, ad quam promotus eſt, honori & utilitati totis viribus incumbat. Cardinales plerumque ſolent reſpondere, quod ipſis non ſunt agendæ gratiæ, ſed Summo Pontifici, qui perſonam ſuam ad illam dignitatem promoveri voluit: ad alia vero reſpondent ſecundum merita, & ſecundum propoſita, laudando, monendo, & hortando, ut expedire judicaverint. Promoti Clerici ſeculares ſtatim, ut diximus, utuntur rocheto, & capello, ab extra panno nigro, ab intus ſerico viridi cooperto cum cordulis, & mappulis viridibus. Promoti vero ex religione utuntur priori habitu ſine rocheto (niſi ſint Canonici Regulares, qui illo utuntur in ſua religione) & utuntur galero ab extra, & ab intus nigri coloris, ſicut protonotarii, & Abbates præſentes ante expeditionem literarum Apoſtolicarum præſtant juramentum fidelitatis Summo Pontifici in manibus Prioris Diaconorum Cardinalium genuflexi, in forma, quam Clericus cerimoniarum exhibet, qui de juramento eſt rogatus, & facit inde inſtrumentum, & refert in Cancellaria, qualiter talis Prælatus juravit: neque in Cancellaria expediuntur literæ ſine tali relatione, & male, & cum gravi præjudicio Apoſtolicæ ſedis, & ideo providendum. Ad abſentes mittitur forma juramenti cum aliis literis.

CAPUT IV.

Qui appellantur Electi.

PRomoti ad Eccleſias, ſive monaſteria, ante ſuam conſecrationem, ſive benedictionem, quam infra tres menſes ſumere debent, non appellantur Epiſcopi, ſive Abbates, ſed *electi:* & quamvis utantur Epiſcopali, ſive abbatiali habitu, non tamen poſſunt uti paramentis, & mitris, ſine ſpeciali indulto Pontificis. Conſueverunt tamen Pontifices in curia

committere miniſtris cerimoniarum, ut Prælatis hujusmodi concedant, quod poſſint in capella Sanctiſſimi Domini noſtri cum aliis pluviali, & mitra uti in publicis actibus.

CAPUT V.

De pallio, & quomodo traditur.

PRomoti ad metropoliticas, ſeu parochiales Eccleſias, etiam ſi ſint conſecrati Epiſcopi, non appellantur Archiepiſcopi, neque Patriarchæ, niſi primum acceperint pallium de corpore beati Petri ſumptum, ſed *electi ad illas Eccleſias*, & tranſlati de una Eccleſia metropolitana ad aliam, non poſſunt uti pallio, quod acceperant in prima ſua Eccleſia, & minus pallio prædeceſſoris defuncti, ſeu tranſlati: ſed oportet, quod de novo petatur pallium, & obtineatur: & interim non poſſunt conſecrare, ſynodum celebrare, & alia pleraque Pontificalia exercere. Debent autem petere pallium per ſe, vel procuratorem intra tempus *ſex menſium*. Sunt & quidam Epiſcopi, qui ex indulto Apoſtolico pallio utuntur. Ut LUCENSIS in Thuſcia, PAPIENSIS in Lombardia, BAMBERGENSIS in Germania. Et ſi qui alii, quo uti debent infra ſuas Eccleſias diebus, & modo, in privilegiis, a ſede Apoſtolica illis conceſſis. Cura conficiendorum, & conſervandorum palliorum ad Subdiaconos Apoſtolicos pertinet, qui ex lana munda, & alba illa hoc pacto conficiunt. Sanctimoniales monaſterii *Sanctæ Agnetis*, vel religioſi, qui ſunt in illa Eccleſia, offerunt quotannis Agnos duos albos ſuper Altare illius Eccleſiæ in die feſtivitatis Sanctæ Agnetis, dum in Miſſa ſolenni cantatur *Agnus Dei*: qui Agni recipiuntur a duobus Canonicis Eccleſiæ Lateranenſis, & ab eis poſtea conſignantur Subdiaconis Apoſtolicis, qui Agnos ipſos in paſcua mittunt, quoad veniat tempus tondendi ipſos agnos opportunum. Ex his agnis lana tondetur, quæ mixta cum alia lana

lana alba, & pariter munda, reducitur in filum, ex quo pallia hujuſmodi contexuntur, latitudine digitorum trium redacta in orbem, ita ut humeros præſulum ambiant: a pectore & renibus particulam pendentem habet pallium longitudinis palmi, & in extremitatibus laminas plumbeas tenues ad parem latitudinem, in fine orbiculatas, nigro ſerico tectas, inſutas ſupra pendentes particulas ante & poſt, & ſuper humeros utroſque. Sic confecta pallia per Subdiaconos portant ad baſilicam Principis Apoſtolorum, & per Canonicos baſilicæ ponuntur ſuper corpora Petri & Pauli Apoſtolorum, ſub Altari majori: ubi, factis ex more vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde reſtituunt Subdiaconis, qui in loco honeſto ea conſervant. Uſus autem pallii hujuſmodi, in quantum potuimus explorare, antiquiſſimus eſt, & a LINO Pontifice, Petri Apoſtoli immediate ſucceſſore, habuit originem. Ita enim ſcriptum legimus a MAXIMO EPISCOPO in *Homilia de veſte ſacerdotali: In lege gratiæ antiquum eſt illud noſtrum Ephoth, (id eſt pallium) quod noſtri Patriarchæ arbitrantur a Lino poſt Petrum, ſecundo Romano Pontifice, inſtitutum, & in ſingulare poteſtatis privilegium noſtris Deo plenis præſulibus datum.* Et EUSEBIUS *Cæſarienſis in ſermone de Epiphania* ſcribit, *nihil antiquius veſte illa ſacerdotali præſulis noſtri, quæ illi veſti de veteri teſtamento ſucceſſit byſſo, auroque contextæ, qua in ſignum pleniſſimæ poteſtatis primus* LINUS *amictus eſt: cui & typum dedit & nomen, ut a veteribus accepimus ſcriptoribus, quam appellavit & PALLIUM.* Cum autem aliquis Prælatus indiget pallio, illud primo per quempiam ex Advocatis conſiſtorialibus Procuratorem, ab eo ad hoc ſpecialiter conſtitutum, a Summo Pontifice in Conſiſtorio inſtanter, inſtantius & inſtantiſſime petitur. Pontifex, excluſo Advocato, exquirit patrum ſententias, *an dandum ſit pallium:* deinde committit Priori Diaconorum, ut pallium Prælato, vel ejus Procuratori aſſignet: expediuntur ſuper ea re literæ Apoſtolicæ in

forma

forma conſueta, & Prior Diaconorum Cardinalium imponit locum & diem, ubi & in quo pallium conſignare debeat. Id plerumque fieri ſolet in domo ipſius Cardinalis in ſua capella: interdum autem in Eccleſia Sancti Petri, & ſuper majus Altare, & valde condecenter, maxime pro maximis Eccleſiis, & ultramontanis: & ita vidi ſervari *a Reverendiſſimo Domino Cardinali Senenſi, Priore Diaconorum.* Statuta die Prælatus, ſi eſt præſens, vel ejus Procurator in abſentia, cum ſpirituali mandato venit ad locum ordinatum. Adſunt, Dominus Prior Diaconorum Cardinalium, & Subdiaconus Apoſtolicus cum ipſo pallio, qui pallium explicat ſuper medium Altaris. Prælatus, ſi præſens eſt, indutus ſuper rochetum, ſive ſuperpellicium, planeta genuflexus in gradu Altaris ante Priorem Diaconorum ſtantem in cornu dextro Altaris, ubi legitur Evangelium, petit ſibi dari & conſignari pallium, his verbis: *Ego N. electus Eccleſiæ N. inſtanter, inſtantius, inſtantiſſime peto mihi tradi & aſſignari pallium de corpore beati Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificalis officii.* Tunc Dominus Prior Diaconorum, accipiens pallium de Altari, imponit illud ſuper humero Prælati genuflexi, dicens: *Ad honorem omnipotentis Dei, & beatæ Mariæ ſemper virginis, atque beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non Eccleſiæ N. tibi commiſſæ tradimus tibi pallium, de corpore beati Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificalis officii cum Patriarchalis, vel Archiepiſcopalis nominis appellatione, ut utaris eo infra Eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apoſtolica ſede conceſſis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Et illud cum Subdiacono aptat: non tamen infigit ſpinulas, & recipit illum ad oſculum pacis. Demum Clericus cerimoniarum extrahit illi pallium, & advocatis teſtibus, rogat ſe de illo actu, plicat pallium, illud portat ad dictum Prælatum, vel illud reſervat in loco ſacro, quoad Prælatus recedat, & tunc dat illi pallium cum publico inſtrumento.

mento. Vidi etiam, cum eſſem *Magiſter cerimoniarum*, SIXTUM IV. manibus propriis dediſſe pallium Patriarchæ Conſtantinopolitano, *Domino* HIERONYMO LANDO, *Veneto*, tunc *Archiepiſcopo Cretenſi*: quod tamen, ut arbitror, non puto multum condecens eſſe, cum traditio pallii proprie ad Diaconum ſpectet; & ipſi Romano Pontifici in ſua coronatione & conſecratione nemo imponat pallium, niſi Prior Diaconorum. Si autem pallium erat dandum [illegible] Procuratori in abſentia Prælati, procurator indutus ſuperpelliceo genuflectat, ut de Prælato diximus, & petit pallium, & jurat in hanc formam: *Ego N. procurator & procuratorio nomine, & pro parte reverendi in Chriſto Patris & Domini N. electi Eccleſiæ N. inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime peto mihi dari, & aſſignari pallium de corpore beati Petri ſumptum: in quo eſt plenitudo Pontificalis officii: & promitto illud reverenter portare eidem Reverendo Patri, Domino N. nec pernoctabo in aliquo loco, niſi una nocte tantum, niſi præpeditus fuero legitime: & tunc in cathedrali ipſius: & ſi non fuerit cathedralis, in collegiata: & ſi non fuerit collegiata, in Parochiali Eccleſia remittam, & honorifice reponam, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* Diaconus autem Cardinalis accipiens pallium de Altari, imponit illud ſuper humeros Procuratoris, dicens: *Ad honorem omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domini noſtri Papæ, & Sanctæ Eccleſiæ, aſſigno tibi pallium de corpore beati Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo officii Pontificalis, cum Archiepiſcopalis nominis appellatione, nomine & pro parte Reverendi in Chriſto Patris, Domini N. & Eccleſiæ N. ad quam electus eſt, ut eo utatur infra Eccleſiam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apoſtolica Sede conceſſis.* Et in fine procurator oſculatur illi manum, & rogat Clericum cerimoniarum, & petit inſtrumentum. Clericus extrahit illi pallium, plicat, & reponit, & conſervat in loco ſacro, quouſque procurator ſit diſceſſurus, & tunc dat illi pallium & inſtrumentum in publica forma.

Qui pallium ſunt accepturi, poſtquam fuit petitum in Conſiſtorio, & conceſſum, compenſant primum cum Subdiaconis; nam illi, ut diximus, tenent pallia. Qui accipiunt ſecundum valorem & taxam Eccleſiæ, aliquando plus, aliquando minus pro centenario. Et quia vidi varios uſus, & nihil firmi ſtatutum legi, de quota nihil dicam: Clerici cerimoniarum, & ipſi ratione officii ſui & inſtrumenti, mercedem ſuam exigunt etiam ad proportionem taxæ & valoris Eccleſiarum, non tamen tantum, quantum Subdiaconi. Solent etiam, qui pallium accipiunt, Diacono Cardinali duo bireta, & totidem ſuis camerariis dono dare: antiquitus dabant, ut legi, vinum album, & ſpecies: portabant etiam duas facculas cereas, quæ ardeant ſuper Altare, dum pallium traditur, & ſericum, ad induendum pallium, cum quo illud ad Eccleſiam ſuam deferunt.

SECTIO XI.

DE PUBLICATIONIBUS SOLENNIBUS.

CAPUT I.

De Publicationibus Pacis.

IN publicatione pacis lectis capitulis, Pontifex ſurgit ſine mitra, incipit: *Te Deum laudamus*, & cantores proſequuntur, & in fine chorus cantat Antiphonam: *Da pacem, Domine, in diebus noſtris, quia non eſt alius, qui pugnet pro nobis, niſi tu, Deus noſter.* Et Pontifex dicit hos verſiculos, choro reſpondente: *Fiat pax in virtute tua.* Reſp. *Et abundantia in turribus tuis.* Verſ. *Non nobis, Domine, non nobis.* Reſp. *Sed nomini tuo da gloriam.* Verſ. *Domine exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *DEus,*

a quo

a quo ſancta deſideria, recta conſilia, juſta ſunt opera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem, ut & corda noſtra mandatis ſuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.

CAPUT II.

In publicatione fœderis initi contra hoſtes Eccleſiæ aut infideles.

Lectis capitulis, Pontifex ſurgat, & incipiat: *Te Deum laudamus* ſine mitra: chorus proſequitur hymnum uſque ad finem. Pontifex pronunciat *Pater noſter*, & deinde: *Et ne nos inducas in tentationem.* Reſp. *Sed libera nos a malo, Amen.* Verſ. *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat.* Reſp. *In æternum, & in ſæculum ſæculi.* Verſ. *Reſpice, Domine, in faciem Chriſti tui.* Reſp. *Exaudi preces Eccleſiæ ſanctæ tuæ.* Verſ. *Miſerere noſtri, miſerere noſtri.* Reſp. *Reſpice nos, & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum.* Verſ. *Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter.* Reſp. *Et propter gloriam nominis tui libera nos.* Verſ. *Propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.* Reſp. *Ne forte dicant in gentibus, ubi eſt Deus eorum?* Verſ. *Salvos fac nos, Domine Deus noſter.* Reſp. *Ut liberati de tribulatione confiteamur nomini ſancto tuo.* Verſ. *Concede, Domine, populo tuo, ut ſit ei cor unum, & anima una.* Reſp. *In obſervatione mandatorum tuorum.* Verſ. *Allevamus manus tuas ſuper gentes alienas.* Reſp. *Ut videant potentiam tuam, & agnoſcant te.* Verſ. *Innova ſigna & immuta miracula.* Reſp. *Glorifica manum & brachium ſanctum tuum.* Verſ. *Hoſtium noſtrorum elide ſuperbiam.* Reſp. *Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne.* Verſ. *Ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt.* Reſp. *Introeat in conſpectu & gemitus compeditorum.* Verſ. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Reſp. *Et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Verſ. *Ecce inimic*

inimici tui, Domine, ſonuerunt. Reſp. *Et qui oderunt te, extulerunt caput.* Verſ. *Averte a nobis, Domine, indignationem tuam.* Reſp. *Et procul ſit a nobis furor tuus.* Verſ. *Da mercedem, Domine, ſuſtinentibus te.* Reſp. *Ut prophetæ tui fideles inveniantur.* Verſ. *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.* Reſp. *Miſerere noſtri.* Verſ. *Mitte nobis auxilium de ſancto.* Reſp. *Et de Syon tuere nos.* Verſ. *Domine exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui precioſiſſimo ſanguine dilectiſſimi Filii tui humanum genus redimere, ac beatos Apoſtolos ejus jacentem in tenebris mundum ad Evangelii lucem dirigere dignatus es: quæſumus, ut adverſus impias Turcorum gentes, cunctaſque barbaras nationes vivificæ crucis inimicas, fideles Chriſtianorum Principes ac populi ita potenter arma accipiant, ut pro tui nominis gloria militantes, virtutiſque tuæ brachio ſublevati, ad Eccleſiam tuam virtutis ſigna reportent. Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus manu ſunt omnes poteſtates, & omnium jura regnorum; reſpice in auxilium Chriſtianorum catholicorum, ut gentes Paganorum & hæreticorum, quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.* Si vero hoſtes ſunt Chriſtiani, dicantur iſtæ orationes: Oremus: *Protector noſter aſpice Deus, & ab inimicorum nos defende periculis, ut, omni perturbatione ſemota, liberis tibi mentibus ſerviamus. Deus, refugium noſtrum & virtus, adeſto præſens Eccleſiæ tuæ precibus, Auctor ipſe pietatis, & præſta, ut ab omni exuamur bellorum nequitia, & in tuæ protectionis ſecuritate lætemur. Per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.*

CAPUT III.

In publicatione fœderis initi pro defenſione Eccleſiæ, & conſervatione pacis.

Lectis de more capitulis, ſurgit Pontifex ſine mitra, & dicit: *Te Deum laudamus.* Chorus proſequitur, quo finito,

pro-

pronunciat Pontifex, *Pater noſter &c.* *Et ne nos inducas in tentationem.* Reſp. *Sed libera nos a malo.* Verſ. *Salvos fac ſervos tuos, Domine.* Reſp. *Deus meus, ſperantes in te.* Verſ. *Diſſipa gentes, quæ bella volunt.* Reſp. *Ut liberentur dilecti tui, & confiteantur nomini tuo.* Verſ. *Concede quæſumus populo, ut ſit ei cor unum, & anima una.* Reſp. *In obſervatione mandatorum tuorum.* Verſ. *Mitte nobis auxilium de ſancto.* Reſp. *Et de Syon tuere nos.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine, preces placatus admitte, ut deſtructis adverſitatibus & erroribus univerſis, ſecura tibi ſerviat libertate. Per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen. Deus auctor pacis & amator charitatis, quem noviſſe, vivere, cui ſervire, regnare eſt: protege ab omnibus impugnationibus ſupplices tuos, ut qui in defenſione tua confidimus, nullius hoſtilitatis arma timeamus. Per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.*

SECTIO XII.

CAPUT I.

Ordo, quomodo Papa equitat in pontificalibus.

SI Romanus Pontifex, Romæ vel alibi moram trahens, velit de loco ad locum in ſolenni pompa, id eſt, Pontificalibus, equitare, hic ordo ſervetur. Primi equitabunt Valiſarii Dominorum Cardinalium cum familiis ipſorum Dominorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum, mixtim incedentibus, ut eis placuerit. Qui tamen longis veſtibus utuntur: clerici Pontificem non precedunt cum iſtis, ſed ſequuntur. Tum per ordinem iſti ſequuntur, Tonſor & Sartor Papæ cum valiſiis rubris, in quibus ſunt veſtes Pontificis, familiares & ſcutiferi Papæ, Nobiles & Barones minores, cum attinentibus Cardinalibus, ſcala Papæ panno

 rubro

rubro cooperta, quam equus albus phaleratus portat. Equum aliquis ex paraphrenariis Papæ freno ducit: ſcala ipſa lignea, quæ gradus tres continet, equo Pontificis apponitur, per quam equum ſuum aſcendit, ſi equitat: deinde reponitur ſuper equum, & ad locum ſuum reducitur: poſt ſcalam equitant duodecim curſores Papæ, cum duodecim vexillis rubris: inde vexilliferi viri nobiles cum vexillis civitatis, Papæ, Eccleſiæ, & ſanctæ Crucis, ornati ut in coronatione Pontificis diximus, & ordine ibi declarato. Si plura erunt vexilla, pro dignitate illorum diſponentur, digniora erunt ultima. Deinde equi duodecim albi phalerati, freno ducentur ſine ſeſſoribus, tum quatuor nobiles portantes quatuor pileos ex crameſino ſupra baculos quoſdam, ad menſuram trium vel quatuor palmorum. Hi ſcutiferi honoris vocantur. Incedunt poſt hos procuratores Regum & Principum. Procurator fiſcalis, Advocati & Secretarii mixtim, ut alias dictum eſt: & poſt cubicularii cum capputiis ſupra collum & circa pectus inverſis, Secretarii & Advocati, cubicularii autem circa pectus tantum: hos ſequuntur acoluthi, clerici cameræ, & auditores Rotæ cum rochettis & cappis, inde Proceres & Barones majores, & Oratores Regum & Principum, ſimul cum conſervatoribus urbis: inter omnes *Senator præcipuum locum habebit, cedetque tantum Oratori Cæſaris:* deinde, ſi quis aderit magnus Princeps aut Præfectus urbis, ſive aliquis inſignis, qui tamen non ſedeat in ſcamno Cardinalium: Subdiaconi Apoſtolici poſtea equitabunt cum rochettis & cappis, & ille, qui fert crucem papalem, pileum in capite geſtabit ab extra nigro panno, ab intus ſerico cum cordulis & mappulis cærulei coloris: ante crucem duo Magiſtri oſtiarii cum ſuis virgis ſericeis. Immediate incedent poſt crucem duodecim pedites Clerici, vel laici accenſa funalia deferent, & juxta eos equitabunt duo Clerici capellæ, laternas duas argenteas præferentes, in quibus candelæ perpetuo lucent: ducitur poſt hos equus albus

phale-

phaleratus, manſuetus & pulcher, cum tintinnabulo ad collum bene ſonante, qui capſulam vehit cum ſacratiſſimo Chriſti corpore, ſupra quod cives nobiles portabunt baldachinum, funalia concedenter deferentur per Clericos cum ſuperpelliciis. Sic tempore PAULI II. aliquando fieri vidimus, nam tunc beneficati Sancti Petri ea portarunt. Poſt Sacramentum Sacriſta Apoſtolici palatii cum ſuo habitu & baculo in manu equitabit, & poſt eum ſi quis aderit Princeps, qui in ſcamno Cardinalium ſedeat. Nam inter Sacramentum & Papam, &, quando Sacramentum non adeſt, inter crucem & Papam, nemo omnino incedere debet niſi Cardinales, & qui cum eis ſedent. Procedunt deinde Domini Cardinales, Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi: duo tantum antiquiores Diaconi Pontifici ſemper aſſiſtunt, & ante eum immediate incedunt: ſenior ferulam manu geſtat ex officio, ut Prior Diaconorum, & ad quem ſpectat ordinare proceſſiones, & ita omnes *libri antiqui cærimoniarum* continent, & ſervatum vidi tempore PII II. cum PROSPER COLUMENSIS erat Prior Diaconorum: & PAULI, cum RODERICUS BORIA, qui eſt Epiſcopus Portuenſis, erat Prior: Camerarius autem ſi eſt Cardinalis, non debet portare ferulam, ſed ejus Vice-Camerarius, quia non ut Cardinalis, ſed ut Camerarius portat ille, qui poteſt eſſe non Cardinalis ſecundum obſervationes ſuperiorum temporum. Noſtro tamen tempore & LATINUS URSINUS, & qui nunc cameriatum tenet, RAPHAEL SANCTI GREGORII Cardinales ferulam portare, & proceſſionem ordinare conſueverunt, Cardinale Senenſi Priore Diaconorum id non modo æquo animo ferente, ſed libentiſſime permittente. Procedet deinde Pontifex cum pluviali & mitra precioſa, ſive cum regno, id eſt, Tiara triplici corona ornata, vectus equo albo, ſive ſella ſub baldachino: equum freno ducent primum majores Principes, deinde alii inferiores; ſellam humeris etiam a principio Principes & alii, ut in

proces-

proceſſione coronationis diximus, portabunt: poſt Pontificem, cubicularii duo ſecreti, & inter eos Diaconus rotæ, qui ſervit de mitra, cum habitibus ſuis ſequuntur: inde duo Medici cum Secretario Papæ, ſi non eſt Prælatus. Conſuevit inter hos equitare Eleemoſynarius Papæ: & aliquando cum videt preſſuram circa Pontificem, ſpargere pecunias: deinde ſerviens armorum firmatus omnibus armis præter galeam, equitat portans umbellam crocei rubeique coloris; aliorum autem ſervientium armorum cum ſuis argenteis baculis pars equitat ante crucem, alii vero diſcurrunt per pompam ſurſum & deorſum, ſtantes & curantes, ut pompa ſuo ordine procedat: paraſrenarii cum ſuis martellis, curſores cum virgis & baculis argenteis coreaceis vento ſive ſtuppa plenis, turbam ſemoventes, & cuſtodes corporis cum baculis ligneis Pontificem pedites circumſtant: poſt umbellam ſequuntur Prælati cum ſuis cappis amplis, & pileis: primum Patriarchæ, ſi qui adſunt, tunc aſſiſtentes Papæ Oratores, Prælati, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates: poſtremo curiales togati mixtim, ut placet, pompam claudunt.

CAPUT II.

Ordo, cum Papa equitat ad aliquam Eccleſiam, Religionis gratia, ſive ad alium locum, & non in Pontificalibus.

Valiſarii & familiares Cardinalium & Prælatorum in brevibus præcedunt, validarii Papæ, ſcutiferi Papæ cum minoribus nobilibus, & attinentibus Cardinalium: aliqui equi albi phalerati ſine ſeſſoribus cum magiſtro ſtabuli: poſt eos procuratores Regum & Principum, & fiſcales duo, Forerii cum pulvinaribus aureis & tapeto, ut ſuper his genufleƈtat Pontifex in oratione: & hoc, ſi vadit ad aliquam Eccleſiam ad orandum, aliter Forerii non vadunt in ordine. Secretarii

& Ad-

& Advocati mixtim, cubicularii & omnes cum ſuis capputiis ſuper humerum ſiniſtrum: Acoluthi, clerici cameræ cum oratoribus non Prælatis, & Senatore. Subdiaconi cum cruce & magiſtris oſtiariis: poſt crucem, ſecundum antiquum & debitum morem, ipſe Pontifex debet procedere equo vel ſella vectus, ſi non habet ſtolam & mitram, & tunc habebit ſtolam ſuper rochetum longam ſuccinctam, & deſuper capputium parvum rubei coloris, ſecundum debitum ordinem: quia ſupra rochetum ſemper Papa utitur colore rubro, præterquam a ſabbato ſancto ad Octavam paſchæ. Hodie tamen, quia factitavit SIXTUS IV. utitur plerumque albo capputio contra majorum normam: & deinde, ſi eſt frigus vel tempus pluvioſum, mantum rubrum apertum a parte anteriori, & pileum in capite purpureum cum aureo limbo in extremitatibus. Deinde ſequi debent Cardinales, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi. Sed tempore SIXTI, & poſt crucem, quamvis incongrue Cardinales præcedebant, Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, & duo antiquiores Diaconi aſſiſtentes: cuſtodes corporis armati ante eum inſtructa acie incedunt. Poſt Pontificem mox ſequuntur duo ſecreti cubicularii cum Secretario, ſi non eſt Prælatus, & duo medici. Decanus rotæ non adeſt, quia Pontifex non habet mitram. Cardinales cum ſequuntur, primo erunt Epiſcopi, tum Presbyteri, demum Diaconi omnes, quia non aſſiſtunt Pontifici, cum non habet mitram: ſequuntur deinde aſſiſtentes Prælati, Oratores Prælati, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, & alii curiales togati mixti.

CAPUT III.

Quando Cardinales debent præcedere Pontificem, & quando ſequi.

SEd conſiderandum eſt, utrum in hac profectione condeſcenſos Domini Cardinales præcedant, an ſequantur Pontificem.

tificem. Bonæ memoriæ Dominus FRANCISCUS *Cardinalis Mantuanus*, meo judicio, hujus novæ conſuetudinis auctor, dicere ſolebat, Cardinales ſemper debere præcedere Pontificem, quando Pontifex habet ſtolam. Sed, cum venia dictum ſit, hæc non eſt bona ratio, quia & ita ſemper vidi ſervari a PIO II. *cui per quatuor annos ad minus in ſuo Pontificatu deſervivi, quem etiam per agros & nemora peragrantem cum ſtola ſemper conſpeximus.* Et PAULUS, cum per urbem vehebatur etiam lectica clauſus, nunquam erat ſine ſtola: & in matutinis certe majoris hebdomadæ Pontifex exit ad capellam cum ſtola & manto, & quia ſine mitra Cardinales ſequuntur, non autem præcedunt. Ego autem arbitror, CARDINALEM MANTUANUM, quia ut ſecundus Diaconus aſſiſtebat Pontifici, faviſſe huic opinioni, ne unquam abeſſet á latere Pontificis. Cæterum ut in proceſſionibus, quando Prælatus eſt indutus ſericis veſtibus, Canonici ſui præcedunt, quando autem prophanis & quotidianis, ſubſequuntur, ita & Cardinales Pontificem mitratum præcedunt, ſine mitra ſequuntur. Neque unquam Pontifici ſine mitra exiſtenti fit a Cardinalibus reverentia publica, & aſſiſtentia a Diaconis. De his tamen ſtatuet Summus Pontifex, prout ſibi placebit. Nos, ne antiquæ & congruæ cerimoniæ omnino pereant, hæc pauca diximus.

CAPUT IV.

De itineratione Papæ, quando ad alias urbes, ſive alia loca, vult ſe transferre.

POntifex, cum ad alia loca vult transmigrare, primum re cum ſacro Collegio communicata, deleget aliquos ex Dominis Cardinalibus, qui itineris ſui ſint Comites, & ad minus tres: ex quibus duo ſint Diaconi, alius Epiſcopus ſive Presbyter: & ſi non adeſſent tot Diaconi, poterit unus eſſe Presbyter

byter pro illo Diacono. Alii Cardinales præire vel ſequi poterunt, vel remanere, ſi brevi Papa eſt rediturus, prout eis videbitur. Sed honeſtum eſt, quod aliqui præcedant, ſi Papa eſt ingreſſurus aliquam civitatem, in ſignum, ne videatur ita ſolus: & ut honorent ingreſſum, præmittentur commiſſarii, qui curent hoſpitia pro Pontifice & ſua familia, pro Cardinalibus, & aliis Pontificem deducentibus: & iſti habebunt nomina omnium in volumine, ſive in rotulo, ut ſciant, pro quibus debeant providere. Pontifex cum ſuo capputio & ſtola ad collum mantello rubro, & galero ex crameſina equitabit, ſive portabitur in ſella. Et antequam diſcedat e camera ſua, dicet has Orationes: *In viam pacis, ſalutis & proſperitatis dirigat Dominus greſſus noſtros, & angelus ſuus bonus comitetur nos ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis, ut cum ſalute & gaudio eamus, & revertamur ad propria.* Poſtea dicitur totus Pſalmus: *Benedictus Dominus Deus Iſrael; cum gloria Patri. Et, ſicut erat.* Poſtea reincipitur tota antiphona: *In viam pacis &c.* Deinde ſequitur *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon, Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem.* Reſp. *Sed libera nos a malo.* Verſ. *Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis.* Reſp. *A facie inimici.* Verſ. *Nihil proficiat inimicus in nobis.* Reſp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* Verſ. *Utinam dirigantur viæ noſtræ.* Reſp. *Ad cuſtodiendas juſtificationes tuas in viam pacis.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare. Deus, qui filios Iſrael per maris medium ſicco veſtigio ire feciſti, quique tribus Magis iter ad te ſtella duce manifeſtaſti: tribue nobis, quæſumus, iter pro-*

ſperum, tempusque tranquillum; ut Angelo ſancto tuo comite, ad eum, quo pergimus, locum, ac demum ad æternæ felicitatis portum feliciter pervenire mereamur, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.

Deinde ingredietur iter ſuum. Ante Pontificem ſemper præferetur crux per Subdiaconum Apoſtolicum, & poſt crucem portabitur corpus Chriſti ſuper equum album cum campanella: ante equum præibit clericus capellæ cum laterna cum lumine, & poſt Sacriſta cum ferula. Et iſti ſemper erunt inter Papam & crucem.

CAPUT V.

Ordo intrandi aliquam urbem in pontificalibus.

CUm autem Pontifex voluerit intrare aliquam inſignem urbem, firmabit ſe in aliqua Eccleſia, vel domo extra portam civitatis, & ibi capiet pluviale & mitram, & interim omnia parabuntur, quæ portantur in pompa, quando Pontifex equitat in Pontificalibus, ſcilicet vexilla parva & magna, & cum illis vexilla civitatis, in quam intrat, equi phalerati, pilei quatuor, equus cum ſcala, umbella, & reliqua, baldachinum pro ſacramento & pro Papa cives invenient. Erit etiam paratus clerus urbis illius cum crucibus & reliquiis Sanctorum extra portam civitatis, & pueri etiam obviabunt pedites cum ramis olivarum, vel aliarum arborum, & cum armis Papæ, clamantes: *Vivat Papa.* Pontifex cum ſua curia equitabit eo ordine, quo ſuperius diximus, cum equitat in Pontificalibus: hoc addito, quod ſarcinæ Pontificis præcedent omnes equos. Et clerus paratus cum ſua proceſſione ibit immediate ante crucem Papæ. Si autem aliqui Cardinales exeuntes de civitate obviabunt Pontifici, poſtquam habuerit mitram & pluviale, advertat ille qui ducit equum cum ſcala Papæ, & ſtatim præcedat, & deponit ſcalam ad dextram

partem

partem Papæ. Cardinales autem deſcendant ex equis ſuis remote, & ſuccedant reverenter ad Papam, & primo oſculentur ei pedem & manum: deinde per ſcalam aſcendant & oſculentur faciem: poſtea aſcendant ſuos equos, & vadant in ſuo ordine. *Hoc ſervatum legimus apud majores noſtros.* Et quia videtur in ſe habere gravitatem & majeſtatem, quanquam in uſu non viderimus, placuit his addere. Cum Pontifex erit prope portam civitatis, Prælatus illius accedet ad Pontificem debitis reverentiis, & offert illi crucem oſculandam, quam Pontifex reverenter, cum mitra tamen, oſculabitur: non enim commode poterit ei abſtrahi & imponi mitra equeſtri ab equeſtribus. Si tamen placuerit & mitram deponere, non erit inconveniens. Deinde Prælatus incipiet Antiphonam: *Ecce ſacerdos magnus, &c.* Et aliam: *Dum eſſet Summus Pontifex.* Et ibit cum Clero ad locum ſuum ante crucem in porta. Princeps civitatis, *etiamſi eſſet* Rex, *ducit equum Pontificis freno, vel ſi Pontifex vehitur ſella, ſubit ſellam cum ſuis proceribus dignioribus per aliquot paſſus: deinde jubente Pontifice alii ſuccedunt ei, & ille aſcendit equum, & equitat ſuo ordine.* Si vero civitas non ſit ſub Principe, ſed libera, tunc *ſummi Magiſtratus* ducunt equum freno, vel ſubeunt ſellam a principio, & mox mutantur, & alii nobiles cives ſuccedunt: ſed poſt Magiſtratus vadunt circa Pontificem pedites, alii autem portant baldachinum ſupra Pontificem, alii ſupra Sacramentum. Cum Pontifex pervenerit ad portam Eccleſiæ principalis, Prælatus offert ei aſperſorium cum aqua benedicta, & Pontifex aſperget ſeipſum & circumſtantes: deinde imponit incenſum in thuribulo, & per Prælatum incenſatur. Si autem Pontifex deſcenderit ex equo, antequam intret Eccleſiam, & ſi Diaconi Cardinales erunt prope ipſum, antiquior de manu Prælati accipiet aſperſorium, & porriget Pontifici, & miniſtrabit navicellam, cum Pontifex ponet incenſum, & clerus cantabit: *Te Deum laudamus.*

Cum perventum fuerit ad Altare, genufle&ctilde;tet. Pontifex ad orandum ante Altare ſuper faldiſtorium, quouſque fuerit finitum: *Te Deum laudamus*. Et Prælatus Eccleſiæ dicet ſuper eum verſiculos & orationes, prout diximus in noſtro Pontificali, in receptione Pontificis. Quibus dictis, Pontifex ſurgit, aſcendit ad Altare, & ſolenniter benedicit populo, dicens: *Sit nomen Domini benedictum*, &c. & mox unus de Diaconis pronuntiat indulgentias, prout Pontifici placebit. Inde eodem ordine Pontifex deducitur ad ſuum hoſpitium, & alii divertunt ad ſua. In exitu autem civitatis, ſi Papa voluerit proficiſci in habitu Pontificali, cum pluviali & mitra, ſervabitur idem ordo, ut in introitu, præterquam de proceſſione cleri, de vexillis, de umbella, de baldachinis: quæ non aderunt. Et Pontifex extra portam intrabit aliquam Eccleſiam, & deponit mitram & pluviale, & induet mantum rubrum & galerum ex crameſino, & procedet, ut ſuperius dictum eſt, itinerando cum ſuis tribus Cardinalibus. Quod ſi Pontifex noluerit uti Pontificalibus, tunc poterit equitare per civitatem ordine, quo diximus ſuperius, cum equitat non in Pontificalibus ad aliquam Eccleſiam religionis gratia, niſi quod ſacramentum corporis Chriſti ſemper aderit, & forerii cum pulvinaribus non aderunt: extra civitatem, cum ſibi videbitur, dimittet Cardinales, & alios, qui honoris cauſa ſuam Sanctitatem deduxerint, & retinebit eos, qui ſecum ſunt profecturi.

CAPUT VI.

Quid agendum, ſi cum Papa adeſſet unus Diaconus tantum, cum uno Epiſcopo, vel Presbytero Cardinali.

Et quia in hujuſmodi itinerationibus ſæpe accidit, quod apud Pontificem ſunt pauci Cardinales, ſi hoc vel aliquo tempore accideret, quod in aliqua ſolennitate, dum Pontifex exit ad Eccleſiam in Pontificalibus, non eſſet præſens niſi unus

unus Diaconus, & unus Epiſcopus tantum, Cardinalis Epiſcopus iret a dextris, & Diaconus a ſiniſtris Papæ, & ſic ſederent in aſſiſtentia Papæ: Diaconus tamen ſemper imponeret & extraheret mitram, adjuvante Epiſcopo. Si vero adeſſet aliquis Presbyter Cardinalis cum uno Diacono, tunc Diaconus iret, & ſederet a dextris ſemper, & ſimiliter imponeret & extraheret mitram Pontifici. Incenſatione autem & pace, Presbyter Cardinalis (*ſi adeſt*) id faciet, quamvis ſit aſſiſtens, ſi non ſit alius Presbyter: ſi non aderit, faciet unus Epiſcopus Cardinalis: & ſi non aderit Epiſcopus, faciet Diaconus, tam in miſſis quam in veſperis, tam parato Pontifice in Pontificalibus, quam non parato. Et ſi nullus aderit Cardinalis, dignior Prælatus incenſabit, & dabit pacem Pontifici.

SECTIO XIII.

CAPUT I.

De receptione Principum; & primo, de receptione IMPERATORIS, *venientis ad urbem peregrinationis gratia.*

FRIDERICUS III. *anno ſalutis ſexageſimo octavo ſupra milleſimum quadringenteſimum*, Romam venit religioſæ peregrinationis gratia: eumque PAULUS II. Pontifex maximus, ſummis honoribus excepit. Quæ igitur in ſuo adventu mature & prudenter ordinata ſunt atque ſervata, *quoniam omnibus interfui, ex officio*, hic annotabo, & ut poſteri his uti (ſi voluerint) facile poſſint, adnectam.

Ut primum igitur Pontifici nunciatum eſt, Cæſarem in Italiam adventaſſe, Romam via flaminia petiturum, juſſit Provinciarum Eccleſiæ Romanæ præfectos, per quas iter facturus erat Cæſar, ut venienti honoris cauſa obviam irent Pontificis nomine ad fines Provinciæ, illumque cum omni ſuo comitatu publicis ſumptibus magnifice exciperent, & hono-

honores ei omnes impenderent: juberentque per civitates omnes, qua eſſet tranſiturus, clerum in porta obviam exire cum crucibus, & deducere ad Eccleſiam cum Antiphonis, Verſiculis & Orationibus, ut in *Pontificali* habetur. Deinde, ut Eccleſiæ agrum Cæſarem intraſſe cognovit, nobiles quosdam ex ordine equeſtri præmiſit, qui Cæſari obviam eant, gratulantes Pontificis nomine proſperum ejus adventum, ei omnia Pontificis officia pollicentes. Poſt hos ſunt miſſi duo ſacri palatii cauſarum auditores, qui Spoleti, & duo deinde Archiepiſcopi cum duobus Epiſcopis ex aſſiſtentibus Papæ, qui Marini Cæſari ſe exhibuerunt. Deſignavit præterea Pontifex duos Apoſtolicæ ſedis Legatos, GUILLELMUM, *Epiſcopum Hoſtienſem Rotomagenſem*, & FRANCISCUM, *Sancti Euſtachii Diaconum Senenſem, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales*, datis mandatis, ut duorum dierum itinere Cæſari obviam irent. Sed Legati cum obviam fiunt Imperatori, deſcendunt ex equis, cum ex propinquo eum manifeſte videant, & ſuæ Majeſtati reverentiam faciunt, ſive deſcenderit, ſive in equo manſerit: conſuevit tamen & ipſe deſcendentibus Legatis deſcendere. Die autem quo urbem intravit, hoc ordine exceptus eſt, primi obviam ivere ad tertium lapidem, Vice-Camerarius, Præfectus, Senator, Conſervatores, Cancellarii urbis, omnes cum habitu ſuæ dignitatis, & cum his capita Regionum, & alii Magiſtratus urbani cum civibus nobilioribus: quos non multo intervallo ordines curiæ, & Cancellariæ Officiales Duce Epiſcopo URBINATE, correctore, & abbreviatore literarum Apoſtolicarum ſecuti ſunt. Tertio loco Prælati domeſtici Pontificis cum aulicis Proceribus, & Nobilibus multis ad ſecundum lapidem proceſſere: ſacer deinde Cardinalium Senatus extra portam ad quingentos paſſus Cæſarem expectabit: cui advenienti ſuo, & Pontificis nomine felicem adventum gratulatus eſt, verba faciente Priore Epiſcoporum Cardinalium. Clerus urbis in ipſa porta cum crucibus

& reli-

& reliquiis, ut Cæſarem exciperet, juſſus erat. Hoc igitur ordine, quamvis propter ſerum introitum omnino ſervari non potuit, urbem ingreſſus eſt. *Primo* procedebant mixtæ Cardinalium familiæ cum militibus Cæſaris, tum familiares Pontificis laici cum familiaribus Imperatoris: inde Nobiles & Barones, tum conſervatores cum Officialibus urbis: deinde oratores Principum & Regum non Prælati: poſtremo Senator & Præfectus urbis cum ſuis ornamentis: armiger Cæſaris, cum enſe nudo, inter illos & Cæſarem ſolus equitabat. Sequebatur Cæſar ſub baldachino medius inter duos ſeniores Epiſcopos Cardinales: cui in porta Vicarius Papæ, qui clero urbis præeſt, paratus in Pontificalibus, crucem exoſculandam porrigere debet. Et clerus cantat: *Ecce, mitto Angelum meum.* Et clerus ſupplicabundus præcedit immediate ante Præfectum & Senatorem. Imperatorem ſequuntur Cardinales per ordinem, Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, officiales: & nobiliores cives ducunt equum Cæſaris freno, & baldachinum portant: poſt Cardinales ſequebantur Prælati Cæſaris cum Prælatis oratoribus, & demum alii Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, & alii curiales togati. Ex itinere duo Presbyteri & duo Diaconi Cardinales divertentes ad Pontificem prævenerunt, qui cum illis, & nonnullis aliis Prælatis atque aulicis ſuis, cum pluviali & mitra deſcendit ad Eccleſiam S. Petri, ubi in capella majori in ſede eminenti ſedens Cæſarem expectabat. Cæſar ordine quo diximus, ad gradus baſilicæ pervenit: ubi equo deſcendens, a Cardinalibus & aliis ad confeſſionem B. Petri deductus eſt: ubi paratum faldiſtorium erat, ſuper quod procumbens aliquantulum oravit. Interim Cardinales omnes ad Pontificem aſcendentes in locis ſuis ſederunt, & duo Presbyteri & Diaconi, qui prævenerant, Cæſarem apud faldiſtorium orantem expectantes, illum finita oratione deduxerunt ad Pontificem: *qui, ut Pontificem vidit, genu terram tangens, illum veneratus eſt,*

 & acce-

& accedens propius idem fecit: aſcendens deinde ad ſolium, in terram pronus Pontificis pedes oſculatus eſt, deinde manum. Pontifex benigne illum ſuſcipiens, atque a terra elevans, ad oſculum oris recipit, & aſſurgens eum modeſte amplexatus eſt, moxque juſſit eum ſedere in ſede, pro eo honorifice præparata inter ſolium Pontificis, & ſedilia Epiſcoporum Cardinalium: tum excepit Prælatos & proceres Cæſaris ad pedis oſculum: deinde a duobus Diaconis Cardinalibus deductus Cæſar ad Altare majus, ibi ſuper paratum ſibi faldiſtorium diutius genuflexus oravit. Interim chorus cantavit Antiphonam: *Elegit eum Dominus, & excelſum fecit illum præ Regibus terræ.* Verſ. *Glorificavit illum in conſpectu Regum.* Reſp. *Et non confundetur.* Surgens deinde Pontifex ſine mitra dixit: *Pater noſter, Et ne nos inducas in tentationem.* Reſp. *Sed libera nos a malo.* Verſ. *Deus, judicium tuum Regi da.* Reſp. *Et juſtitiam tuam filio Regis.* Verſ. *Salvum fac, Domine, ſervum tuum,* FRIDERICUM, *Imperatorem noſtrum.* Reſp. *Deus meus, ſperantem in te.* Verſ. *Mitte ei, Domine, auxilium de ſancto.* Reſp. *Et de Syon tuere eum.* Verſ. *Nihil proficiet inimicus in eo.* Reſp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Verſ. *Fiat pax in virtute tua.* Reſp. *Et abundantia in turribus tuis.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Deus, qui beato Petro Apoſtolo tuo, collatis clavibus regni cæleſtis, animas ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti: interceſſionis ejus auxilio famulus hic tuus,* FRIDERICUS, *Imperator noſter, a nexibus peccatorum ſuorum liberetur. Prætende, quæſumus, famulo tuo, N. Imperatori noſtro, dextram ſalutis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne & humiliter poſtulat, aſſequi mereatur. Omnipotens ſempiterne Deus, Chriſtiani Imperii protector & conſervator, da ſervo tuo, N. Imperatori noſtro, virtutis invictæ triumphum, ut ad noſtram, & Eccleſiæ tuæ ſanctæ, atque fidelium omnium unitatem*

& pacem,

& pacem, ſubditas illi facias univerſas barbaras nationes. Per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.

Poſthæc Pontifex de ſolio deſcendit, & Cæſarem iterum amplexatus, manu ſiniſtra illum tenens, pariter palatium Apoſtolicum aſcenderunt: qui in ſacellum Sancti Nicolai ingreſſi, aliquantulum conſederunt, & familiariter confabulati ſunt. Deinde Pontifex Cæſarem ad cubiculum illi paratum dimiſit: juſſitque Cardinales complures illum deducere, ipſe vero cum ſuis per aliam ſacelli portam ad cameram ſuam profectus eſt.

Dum Cæſar Romæ fuit, ſæpe noctu, uno vel altero famulo ſociatus, clam & indicto tempore, ad Pontificis cubiculum acceſſit: cui Pontifex obviam exivit, cum primum id potuit reſcire, & diſcedentem ipſe deduxit usque ad ſecundam & tertiam aulam: & aliquando ipſe Pontifex inexpectatus ad Cæſaris cubiculum cum paucis venit, illumque, quantum potuit, honoravit, cum ſumma tamen gravitate & majeſtate, & in Eccleſia, & in via. In Eccleſia, orante Pontifice ſuper faldiſtorio ſibi parato ante Altare, ut ſit, Imperator ſuper aliud faldiſtorium orabat a ſiniſtris poſitum, coopertum purpureo ornamento cum pulvinari etiam purpureo, & parvo ſcabello viridi, etiam purpureo: ſedes Cæſaris cum ſuo reclinatorio ſive poſtergali, ſita erat inter ſedem Pontificis & ſedilia Cardinalium, in formam ſedis Pontificalis, *ſed non tantæ altitudinis, neque latitudinis*; cooperta erat panno ſericeo viridis coloris, & ſcabellum parvum habebat viride, ſuper quod pedes tenebat Imperator: altitudo ipſius ſedis ita erat inſtituta in capella Apoſtolica, ut non altior eſſet locus, ubi ſederet *Imperator, quam ubi Pontifex teneret pedes*: & item *ſcabellum Cæſaris æquale erat ſedibus Cardinalium.* Cum incenſabatur Pontifex per Cardinalem aſſiſtentem, mox incenſabatur Imperator per primum ex Prælatis aſſiſtentibus Pontifici: cum Pontifex pacem accipiebat ab aſſiſtente Cardinali,

primo dabat pacem Imperatori, poſtea Diaconis aſſiſtentibus. *Inter eundum ſemper manu ſiniſtra illius dextram tenebat; volebatque, ut æquali ſemper gradu incederet, quamvis modeſte ſemper Cæſar reluctaretur.* In diſceſſu mandavit Pontifex, quod itidem, ut in introitu, honoraretur: ſed ille ſummo mane cum paucis e ſuis conſcenſo equo ante receſſit, quam Cardinales conſueviſſent, pauci ejus feſtinationem ſunt aſſecuti. Donavit Pontifex Cæſarem pluribus muneribus, primum veſte aurea, & equo albo phalerato, cum aliquibus jocalibus, cum reliquiis Sanctorum admodum precioſis, quorum precium ſupra *duûm millium aureorum* ferebatur.

CAPUT II.

De receptione Regis venientis ad urbem.

Cum Pontifici nunciatum erit Regem quempiam Romam venturum, mandet Rectori Provinciæ, qua ille primum tranſiturus, ut venienti Regi ad fines agri Eccleſiæ obviam vadat, illum Pontificis nomine benigne ſuſcipiat, honoret, & per totam ſuam Provinciam deducat, alatque cum omni ſua familia publicis ſumptibus. Cum civitates & inſignia oppida intrabit, occurrat ei clerus cum ſupplicatione & baldachino, cantantes hymnos, Antiphonas, Verſiculos & Orationes, ut in *libro Pontificali* habetur, & mittat quamprimum numerum equitum, qui ſunt cum Rege, & qualitatem comitum ejus ad Pontificem: mittantur deinde ad tres dietas duo Prælati, qui occurrant Regi Pontificis nomine, & deinde quatuor alii ad duas: demum per quindecim aut ſexdecim milliaria mittantur duo ex Presbyteris ſive Diaconis Cardinalibus Legati obviam, qui Regem ad urbem deducant. Ordinentur qui in toto itinere, dum erit in terris Eccleſiæ, faciant expenſas Regi. In die introitus Vicecamerarius ſive gubernator urbis cum Præfecto, Senatore, Conſervatoribus, Cancellariis,

capi-

capitibus regionum, & aliis Officialibus & nobilibus civibus, primi exibunt obviam ad ſecundum aut tertium lapidem. Ad primum lapidem occurret Regi familia Pontificis, cum omnibus ordinibus & officialibus curiæ: ſacer ſenatus Cardinalium in porta obviabit Regi, & per Priorem Epiſcoporum Cardinalium fient verba congratulatoria nomine Pontificis & Collegii, & omnes Cardinales tangent manum Regi, & oſculabuntur genam: deinde hoc ordine intrabunt urbem: Primo præcedunt familiæ Dominorum Cardinalium, & curialium mixtim, familia deinde Pontificis cum officialibus curiæ ſecularis: videlicet ſcriptoribus Apoſtolicis, abbreviatoribus & hujuſmodi. Et cum familia Regis, barones, nobiles, conſervatores, oratores Principum, & Regum non Prælati, præfectus urbis, & ſenator. Si quis Princeps aut magnus nobilis erit cum Rege, locetur inter oratores laicos, vel cum Senatore aut præfecto, pro dignitate ſua. NOTA *tamen, quod orator Imperatoris ſemper præcedit ſenatorem.* Sequentur deinde ſervientes armorum cum ſuis baculis argenteis, quorum aliqui ſemper diſcurrent, curantes, ut alii præcedant ſecundum datum ordinem. Deinde ſacrum Collegium Cardinalium, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi. Rex vero erit medius inter duos ſeniores Diaconos in ultimo loco: poſt Regem erunt immediate duo aut tres cubicularii ſive Secretarii ſui: deinde Oratores, Prælati, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates: & ſi quis Prælatus erit cum Rege, erit inter Prælatos oratores. Prælati ex familia Papæ in hujuſmodi actibus, quando Collegium eſt præſens, non præponuntur aliis, quia Collegium eſt ibi tunc nomine ſuo & Pontificis, ſed ſtabunt in loco ſuæ promotionis. Clerus urbis cum vicario occurret Regi ad gradus baſilicæ Sancti Petri: & ibi Regi ex equo deſcendenti vicarius offeret Crucem oſculandam. Et tunc præcedent cantantes Antiphonam: *Ecce ego mitto angelum meum, &c.* Et alios hymnos: & ſic deducetur ad

ad Altare majus, ordine, quo venerat: ubi ſuper faldiſtorium ſibi paratum orabit genuflexus. Interim chorus cantabit reſponſorium: *Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea.* Verſ. *Inveni David ſervum meum: oleo ſancto meo unxi eum.* Reſp. *Et exaltavi &c.* Item aliud: *Tua eſt potentia, tuum regnum, Domine: tu es ſuper omnes gentes: da pacem, Domine, in diebus noſtris.* Verſ. *Creator omnium, Deus terribilis & fortis, juſtus & miſericors.* Reſp. *Da pacem &c.* Finito reſponſorio, Rege adhuc proſtrato permanente, Prior Cardinalium dicit Verſus & orationes infra ſcriptas ſupra Regem, ſtans in cornu dextro Altaris, ubi dicitur Evangelium, *Pater noſter.* Verſ. *Et ne nos inducas in tentationem.* Reſp. *Sed libera nos a malo.* Verſ. *Deus, judicium tuum Regi da.* Reſp. *Et juſtitiam tuam filio Regis.* Verſ. *Salvum fac, Domine, N. Regem.* Reſp. *Deus meus, ſperantem in te.* Verſ. *Mitte ei auxilium de ſancto.* Reſp. *Et de Syon tuere eum.* Verſ. *Nihil proficiat inimicus in eo.* Reſp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Deus, cui omnis poteſtas famulatur, da huic famulo tuo, N. Regi, proſperum ſuæ dignitatis effectum, in quo te ſemper timeat, tibique jugiter placere contendat. Deus, qui beato Petro Apoſtolo tuo, collatis clavibus regni cœleſtis, animas ligandi atque ſolvendi, Pontificium tradidiſti, concede, ut interceſſionis ejus auxilio famulus hic tuus, N. Rex, a nexibus peccatorum liberetur. Prætende Domine, N. Regi, famulo tuo, dextram cœleſtis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne & humiliter poſtulat, aſſequi mereatur. Per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.*

Surgat Rex ab oratione, & deducatur a Cardinalibus ad aliquem locum ſibi præparatum ad hoc, & ibi eum dimittant cum duobus ultimis Presbyteris, & totidem ultimis Diaconis Cardinalibus, alii omnes aſcendant ad Pontificem: qui

paratus

paratus cum pluviali & mitra precioſis, exit ad publicum Conſiſtorium in prima aula Regali ornatum. Cum omnes ſederint, facta a Cardinalibus conſueta reverentia, duo antiquiores Diaconi ibunt ad Regem, cum ſex aut octo Prælatis, acceptis a ſolio Pontificis: & illi duo juniores ibunt ad Conſiſtorium, & facta reverentia Sanctiſſimo Domino noſtro, ſedebunt in loco ſuo: & mox deducetur Rex ad Pontificem a quatuor Cardinalibus, in hunc modum: Primo præcedent familiares Regis, tum quatuor ſervientes armorum, & poſt eos miniſter cerimoniarum, inde duo Presbyteri Cardinales, deinde Rex medius inter duos antiquiores Diaconos, & poſt eum ſex aut octo Prælati prædicti. Rex tertio genuflectet in conſpectu Pontificis: duo Presbyteri Cardinales præcedentes facient reverentiam Pontifici, & expectabunt ibi ſtantes ante Pontificem: deinde aſcendet primus Diaconus, & poſt eum Rex: *qui genuflexus oſculatur pedem Sanctiſſimi Domini noſtri.* Pontifex porrigit ei manum, quam poſtquam fuerit oſculatus, levet eum, & recipiat ad oſculum oris. Interim aſcendet & alius Diaconus; his peractis, & aliquibus verbis gratulatoriis, & gratias agentibus per Pontificem & Regem dictis, *deducitur Rex a Diaconis ad ſedendum poſt primum Epiſcopum Cardinalem,* & ipſi revertuntur ad ſedendum ad locum ſuum. Et tunc, ſi Pontifici placet, proponuntur ab Advocatis aliquæ cauſæ: quibus finitis, ſurgunt omnes, & *Rex accedit* ad Pontificem cum Cardinalibus, & *ejus familia* oſculatur pedes Pontificis. Deinde Pontifex cum omnibus revertitur ad cameram, & mittit aliquos Cardinales, qui deducant Regem ad cameram ſuam.

Et NOTA, quod, ſecundum quod legi *in pluribus libris cerimoniarum,* REX *in prima die adventus ſui non debet ſervire Pontifici in aliquo actu, neque in ferenda cauda, neque in menſa ſecum pranderet, neque in aliqua re. In aliis autem diebus portabit caudam pluvialis, dabit aquam manibus, ſive in Miſſa,*

ſive

ſive in menſa, & in convivio portabit primum ferculum, & in collatione primum potum; & hujuſmodi: ſedebit autem, ubicunque erit, in publico, aut in ſecreto cum Cardinalibus poſt primum Cardinalem ſuper cuſſinum aureum, ſive purpureum, & in loco ſuo incenſabitur, & capiet pacem per eumdem, ut alii Cardinales.

Pontifex donabit Regem aliquibus muneribus devotis & precioſis, veſte aurea, & equo phalerato, ſicut fecit SIXTUS IV. CHRISTIGERUO, *Regi Daciæ*, & FERDINANDO, *Regi Siciliæ:* qui Romam venerunt tempore Jubilei, * *anno milleſimo quadringenteſimo decimo tertio.*

In diſceſſu ſociabitur Rex a Cardinalibus usque ad portam civitatis. Si Rex veniet ad urbem ob aliam cauſam, quam peregrinationis, poſſent omitti omnia, quæ fiunt in Eccleſia Sancti Petri. Et ſine ſupplicatione cleri deduceretur a Cardinalibus ad locum deſtinatum, & inde ad Conſiſtorium publicum, ut dictum eſt. Si vero Pontifex non eſſet Romæ, neque in terris ſuis, quando Rex aliquis ad eum veniet, tunc neque per tot dietas mitteret ante eum, neque faceret ei expenſas: in ingreſſu autem honoraretur, & reciperetur in Conſiſtorio publico, ut ſuperius dictum eſt.

CAPUT III.

De Receptione Reginæ.

SI aliqua REGINA venerit Romam, honoraretur, & in ejus adventu omnia ſervarentur, quæ dicta ſunt de Rege in omnibus & per omnia, & in Eccleſia dicuntur, quæ inferius ponemus: ſed non recipietur *a Pontifice ad oſculum oris, ſed ad pedis & manus:* neque poneretur ad ſedendum inter Cardinales, verum ſalutato Pontifice, poſt oſculum pedis & manus, Papa ſurgeret, & rediret ad cameram ſuam, & illa dimit-

* In Exemplari Veneto legitur: anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo quinto.

dimitteretur cum aliquibus Cardinalibus ad locum ſibi paratum. Quod tamen ſervatum non fuit in Regina Daciæ, tempore SIXTI IV. & INNOCENTII VIII: non enim recepta fuit in Conſiſtorio, ſed a Collegio deducta ad domum ſuæ habitationis. In Eccleſia fieret ei ſuggeſtus ornatus extra & prope capellam, ubi cum ſuis ancillis poſſet ſtare, & audire Miſſam, & cum Diaconus thuris ſuffitu excipit Cardinales; Reginam acoluthus unus eodem modo excipiat: ſimiliter, cum datur pax Cardinalibus: Subdiaconus, qui ſervit in Miſſa, portet pacem argenteam, ſive auream oſculandam Reginæ. Neque illa ſervit in aliquo Pontifici, nec debet eſſe aliquo modo in convivio cum Pontifice. In porta igitur Eccleſiæ Sancti Petri, ſuper gradus occurrit ei clerus cum ſupplicatione indicta, & Prælatus offert ei crucem oſculandam: & chorus cantat Reſponſorium: *Iſta eſt ſpecioſa inter filias Hieruſalem: Sicut vidiſtis eam plenam charitate, & dilectione in cubilibus, & in hortis aromatum.* Verſ. *Iſta eſt ſpecioſa, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens.* *Sicut vidiſtis &c.* *Gloria Patri &c.* *Sicut vidiſtis &c.* Deinde cantando: *Te Deum laudamus,* perveniunt ad Altare majus: ubi Regina ſuper faldiſtorium orat. Interim Prælatus, ſtans apud Altare, dicit ſuper eam verſiculos & orationem, videlicet: Verſ. *Salvam fac ancillam tuam, Domine.* Reſp. *Deus meus ſperantem in te.* Verſ. *Mitte ei auxilium de ſancto.* Reſp. *Et de Sion tuere eam.* Verſ. *Nihil proficiat inimicus in ea.* Reſp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Verſ. *Fiat pax in virtute tua.* Reſp. *Et abundantia in turribus tuis.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Deus, cujus providentia in ſua diſpoſitione non fallitur, ineffabilem clementiam tuam ſupplices exoramus, ut ſic Heſter Reginam Iſraeliticæ plebis cauſa ſalutis ad Regis Aſſueri thalamum, regnique ſui conſortium tranſire feciſti: ita hanc famulam tuam Chriſtianæ plebis ſalutis*

gredientur, familia Papæ poſt alias familias ibit obviam Principi, & demum duo Cardinales, nomine Pontificis & Collegii, paulo extra portam Principi occurrent, & poſt congratulationem capient eum medium, & ducent ad Pontificem in publicum Conſiſtorium hoc modo: Præcedent familiæ Cardinalium, & primum, qui in brevibus ſunt: deinde familia Principis cum ſuis ſarcinis: demum familiares Papæ laici cum nobilibus: poſtremo Oratores non Prælati, Princeps deinde medius inter dictos duos Cardinales, & ante eos ſervientes armorum: poſt vero Prælati oratores, cum Prælatis Papæ: deinde ſi quis Prælatus erit cum Principe, honorabitur pro ſua dignitate, poſtea ſequentur alii Prælati ordine ſuo conſueto: deducetur Princeps ad palatium, & expectabit in parva capella cum ſua familia: illi duo Cardinales ibunt ad Pontificem, qui paratus ex more exibit ad publicum Conſiſtorium paratum in aula ultima, non in prima regia, & facta reverentia a Cardinalibus, proponetur aliqua cauſa ab Advocatis, & cum prima erit finita, vel antea, ſi placebit Sanctiſſimo Domino noſtro, quatuor aut ſex Prælati ex primis aſſiſtentibus diſcedent a pedibus Pontificis, & ibunt ad deducendum Principem ad Conſiſtorium, qui veniet medius inter duos primos juniores: & facta reverentia, recipietur a Pontifice ad oſculum pedis, manus, & oris: deinde poſt aliqua verba, quibus & gratias aget, & gratulabitur, ſurget, perque clericum cerimoniarum deducetur ad ſedendum inter duos ultimos Diaconos Cardinales, & proponetur aliqua cauſa, vel finietur propoſita: finito Conſiſtorio, ſurgent omnes, & Princeps cum aliquibus Cardinalibus ibit ad Pontificem, & illo ſtante, & cum Pontifice confabulante, poterunt ejus familiares oſculari pedes Papæ. Poſtea Papa revertetur ad cameram ſuam, & Princeps *ibit immediate poſt crucem, inter duos juniores Cardinales*; & ſic ſedebit in Eccleſia: & ibi quandocunque erit cum Reverendiſſimis Cardinalibus. Et cum

abſce-

abſcedet a Papa, & ibit ad locum ſibi aſſignatum, debet deduci ab illis duobus Cardinalibus, qui eum deduxerunt ad palatium.

CAPUT VI.

De receptione Principis non ita clari.

PRinceps autem non Elector Imperii, ſive Dux non ita clarus, magnus tamen, iisdem fere cerimoniis honorabitur, ſed non ibunt obviam ei Cardinales aliqui, neque ſedebit inter Cardinales, verum poſt omnes Cardinales: & erit medius intrans inter duos primos Prælatos Pontificis; cætera ut ſupra. Et ſi eſſet Dux, aut Princeps majoris fortunæ, qui non deberet ſedere in ſedibus Cardinalium, non recipitur in Conſiſtorio publico, ſed modo ſupra dicto deducetur ad ſuum hoſpitium.

CAPUT VII.

De Principe Electore Prælato.

PRinceps elector, Archiepiſcopus videlicet MAGUNTINUS, COLONIENSIS, ſive TREVERENSIS, quamvis præcedant laicos Electores, cum ultra ſacram dignitatem etiam ducatus titulo decorentur, tamen familiarius conſueverunt a Pontifice tractari in ſedendo: ut audivi. Nam ex eis nemo meis temporibus ad curiam venit. Credo tamen, quod debeant recipi: ut alii Principes Electores. Et in ſedendo erit ille Archiepiſcopus Elector poſt omnes Cardinales in ſede Diaconorum Cardinalium. Si tamen erit præſens alius ſimilis Princeps, quia tunc ipſe non cederet illi, poterunt, ſi erunt plures, ſedere in eodem ſedili, ſecundum ordinem ipſorum.

CAPUT VIII.

De receptione oratorum, ſive Legatorum Regum & Principum, ſeu Urbium publicarum.

PRidie quam Oratores ſunt ingreſſuri urbem, debent id ſignificare honeſto modo. Et ſi ipſi Oratores veniunt ad præſtandam obedientiam ſummo Pontifici, ſive ob aliquam rem magni momenti, & ſpectantem ad bonum publicum, tunc Pontificis nomine debet intimari per curſores Cardinalibus & Prælatis curiæ dies & hora introitus illorum oratorum, & per quam portam, & ut mittant familiam ad honorandum. *Et nota*, quod intimatio hujuſmodi non conſuevit fieri niſi in caſibus prædictis: cum autem Oratores ob res privatas ſuorum Dominorum veniunt, non mittuntur familiæ, ſed privati amici mittunt. Tempore SIXTI cærimoniæ hujuſmodi fuerunt multo laxiores, idque ambitioni & gratiæ datum, non improbandum, ſi res ad priſtinam gravitatem reduceretur. Die igitur & hora prædicta, familiæ Dominorum Cardinalium ſeparatim exibunt obviam Oratoribus per medium miliare, vel circa extra urbem. Si veniunt per portam Sancti Petri, familiæ non tranſeunt domum leproſorum, neque ullo modo aſcendunt montem: & ſimiliter ſi per portam Sanctæ Mariæ de populo, non tranſeunt pontem Aemilium. Advenientibus oratoribus, ille cui commiſſum eſt a Cardinali, accedit, & nomine Domini ſui gratulatur fœlicem adventum oratorum, & dicit Dominum ſuum miſiſſe familiam ſuam ad honorandum illorum introitum propter reverentiam, devotionem, affectionem, ſive benevolentiam, ex domini illius conditione, cujus titulos diligenter ſervare debet, erga quem habet dominum illorum, & pollicetur, atque offert omnem operam Domini ſui, domum, familiam

miliam & omnia quæ poteſt, quandocunque operam requirent illorum, & habito ab illis reſponſo, recedunt ad partem, & dant locum aliis, & vadunt ad loca ſua, & ſemper honorabiliores remanent cum oratoribus: familia Papæ debet eis occurrere paulo extra portam, &, facta ſalutatione, aptantur per clericum cærimoniarum in hunc modum: *Primo* procedunt familiæ curialium tam Cardinalium quam aliorum, qui in brevibus ſunt, deinde ſarcinæ, & familia oratorum novorum bini & bini, poſt familiares Papæ laici, & nobiles, ac barones, ſi qui ſunt, tum ſervientes armorum cum ſuis baculis argenteis: Inde oratores, quorum primus erit medius inter duos primos Prælatos Pontificis. Deinde ſi erunt plures oratores, ponentur unus poſt alium medius inter unum Prælatum Pontificis, & unum ex oratoribus Principum, qui ſunt in curia, ſive ſint Prælati, ſive laici, & Prælatus Pontificis erit a dextris novi oratoris, & orator antiquus a ſiniſtris. Quando non erunt plures oratores, novi ſequentur, unus Prælatus palatii & unus orator, & qui ſuperabundabunt, ſive Prælati palatii, ſive oratores, ibunt bini & bini. Quod ſi oratores eſſent tot numero, ut & Prælati Papæ, & oratores antiqui non ſufficerent ad retinendos eos medios: ibunt poſt primum, qui erit inter duos, ut diximus ex palatio, alii bini & bini, neque orator novus, & unus Prælatus palatii, ſive unus orator antiquus, & hoc alternatim. Videlicet poſt primum erit unus orator antiquus: deinde unus Prælatus Palatii, & ſic deinceps uſque ad ultimum. Sequentur deinde alii Prælati ſuo ordine, & poſt eos Subdiaconi, auditores, clerici cameræ, acoluthi, cubicularii, alii familiares Papæ togati, demum alii curiales. Cum pervenerint ad portam hoſpitii novorum oratorum, ipſi novi oratores firmabunt ſe ante portam in equis & agent gratias Prælatis & oratoribus, qui eos deduxerunt, & ſic remanebunt in porta reſpondentes facientibus reverentiam cum capite detecto,

detecto, quousque Prælati omnes tranſeant, & diſcedant, tunc intrabunt domum: & deſcendant ad quieſcendum. Neque prius ibunt in publicum, quam viſitaverint Summum Pontificem. Die deinde ſtatuta parabitur Conſiſtorium publicum in aula convenienti Oratoribus, ut alias diximus, & pridie intimetur Cardinalibus, Prælatis & Officialibus curiæ. Hora conſueta Domini Cardinales veniunt ad palatium, & Summus Pontifex paratus pluviali, & mitra precioſa exit ad publicum Conſiſtorium. Interim oratores ipſi veniunt ad palacium, comitati ab amicis, & aliqui Cardinales amici ſolent mittere familias ſuas ad deducendum eos ad palatium: nam tales Cardinales præveniunt aliquantulum alios, & ſtatim mittunt familias. Et eſt advertendum, quod Papa non prius exeat ad Conſiſtorium, quam oratores intraverint palatium, ne indecenter oporteat eum expectare. Illi autem, ut deſcenderint, expectabunt in capella minori: vel ſi Conſiſtorium erit in aula regali, expectabunt in aliquo loco inferius ad hoc eis parato: cum Pontifex & alii ſederint, fit reverentia a Cardinalibus more ſolito. Deinde proponitur aliqua cauſa ab Advocatis. Tunc Clericus cerimoniarum perquiret a Referendario, qui habet curam ſignaturæ, quot cauſæ ſint proponendæ? & cum tempus videbitur, aſſumat Prælatos e numero aſſiſtentium Papæ tot, quot ſufficiant pro numero oratorum, videlicet, ſi erit unus vel duo oratores, non aſſumantur minus quam quatuor, & deducantur medii. Et ſi fuerit inter oratores aliquis Prælatus, debet deferre cappam. Oratores, ſi eſſent ſex, octo, vel plures oratores, tot aſſumantur Prælati: & unus ultra, ut prius orator ſit medius, alii unus orator & unus Prælatus, qui Prælati ibunt ſimul ad locum, ubi oratores expectant, & eos deducent ad Conſiſtorium, cum apparuerit in conſpectum Pontificis: Tertio cum diſtantia genuflectunt, prout clerus cerimoniarum, qui eos

præce-

præcedet, oſtendet, & tunc Advocatus tacebit, etiamſi ſua propoſitio non eſt finita. Oratores, præeunte primo Prælato, ad Pontificem aſcendent, & recipientur ad oſculum pedis, manus, & oris, & genuflexi dicent ſecrete aliqua verba, & præſentabunt Papæ literas credentiales, vel publica documenta commiſſionis eorum, quas prius oſculabuntur, quam in manibus Pontificis tradant. Pontifex literas, & inſtrumenta dat Secretario, & oratores per Clericum cerimoniarum ducuntur retro ſcamnum Presbyterorum Cardinalium, quod eſt in conſpectu Pontificis, & ibi ſtant, quouſque ſit tempus exponendi. Advocatus autem ſi non finierat, proſequitur cauſam ſuam. Et ea finita, Secretarius Pontificis ſurgit, & legit literas, & inſtrumenta ſtans ante Pontificem clare & diſtincte pronunciando, ita ut bene ab omnibus intelligatur. Quibus finitis, orator, cui incumbit ſtans detecto capite, accepto ſigno incipit orationem ſuam, & alii ejus Collegæ ſimul ſtantes capite detecto permanent: & illo ſe inclinant, vel genua flectente pariter ſe inclinant, & genuflectunt. Finita oratione Pontifex reſpondet, ut ſibi videbitur. Procurator autem fiſcalis rogat omnes protonotarios, clericos cameræ, & alios notarios publicos de obedientia præſtita, vel actu facto, & reſponſo Pontificis: & petit inſtrumentum & inſtrumenta. Poſt reſponſum ſurgunt omnes, & oratores interim veniunt ad Dominum noſtrum ad circulum cum aliquibus Cardinalibus, & eorum familiares oſculantur pedes Pontificis: qui mox revertitur ad cameram ſuam, ut venerat. Oratores deducuntur ad hoſpitium ſuum a ſuis amicis particularibus, & non a familiis Cardinalium: quia illi debent comitari Dominos ſuos.

SECTIO XIV.

CAPUT I.

De Concilio generali.

SCripturi Cerimonias, in ſacro generali Concilio ſervandas, *primum* de loco Concilii, & ſedium diſpoſitione differendum putamus: *deinde* de perſonis, & earum habitu: *tertio* de ordine rerum gerendarum, & *ultimo* de ſacris precibus & orationibus ad Deum.

Generale Concilium tunc canonicum & *legitimum* reputatur, cum a Romano canonico Pontifice inducitur, vel quod ſchiſmatis ſævientis procella catholica Eccleſia ſibi ipſi indicit. Neque Concilium aliquod ſuſceptum legimus, quod Apoſtolica beati Petri ſedes non probaverit, illique vel per ſuum antiſtitem, Romanum Pontificem, vel per ejus legatos non præfuerit.

CAPUT II.

De loco & ſedibus Concilii.

IN dicto igitur Concilio generali ornetur locus Concilii, id eſt, ubi publicæ ſeſſiones habendæ ſunt in Eccleſia cathedrali, ſive alio capaci loco, in hunc ferme modum.

Primum caveatur, ut nullus omnino aditus relinquatur ad ipſum locum, præter unum tantum, qui valvis & firmis clauſuris obſerari poſſit. Si erit Eccleſia cathedralis, relinquenda erit, dummodo ſit capax, pars ſuperior apud Altare majus pro miſſis ſolennibus celebrandis, & aſſeribus, aut alia materia ſeparanda a parte inferiori, in qua ſedes aptabuntur pro Concilio. Igitur in capite loci, ubi ſeſſiones celebrandæ erunt, conſtituetur thalamus *pro ſede Papæ*, cum tribus gradibus debitæ proportionis, latitudo ultimi plani erit decem palmorum, longitudo vero duodecim: in medio erit ſedes

cum

cum ſuo poſtergali, & cum ſcabellis magno & parvo, & omnia erunt ornata, ut fit in publico Conſiſtorio; erunt etiam duo ſcabella hinc inde pro Diaconis aſſiſtentibus Papæ. In iſta linea nullæ aliæ erunt ſedes, niſi forte Imperatoris, aut Regum, ſi quis iſtorum eſſet interfuturus Concilio. Sedes IMPERATORIS parabitur juxta ſedem Papæ: quæ habebit duos gradus conjunctos gradibus Papæ, *ſed non tantæ latitudinis aut longitudinis;* erit ornata cum panno aureo poſt tergum, ſed non ſupra caput, habebit ſcabellum parvum ad pedes, viridi colore pictum. *Et advertendum, quod locus, ubi ſedet Imperator, non ſit altior loco, ubi tenet pedes Pontifex.* Si vero Reges adeſſent unus vel duo, parentur ſedes pro eis cum poſtergali uſque ad ſpatulas, & ordinentur ut ſcamna Cardinalium, habebunt tamen pulvinaria ex crameſino, & ſcabellum viride ſine gradibus, & ponentur *hinc inde non ad lineam omnino ſedis Papæ, ſed aliquantulum transverſæ, ut poſſint reſpicere ad faciem Pontificis a dextris, deinde & a ſiniſtris intra gradus ſedis Papalis.* Per longitudinem loci erunt ſcamna pro Cardinalibus & Prælatis cum poſtergali, & unico gradu, longitudinis octo cannarum, vel circa, ſed media pars a dextris, pro Epiſcopis & Presbyteris, & alia pars a ſiniſtris pro Diaconis Cardinalibus, erit aliquantulo eminentior, videlicet quatuor, aut quinque digitorum altitudine, pulchrioribus pannis ornata. Poſt ſcamna prædicta in transverſum ante faciem Pontificis ad lineam erigantur quatuor ſedes Patriarchales diſtinctæ & ſeparatæ ſuis poſtergalibus, & gradibus ad ſimilitudinem ſcamnorum prædictorum, & collocentur paribus intervallis: ita ut quadraturam facientes lineam tranſverſalem impleant, & inter duas medias erit quaſi janua, & aditus ad ſedes primæ quadraturæ. Intra hanc primam quadraturam fient ſedilia humiliora ſine gradibus, & ſine poſtergali per longitudinem cum tranſverſa uſque ad aditum: qui debet relinqui latitudine unius cannæ vel circa.

Poſt primam quadraturam fient & alia ſcamna poſt priora ejusdem fere altitudinis ſine poſtergali tamen, quæ complectantur poſt etiam patriarcharum ſedes, relicto ſpatio pro aditu, & item ſi locus erit capax, fiat alius ordo ſedilium poſt ſecundum, & tot, quot loci amplitudo, & Prælatorum numerus exigit: Erigatur etiam in dicto conventu Altare aliquod cum Cruce, & ſacra Euchariſtia, ſive reliquiis Sanctorum in loco congruo: ubi poſſit Pontifex orare cum venit ad Concilium, & cum dicit preces pro ſynodo, illuc faciem convertere.

Si autem Papa non erit futurus in Concilio, poterunt ſcamina prædicta fieri apud Altare majus ſine ſede Papali. Et præſidens Concilii, finita miſſa, paratus ſacris veſtibus ac ſi eſſet celebraturus ſedebit in faldiſtorio, poſito ante Altare, vertens renes ipſi Altari.

CAPUT III.

Qui habent vocem deliberativam in Conciliis.

IN Conciliis autem illis venerandis ac ſacroſanctis, quibus fides noſtra, & recta vivendi norma purgata, atque firmata eſt, non legimus interveniſſe ſtatuendi cauſa niſi Epiſcopos & abbates, & hi tantum decretis ſe ſubſcribebant. Epiſcopos appellamus etiam Epiſcoporum Principes: *quoniam hæc eſt ſuprema in Eccleſia Dei poteſtas, inferioris autem gradus Eccleſiaſticos viros, & principes ſeculares conſulendi, ac inſtruendi gratia, non autem decernendi intererant:* qui (ut periti ajunt) conſultivam vocem habent in Conciliis, non definitivam, ſeu deliberativam. Aderunt igitur in Conciliis *ad ſtatuendum* ROMANUS *Pontifex* tanquam rector & moderator totius Eccleſiæ, paſtor gregis dominici, & omnium Epiſcoporum Epiſcopus. *Sacer Cardinalium ſenatus, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates,* quibus non immerito & *ordinum*

religio-

religioſorum Generales magiſtri additi ſunt, denique omnes *Prælati*, qui ſecundum formam juramenti, quod præſtant cum ad dignitates promoventur, ad ſynodum venire tenentur. *Alii autem, ut diximus, diſſerendi, inſtruendi, conſulendive gratia poterunt intereſſe, non tamen in ſeſſionibus publicis induti ſacris veſtibus ſedebunt, neque ſententiam dicent.*

CAPUT IV.

De diverſis officialibus Concilii.

ADerunt etiam diverſi magiſtratus, & miniſtri Concilii, ultra quos tamen Pontifex Summus (ſi præſens erit) conſtituet alios, qui negotia proponenda ſuggerant. Alios qui venientes ad Concilium in volumine deſcribant, miſſorum, ac legatorum facultates examinent, & publica documenta rimentur. Alios, qui locum Concilii cuſtodiant. Geſta autem Concilii excipere, & in publicam formam redigere, ſpectat propie ad protonotarios Apoſtolicos, clericos cameræ, & Secretarios Papæ, qui tamen, antequam ſcripta ſua publicent, corrigenda illa exhibeant his, qui a Pontifice, ſive a Concilio erunt deputati. Sedes autem omnibus conſignabunt clerici cerimoniarum: Si Papa erat in Conciliis, & cum difficultas aliqua orietur, conſulent ſuper ea re Summum Pontificem. Sin vero Summus Pontifex abeſſet, conſtituerentur a Concilio, qui ſedibus conſignandis præſint.

CAPUT V.

Ordo ſedendi in Conciliis.

ORdo autem ſedendi in publicis ſeſſionibus hic erit. Summus Pontifex in ſolio Pontificali ſedebit, cui a lateribus ſuper ſcabellis ſedebunt Diaconi duo aſſiſtentes, & prior Presbyterorum in ſcabello etiam in loco eminenti, ſive a dextris, ſive a ſiniſtris, prout in capella cum Papa celebrat, ſed

ſed tunc, & quoties in divinis miniſtrat, ut Capellanus aſſiſtens erit indutus pluviali, non planeta. IMPERATOR, ſi aderit, ſedebit in ſede ſua ad dextram Pontificis, & tunc Diaconi non ſedebunt apud ſedem Papæ, ſed ante ipſam ſedem hinc inde ſuper parvis ſcabellis, ut erat mos antiquis, & hoc, ne Diaconus a dextris videatur ſedere medius inter Papam, & Imperatorem. REGES ſedebunt in nominatis ſedibus ſuis: Epiſcopi & Presbyteri Cardinales in prima parte eminentiori ſcamnorum a dextris, Diaconi Cardinales præter illos duos in prima parte ſiniſtris. Patriarchæ quatuor Eccleſiarum Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Hieroſolymitanus ſedebunt in quatuor illis ſedibus ſingularibus contra faciem Pontificis. Et nota, quod prædicti Patriarchæ in miſſis, & aliis actibus, ſive ſint parati, ſive non, ſedent ante aſſiſtentes Papæ. Alii Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates parati ſedebunt in ſcamnis poſt Cardinales hinc inde, primum tamen locum habebit Vice-Camerarius, ſi erit Prælatus. Et ita ſervatum legimus in *Concilio Piſano*, præſidente ALEXANDRO V. & in *Conſtantienſi*, præſidente JOANNE XXIII. Deinde oratores Regum, & Principum, ſi erunt parati, inde reliqui Prælati parati. Et impleta prima quadratura ſcamnorum, implebuntur reliquæ poſt illam: poſtremi erunt Generales ordinum. Et adverte, quod Prælati omnes, cujuſcunque ſint gradus, ſecundum GREGORII Papæ *decretum*, ſedebunt inter Collegas ſuos ſecundum ordinem, ſive promotionem ſuam. Aſſiſtentes Papæ parati ſedebunt ſuper gradus thalami *Pontificalis* ad ſiniſtram partem, Protonotarii Apoſtolici, & clerici cameræ ad dextram, Subdiaconi vero, auditores rotæ, & acoluthi in parte anteriore ad pedes Papæ. Super planum ſedebunt duo cubicularii ſecreti Papæ, Decanus auditorum, qui ſervit de mitra, & Secretarius Papæ, ſi non eſt Prælatus. Oratores autem laici, ſive non Prælati,

ſedent intra primam quadraturam in ſedibus illis humilioribus, pro dominorum ſuorum dignitate, ita ut digniores ſint propinquiores primis ſcamnis Papæ, & ſi aderit *aliquis magnus Princeps*, ſedebit in ſcamno Diaconorum poſt omnes Diaconos, ſi alias conſuevit ſedere in ſuo ſcamno, alii inferiores Domini laici inter vel poſt oratores non Prælati, ſecundum eorum qualitatem. Cæteri vero ſacerdotes, & Clerici, qui aderunt, ſtabunt poſt ſcamna Prælatorum, ut poterunt.

CAPUT VI.

Ordo rerum gerendarum in Conciliis.

ORdinem autem rerum agendarum ex antiquis conciliis propter eorum vetuſtatem colligere non potuimus, niſi quantum ad ſeſſiones pertinet, in quibus diſcuſſa communiter proponebantur, & per verbum, PLACET, a patribus firmabantur. Sed quoniam noviſſimorum Conciliorum, *Conſtantienſis, & Baſilienſis* res geſtæ diligentiſſime annotatæ fuerunt, & in ordine ſatis inter ſe congruunt, modum in illis ſervatum perſtringemus; ſed defuit in Baſilienſi congregatione multitudinis in ſanctos Epiſcopos reverentia, & ſuperabundavit temeritas, atque arrogantia, quando non pluris fieret ſententia optimi cujusque Antiſtitis, quam minimi Canonici, & id quod ad Epiſcopos ſpectat, diffinire, & ſancire unusquisque ſibi arrogaret, unde Eccleſiam Dei, quam imitari convenit, in diuturnam, & pernicioſam ſciſſuram adduxit. Ordinem igitur profecto illius Concilii, & procedendi modum laudarem, ſi Prælatis tantum, ut priſci voluerunt, decernendi, & diffiniendi poteſtatem permiſiſſent. Sed abſtinebunt (ut arbitror) poſtea horum exemplo ab hujusmodi novitate, & bene ordinata idoneis miniſtris committent. Modum igitur hunc ſervabant, qui abſente Pontifice non incompetenter fortaſſe ſervari poterit, ſi Prælatis, ut diximus, relinquetur tantum ſtatuendi facultas.

CAPUT

CAPUT VII.

De Conſtantienſi & Baſilienſi Conciliis.

PRimum omnes ad Concilium venientes ſive ſuo, ſive alieno nomine per curſores præordinatos deſcribebantur: tum patres omnes per quatuor nationes dividebant ITALICAM, GERMANICAM, GALLICANAM, & HISPANIENSEM. In Conſtantienſi tamen ſynodo: quia Hiſpani cum ſuo BENEDICTO XIII. diu in contumacia perſiſtentes non affuerunt, niſi in fine. ANGELICANA quartum locum obtinuit, quæ Baſileæ cum Gallicana eſt connumerata. Ex nationibus pari ex unaquaque numero quatuor conventus creabant: quas ſacras deputationes vocitabant, locis, vocabulis, & poteſtate diſcretas. Nam in *prima* fidei catholicæ: *ſecunda* de pace populi Chriſtiani: *tertia* de reformatione Eccleſiæ, & in *poſtrema* de aliis emergentibus negotiis agitabatur. Erant cuique conventui ſeparata tribunalia & loca, in quibus convenirent proprii magiſtratus: *Præſidens*, qui concionem advocaret, negotia proponeret, & ſecundum majoris partis ſententias concluderet. *Promotor*, qui tanquam curator publicus ingereret negotia, inſtaretque, ut abſolverentur. *Scriba*, qui geſta decretaque publicis documentis annotaret. Nuncius deinde ſive apparitor, qui patres convocaret, citaret, edicta proponeret, & ſimilia. Conveniebant hæc collegia ter in hebdomada iisdem horis in propriis prætoriis, ubi, re divina peracta, rebus gerendis operam dabant. Et quatuor deinde ſacris deputationibus duodecim virorum collegium eligebatur, terni ex unoquoque conventu & natione, viri doctrina, & experientia clari, ad hos negotia omnia primum deferebantur, qui, rebus mature digeſtis, vel ea reſpuebant, vel ſi admittenda videbantur, ad collegium, cui competerent, remittebant, eratque his

poteſtas,

poteſtas, cum aliquid grave inſtaret, convocare quatuor conventus etiam extra ordinem. Cæterum, quæ a duodecim virorum collegio ad quempiam ex quatuor conventibus remittebantur, proponebantur per præſidentem illius conventus, neque licebat illa die de propoſitis decerpere, niſi res manifeſte celeritatem neceſſariam exigeret. Quod major deinde pars ſtatuiſſet, ad alios tres conventus deferebatur; eorum opinio cum rationibus, & argumentationibus utriusque partis. Quod per tres conventus approbatum erat, ad præſidentem Concilii publicis documentis deferebatur, qui ſtatuto die in generali congregatione de ea re referebat, neque licebat præſidentem de aliqua re agere cum patribus in generali conventu, niſi prius de ea deliberatum, (ſive ut ajebant) conclusum fuiſſet per quatuor, aut ſaltem per tres deputationes. Demum ubi quippiam a patribus approbatum erat in generali congregatione, quæ octavo quoque die frequentabatur, in formam decreti redactum in publica ſesſione ritu ſolenni ſtatuebatur.

CAPUT VIII.

De generali congregatione in Conciliis.

GEneralis congregatio differt a publica ſeſſione, quod in illa res ſtatuendæ per quatuor deputationes diſcuſſæ approbabantur hoc modo: Ubi in ſacris deputationibus aliquid cenſebatur, præſidens illarum quisque in ſuo conventu id firmabat his verbis: *In nomine Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego concludo in talem ſententiam.* Idem fiebat deinde in generali congregatione, ubi vero præſidens Concilii præſidentium deputationum vota cognoverat, concludebat nomine totius Concilii. Oportebat tamen illum concludere ſecundum præſidentium vota, his peractis, cum res ita exigebat, publica ſeſſio indicebatur. In omnibus

tamen ſupradictis, ſi Papa erit præſens, ipſe erit rector, moderator, ac diſpenſator, & deputationes, Collegia, magiſtratus, & rerum omnium ordinem pro ſuo arbitrio conſtituet. Quæ ideo recenſuimus, ut poſteri hinc capere poſſint, quæ reipublicæ magis expedire videbuntur.

CAPUT IX.

De publica ſeſſione & ſacris precibus.

Publicæ ſeſſiones his cerimoniis celebrari conſueverunt: Antequam prima ſeſſio celebretur, indicitur omnibus Conſiliariis triduanum jejunium, deinde ſtatuta die Pontifex cum omnibus Prælatis, & aliis, qui intereſſe debent, ac Clero cum ſacra pompa, ſi placet, venit ad locum conſilii, ubi per ipſum Pontificem, vel alium Prælatum, cantatur miſſa de Sancto Spiritu, & fit Pontifici reverentia per Cardinales, & omnes Prælatos paratos. In aliis ſeſſionibus non ſolet ſemper cantari miſſa ſolennis ante, ſed Papa, audita miſſa privata, venit ad conſilium cum pluviali rubro, & mitra precioſa, & facta oratione ante Altare, aſcendit ad ſedem ſuam, & ſimiliter omnes alii ſedent in ſedibus ſuis prænominatis, & fit ei reverentia a Cardinalibus cum ſuis cappis laneis, ſi prius non eſt facta; deinde duo ſeniores Diaconi accipiunt dalmaticas, & unus eorum ſtolam & manipulum, quia eſt cantaturus Evangelium, Subdiaconus etiam paratur, deinde accedunt ad Pontificem, & imponunt ei ſandalia, & dicitur Pſalmus: *Quam dilecta.* Interim Cardinales, & alii Prælati accipiunt paramenta ſibi convenientia, omnes rubri coloris; omnibus indutis, aliquantulum quieſcunt. Tunc ſilentio facto, Diaconus a dextris ſurgens, alta voce præfatur: *Orate.* Et mox tam Pontifex ſuper faldiſtorium ſibi paratum, quam alii ſine mitra in terra genuflexi dicendo orant, verſi ad Altare: ſurgens deinde Pontifex ſolus, aliis proſtratis permanentibus,

tibus, abſolute dicit hanc orationem in tono competenti, videlicet: *Adſumus, Domine Sancte Spiritus, adſumus quidem peccati immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati, veni ad nos, & eſto nobiſcum, & dignare illabi cordibus noſtris. Doce nos, quid agamus, quo gradiamur, & oſtende, quid efficere debeamus, ut, te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus, eſto ſalus, & effector judiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre, & ejus Filio nomen poſſides glorioſum, non patiaris perturbatiores eſſe juſticiæ, qui ſummam diligis æquitatem, non in ſiniſtrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio munerum, vel perſonæ corrumpat, ſed junge nos efficaciter tibi, ſolius tuæ gratiæ dono: ut ſimus in unum, ſed in nullo aberremus a vero, quatenus in nomine tuo collecti ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis juſticiam, ut hic a te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro bene geſtis conſequamur præmia ſempiterna.* Qua finita, omnes reſpondeant, *Amen.*

Finita oratione, Diaconus a ſiniſtris ſurgens, verſus ad Patres dicit: *Erigite vos,* & omnes ſurgunt. Et cantores cantant Antiphonas:

Exaudi nos, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, reſpice nos Domine. Iterum Diaconus a dextris converſus ad patres dicit: *Orate;* & ſimiliter omnes procumbunt, & aliquantulum orant ſecrete. Surgens deinde Diaconus a ſiniſtris dicit: *Erigite vos;* & omnes ſurgunt. Et Pontifex omnibus ſtantibus detecto capite dicit orationem abſolute. *Mentes noſtras, quæſumus Domine, Paracletus, qui a te procedit, illuminet, & in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, inducat veritatem. Qui tecum vivit & regnat in unitate ejuſdem.* Qua finita, iterum omnes genuflectunt, & fit litania, quæ per duos ex cantoribus pronunciatur, & omnes reſpondent, & poſt verſum illum, *ut donum Apoſtolicum &c.* ſurgens Pontifex cum mitra benedicit, Synodo dicens: *Ut hanc Sanctam Synodum, & omnes*

gradus Eccleſiaſticos benedicere digneris. Et omnes reſpondent: *Te rogamus, audi nos.* Iterum dicit: *Ut hanc Sanctam Synodum, & omnes gradus Eccleſiaſticos benedicere & regere digneris.* Reſp. *Te rogamus, audi nos.* Et tertiò: *Ut hanc Sanctam Synodum, & omnes gradus Eccleſiaſticos benedicere, regere, & conſervare digneris.* Reſpondent: *Te rogamus, audi nos.* Et, procumbente iterum Pontifice, litania perficitur. Deinde ſurgunt omnes, & Pontifex verſus ad Altare ſine mitra dicit: *Oremus.* Diaconus a dextris: *Flectamus genua*, & Diaconus a ſiniſtris: *Levate.* Et Pontifex: *Da, quæſumus, Eccleſiæ tuæ, miſericors Deus, ut Spiritu Sancto congregata, hoſtili nullatenus incurſione perturbetur, per &c. in unitate ejusdem &c.* Tum Diaconus petit benedictionem pro Evangelio, & imponitur a Pontifice incenſum more ſolito, & cantatur Evangelium competens rei, de qua agitur, cum luminaribus, & cerimoniis conſuetis, & in fine Pontifex oſculatur librum, & incenſatur more conſueto. Presbyter Cardinalis paratus cum pluviali ſervit Pontifici & de libro, & de navicula incenſi, ac ſi Pontifex celebraret, finito Evangelio omnes ſedent, & Pontifex patres hortatur verbis convenientibus ad facienda decreta, aſſignans rationes, cur ita ſit faciendum; deinde ſurgens ſine mitra, incipit hymnum: *Veni Creator Spiritus*, omnes genuflectunt, & ipſe etiam, poſtquam inceperit, genuflectit procumbens ſuper faldiſtorium, quouſque primus verſus perficiatur. Deinde omnes ſurgunt, & ſtant capitibus detectis cantores, & patres, ſi volunt, proſequuntur hymnum, in fine Pontifex dicit Verſus: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Reſp. *Et renovabis faciem terræ.* Et Pontifex: *Oremus: Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, &c. per Dominum &c.* Demum duo cantores dicunt: *Benedicamus Domino. R. Deo gratias.* Quibus finitis, Diaconus legit decreta facienda, & rogat Patres, an iſta placeant, qui incipiendo a Summo Pontifice, reſpon-

reſpondent: *placet*, vel *non placet*, & Protonotarii Apoſtolici, Clerici Cameræ, & alii tabularii rogati decreta notant, & in publicam formam redigunt, quæ deinde bulla, ac ſigillo Apoſtolico muniuntur: Evangelia mutantur in ſeſſionibus ſecundum materias, quæ tractantur. Si Romanus Pontifex non adeſſet, præſidens Concilii paratus cum ſandaliis, Diacono, & Subdiacono omnia faceret, ut prædictum eſt, niſi ea, quæ ad Summum Pontificem tantum ſpectant. Decreta legeret aliquis Prælatus, & literæ ſignentur bulla Concilii. Decretis firmatis, omnes deponunt ſacras veſtes, & tum revertuntur domum, quemadmodum venere. Si Papa eſt præſens, decreta intitulantur hoc modo: MARTINUS *Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ſacro approbante Concilio, & cætera,* ut in Conſtantienſi. Si autem abeſt Pontifex, ſic ſcribitur, ut Baſilienſis: *Sacroſancta generalis Synodus Baſilienſis * in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, & univerſalem Eccleſiam repræſentans, &c.*

SECTIO XV.

CAPUT I.

De morte, & exequiis Reverendiſſimorum Cardinalium.

Quoniam ſacra Philoſophia eſt aſſidua meditatio mortis, quia nihil omnino certius, quamvis hora incerta ſit, decet ſummos viros ſemper paratos eſſe quoad interiorem, & exteriorem hominem, ne improviſi ab ultimo die opprimantur. Dum igitur mente, & corpore valebunt Domini Cardinales, & alii Prælati, & magni viri Eccleſiaſtici (ſi ſapiant) rebus ſuis conſulant, & ultimam voluntatem, indulgente Pontifice legitimo, firmabunt

* In Veneta legitur: *Sacroſancta Synodus Tridentina.*

bunt teſtamento. Quod ſi, dum ſanus erat, quiſpiam neglexit, ſaltem dum corpore languet, & mortem adventare timet, id agere non prætermittat, ſed cum recte animæ ſuæ, familiæ, & ſuis hæredibus proſpexerit, id præcipue curet, ut ex numero Cardinalium executores eos deligat ſui teſtamenti, qui integritate, & auctoritate clari habeantur, qui familiam tueri, & legata, atque relicta teſtatoris implere velint, & posſint. Cæterum qui ægrotanti aſſiſtent, ſi ille morbo presſus ejus rei non meminiſſet, curet diligenter, ut in tempore Eccleſiaſtica ſacramenta non clam, ſed publice adminiſtrentur, & dum in extremis laborare incipit, advocent executores, qui decedentem ſolitis officiis conſolentur, & bonorum omnium deſcriptionem faciant, eaque fidis miniſtris, & in locis tutis cuſtodienda committant. Executores in domo decedentis convenientes, quæ ad ſalutem, ſeu conſolationem animæ illius pertinent, in primis procurabunt, ordinabuntque, ut viri religioſi pſallentes, & orantes, morientem circumſtent, adminiſtrationi & curæ domus præficiant aliquem ex ſuis, qui cum officialibus domus familiam gubernet pacifice, & quiete, & neceſſaria provideat. Indeque ad deducendum funus, quæ opportuna ſunt, ſtatuant & committant: ſit etiam, qui orationem funebrem meditetur. Cum autem languens ſpiritum Creatori reddiderit, miniſtri, depoſito ex lecto poſt morulam cadavere, iſtud calida aqua lavent, barbam radant, mundetur, & ita curent opportunis remediis, ut corpus ſine fœtore uſque ad præſtitutum tempus reſervari poſſit. Significent executoribus horam tranſitus, ut illi de hora funeris deliberare valeant: quam deinde per curſores aliis Cardinalibus Prælatis, & Curialibus, atque etiam Collegiis & Conventibus Clericorum, ac Religioſorum, quos funeri intereſſe voluerint, intimabunt. Sed nota, quod ante SIXTI IV. tempora Cardinales non conſueverunt ire ad domum Cardinalis defuncti, niſi executores tantum, mittebant

bant autem familias ſuas; poſt ea tempora fere omnes interſunt, quando vigiliæ dicuntur, non tamen ſequuntur funus; quid magis deceat, alii viderint. Miniſtri Cardinalis defuncti, ut corpus mundaverint, illud veſtiant omnibus quotidianis indumentis, uſque ad rochetum incluſive, deinde ornent eum ſacris veſtibus, ac ſi miſſam eſſet celebraturus. Si eſt Presbyter, aut Epiſcopus Cardinalis, imponant ſandalia, amictum, albam, cingulum, ſtolam, manipulum, tunicellam, dalmaticam, chyrothecas, planetam, mitram ſimplicem, & annulos. Si vero eſſet Diaconus, ſupra ſtolam transverſam, dalmaticam tantum imponerent, & mitram ſimplicem in capite, ea ſcilicet ornamenta, quibus uteretur, ſi Evangelium eſſet dicturus. Et ita indutum deponant in terra ſuper aliquem pannum, ſive tapete cum cereis ardentibus a capite & a pedibus; ponent ſuper ejus pectus Crucem aliquam, quam manibus teneat. Interea tota domus nudetur ornamentis omnibus. In majori aula domus quaſi in medio, paretur lectica ex tabulis, quæ antea diſtendatur ſex palmis, latitudine decem, longitudine duodecim palmorum aut circa, & ſuper eam ponatur lectus ex lana, ſive pluma, cum cervicali longo, & magno panno aliquo cooperiatur lectus, & lectica circa a lateribus, hinc inde ponantur ſcamna cum foraminibus, ut ibi ponantur ſex cini, aut viginti intorticia. Ad pedes lecti erit menſula cum mappa munda, & ſuper eam duo can delabra cum luminaribus, ſuperpellicium unum, una ſtola cum pluviali nigri coloris. Item vas cum aqua benedicta & aſperſorio, & thuribulum cum navicella incenſi, & libellus pro dicendis orationibus, circumcirca per totam aulam ponantur ſedilia pro Cardinalibus Prælatis, & aliis Curialibus, qui veniunt ad honorandum defunctum. Familiares in iſtis vigiliis, & deducendo funere non interſunt, quia non ſunt adhuc induti veſte lugubri, habebunt tamen ſinguli nigrum biretum expenſis defuncti. Cum aderit hora præſtituta, corpus defun-

defuncti ita ornatum, ut diximus, ponetur ſuper lectum in aula, & accendentur intorticia. Cardinales Prælati, & alii, qui venerunt, ſedebunt circum circa. Religioſi per ſingula Collegia, ſive per ſingulos conventus, incipient vigilias, & primi dicent invitatorium cum primo nocturno, & poſt reſponſorium tertiæ lectionis, dignior ex eis indutus ſuperpellicio, ſtola, & pluviali, ſtans apud menſam ad pedes lecti dicit: *Pater noſter,* aſperget & incenſabit per circulum, & deinde ſequitur: *Et ne nos inducas,* cum verſ. & oratione conſuetis. Cum incipient cantare, diſtribuentur cantantibus aliquæ candelæ, cum primum finierint aliqui, ſequentur ſecundum, & deinde tertium nocturnum, & deinde laudes, & digniores, qui aderunt, incipient. Et ſi eſſent plura Collegia, ſive plures conventus, poterunt duo ſimul cantare unum nocturnum. Paretur interim feretrum ad portandum corpus, & quinquaginta aut ſexaginta intorticia, quæ ante corpus per ſtabularios deferantur. Finitis vigiliis, ponitur corpus ſuper feretrum, & religioſi ſuo ordine procedunt, deinde luminaria, poſtea corpus, quod per religioſos defertur, poſtremo ſequuntur Prælati, & curiales, & cum pervenerint ad Eccleſiam, ubi ſepelitur, finito officio omnes deſcendunt quisque ad ſuam. Hæc funeris deductio ſæpe intermittitur propter varias cauſas: & tunc, factis vigiliis in domo defuncti, diſcedunt omnes, & in nocte portatur corpus ad Eccleſiam per familiam cum aliquibus religioſis. Poſthæc executores ſtatuunt diem, in quo exequiæ inchoentur, & interim diſtribuunt pannum nigrum familiæ, Prælatis quinque cannas, Capellanis quatuor, ſcutiferis tres, ſtabulariis duas cum dimidia, ordinant, ut fiat pallium aureum pro lecto ſub campana, ſive caſtro doloris, quod fiet ipſum caſtrum doloris cum lectica, ſcamnis pro intorticiis, & banchis, in quibus ſedeat familia. Item pingantur arma, ſuſpendanturque circa Eccleſiam, Altare, & caſtrum, fiet cera ad ſufficientiam, conſueverunt

eſſe ad ſex, vel octo millia librarum ceræ, ſuſpendantur intorticia circumcirca in Eccleſia, unius lanceæ ſpacio inter ſe diſtantia, a lateribus lecti hincinde, ſuper ſcamnis ponantur duodecim, aut decem & octo intorticia in quolibet latere, præficiantur aliqui, qui teneant computum ceræ, & qui illam ſubminiſtrent diſtributoribus, alii qui curent, ut miſſæ vere & ſuo ordine legantur, & dent eleemoſynam celebrantibus. Ordinent, qui Cardinalis primam, & qui ultimam miſſam ſit celebraturus, qui Prælati intra novenam celebrent, & aliæ miſſæ legantur, quod cantores cum capella, cum paramentis, & libris opportunis ex palatio Apoſtolico adſint, quod ibidem ſint quinque pluvialia nigra cum ſuis ſtolis, quod committatur quatuor Cardinalibus, ut cum celebrante in fine miſſæ apud caſtrum doloris abſolvant, ut inferius dicemus, quod parentur quatuor ſcabella apud primas, & poſtremas columnas caſtri, & alia neceſſaria. Omnibus opportune diſpoſitis, veſperi ante ſtatutam diem per curſores faciunt intimari Cardinalibus, Prælatis, Oratoribus & Officialibus curiæ, *quod in tali loco cras incipientur exequiæ bonæ memoriæ Reverendiſſimi Domini Cardinalis N. & Reverendiſſimus Dominus A. celebrabit, & Dominus, vel Magiſter B. faciet orationem.* Mane deinde, hora competenti, Reverendiſſimi Domini Cardinales convenient ad Eccleſiam, ſedebunt prope Altare majus in ſedilibus pro eis præparatis, nudis tamen, & ſine aliquo panno. Prælati & alii Curiales ſedebunt in locis ſuis, familiares defuncti Cardinalis ſummo mane omnes nigris veſtimentis induti, ſimul bini & bini ex domo defuncti venient ad Eccleſiam, duo curſores eos præcedent, & ſedebunt in banchis circa caſtrum doloris pro eis locatis, ſupra lectum, qui erit ſub caſtro doloris, erit pannus aureus cum inſignibus defuncti, & duo cervicalia nigra, ad caput lecti & ad pedes duo pilei rubri ipſius defuncti. Hinc inde aſtabunt duo parafrenarii mortui Cardinalis, qui cum duobus flabellis, factis cum in-

ſignibus Cardinalis ex ſerico nigro, videantur abigere muſcas, etiamſi ſit tempus hyemale, qui ſedulo flabella placide movent. Omnibus paratis, incipitur miſſa pro defunctis. Et cum fuerit dicta prima collecta, Clerici cerimoniarum incipiunt diſtribuere ceram Dominis Cardinalibus, primum tamen Oratoribus & Prælatis, inde familiæ defuncti, deinde Officialibus curiæ, demum cæteris præſentibus, tam mulieribus, quam viris. Quæ profecto diſpenſatio ceræ, ſive potius diſſipatio, eſt valde importuna, & tumultuoſa, & meo judicio ſatis inconveniens. Nam ob ſtrepitum, & clamorem petentium & rapientium candelas, divinum officium, & funebris oratio admodum conturbatur. antequam incipiatur Evangelium, accenduntur dictæ candelæ, & per miniſtros tenentur accenſæ uſque ad finem miſſæ. Finita miſſa, poſt *Requieſcant in pace*, fit ſermo in laudem defuncti, & Cardinalis, qui celebravit, dimiſſa planeta, accipit pluviale, & ſedet cum mitra alba, dum fit ſermo. Illo finito, iterum accenduntur candelæ, & quatuor alii Cardinales, ſi mortuus erat Epiſcopus Cardinalis, Epiſcopi Cardinales, ſi tot numero fuerint præſentes, & ſi deficiat numerus, Presbyteri ſupplent; ſi vero mortuus erat Presbyter, ſive Diaconus, quatuor ſive Presbyteri Cardinales capiunt ſuperpellicium, amictum, ſtolam, pluviale nigrum, & mitram albam in capite, & ſimul, cum celebrante vadunt ad caſtrum doloris hoc ordine: primo procedunt duo ex capellanis celebrantis cum ſuperpelliciis, unus defert thuribulum, & navicellam, alius vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, deinde duo alii cum candelabris, & luminaribus. Inde Subdiaconus paratus cum Cruce, deinde duo Cardinales juniores parati, tum duo ſeniores parati, ultimo Cardinalis, qui celebravit, & poſt eum Diaconus paratus, & alii ſui Capellani cum ſuperpelliciis; unuſquiſque Cardinalis habet ſecum unum Capellanum cum ſuperpellicio, qui ſervit ei de mitra, & aliquos ſcutiferos,

qui

qui ei aſſiſtunt, quorum unus defert cereum accenſum. Cum pervenerint ad caſtrum doloris, Subdiaconus cum cruce, & ceroferariis ponit ſe ad pedes lecti, in medio, extra caſtrum tamen, poſt eum ſunt cantores; ad caput lecti ponitur in medio contra crucem faldiſtorium celebrantis, ſuper quod ille ſedet, & apud eum ſtat Diaconus Evangelii, qui defert incenſum, & aquam benedictam, & alii Capellani; ſenior Cardinalis ponit ſe juxta columnam ad humerum dextrum; Secundus in dignitate juxta columnam ad pedem ſiniſtrum. *Tertius* Cardinalis ad humerum ſiniſtrum; ultimus ad pedem dextrum, & ibi aliquantulum quieſcunt; caput lecti figitur proximior pars Altari, & pedes pars propinquior portæ Eccleſiæ, poſt modicum ſurgunt omnes depoſita mitra, & tenente librum uno ex Capellanis, celebrans cum Diacono incipit abſolutionem. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio; non eum ergo, quæſumus Domine, tua judicialis ſententia premat, quem tibi vera ſupplicatio fidei Chriſtianæ commendet; ſed gratia tua illi ſuccurrente, mereatur judicium evadere ultionis æternæ, qui dum viveret, inſignitus eſt ſignaculo Sanctæ Trinitatis per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.*

Finita oratione, Cardinales omnes ſedent cum mitra, & cantores cantant primum reſponſorium. *Subvenite &c.* Antequam finiatur reſponſorium, Diaconus cum deferentibus incenſum, & aquam benedictam, accedit ad ſeniorem Cardinalem, ad humerum dextrum ſedentem, & cum cantatur *Requiem æternam:* Clericus ceremoniarum accipit thuribulum & navicellam, & accedit ad ipſum ſeniorem Cardinalem, & offert thuribulum, Diacono vero navicellam, Cardinalis imponit incenſum thuribulo, dicens: *Ab illo benedicaris &c.* Deinde, cum cantores cantant *Kyrieeleyſon*, ſurgunt omnes ſine mitra, & ipſe primus Cardinalis dicit voce compe-

tenti *Paſter noſter*. Et mox capit aſperſorium de manu Diaconi, & circuit lectum, aſpergens illum aqua benedicta. Diaconus interim elevat a manu dextera fimbriam pluvialis, cum vero Cardinalis tranſit ante alios Cardinales ibi aſtantes, facit unicuique reverentiam inclinando caput, & idem etiam facit Cruci, Diaconus vero, qui ſimul pergit, genuflectit, facto circuitu reddit aſperſorium Diacono, & de ejus manu capit thuribulum, & ſimili modo incenſat circum circa inclinando ſe Cardinalibus, & Cruci. Ut autem complevit gyrum, reddit thuribulum Diacono & reverſus ad locum ſuum. Diaconus, quando dat aliquid Cardinali, vel recipit ab eo, oſculatur ejus manum, Cardinalis ſtans in loco ſuo voce competenti, tenente librum ante ipſum, Diacono dicit: *Et ne nos inducas &c.* Reſp. *Sed libera &c.* Verſ. *A porta inferni.* Reſp. *Erue, Domine, animam ejus.* Verſ. *Requieſcat in pace.* Reſp. *Amen.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Deus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius, te ſupplices deprecamur, ut ſuſcipi jubeas animam famuli tui N. per manus ſanctorum Angelorum deducendam in ſinum amici tui Abrahæ Patriarchæ, reſuſcitandam in noviſſimo judicii magni die, & quicquid vitiorum fallente Diabolo contraxit, tu pius & miſericors abluas indulgendo, per Chriſtum, Dominum noſtrum.* Reſp. *Amen.*

Finita oratione, Cardinales ſedent, & chorus cantat reſponſorium: *Qui Lazarum reſuſcitaſti a monumento fœtidum, tu ei, Domine, dona requiem, & locum indulgentiæ.* Verſ. *Qui venturus es, judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. Tu eis &c. Requiem æternam &c. Tu eis &c. Kyrieeleiſon.* Diaconus interim cum portantibus incenſum, & aquam benedictam, accedit ad ſecundum Cardinalem apud ſiniſtrum pedem. Et cum dicitur, *Requiem*, imponitur incenſum, ad

Kyrie-

Kyrieeleiſon ſurgunt omnes, & deinde ipſe ſecundus Cardinalis dicit *Pater noſter*, aſpergit, & incenſat ut primus, & reverſus ad locum ſuum dicit: *Et ne nos inducas &c.* Reſpond. *Sed libera nos &c. A porta inferni.* Reſpond. *Erue, Domine, animam ejus.* Verſ. *Requieſcat in pace.* Reſpond. *Amen.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſpond. *Et clamor &c.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Fac quæſumus, Domine, hanc cum famulo tuo, N. defuncto miſericordiam, ut factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, ut ſicut hic eum vera fides junxit fidelium turmis, ita eum illic aſſociet Angelicis choris, per Chriſtum, Dominum noſtrum.* Reſp. *Amen.* Finita oratione, ſedent Cardinales cum mitra, & chorus cantat reſponſorium: *Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abſcondam a vultu iræ tuæ? quia peccavi nimis in vita mea.* Verſ. *Commiſſa mea paveſco, & ante te erubeſco, dum veneris judicare, noli me condemnare. Quia peccavi &c. Requiem &c. Quia peccavi &c. Kyrieeleiſon* ter. Interim Diaconus cum ſociis accedit ad tertium Cardinalem, apud ſiniſtrum humerum ſedentem, & in tempore ponitur incenſum. Et ad *Kyrieeleiſon* omnes ſurgunt, ut ſupra. Et ipſe tertius Cardinalis dicit: *Pater noſter*, aſpergit & incenſat, ut alii; & reverſus ad locum ſuum dicit: *Et ne nos inducas.* Reſp. *Sed libera &c.* Verſ. *A porta inferni.* Reſp. *Erue Domine animam ejus.* Verſ. *Requieſcat in pace.* Reſp. *Amen.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſpond. *Et clamor meus ad te &c.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Inclina, Domine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, ut animam famuli tui N. quam de hoc ſeculo migrare juſſiſti, in pacis, ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.*

Oratione completa, ſedent Cardinales, chorus cantat. Reſp. *Ne recorderis, Domine, peccata mea, dum veneris judicare ſecu-*

ſeculum per ignem. Verſ. *Dirige, Dominus Deus meus, in conſpectu tuo viam meam, dum veneris &c. Requiem &c. Dum veneris &c. Kyrieeleiſon, Chriſte, Kyrieeleiſon.* Interim Diaconus cum ſociis accedit ad ultimum Cardinalem, apud dextrum pedem, & in tempore imponitur incenſum, ſurgunt ad Kyrieeleiſon. Et ipſe Cardinalis quartus dicit: *Et ne nos &c.* Reſp. *Sed libera &c.* Verſ. *A porta inferni.* Reſp. *Erue, Domine, animam ejus.* Verſ. *Requieſcat in pace.* Reſp. *Amen.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Abſolve, quæſumus Domine, animam famuli tui, N. ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos & electos tuos reſuſcitatus reſpiret per Chriſtum, Dominum noſtrum.* Reſp. *Amen.*

His finitis, ſedent, & chorus cantat; *Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli movendi ſunt, & terra, dum veneris judicare ſeculum per ignem.* Verſ. *Tremens factus ſum ego, & timeo, dum diſceſſio venerit, atque ventura ira. Quando cœli &c.* Verſ. *Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ dies magna, & amara valde. Dum veneris &c. Requiem æternam &c. Libera &c. Kyrieeleyſon, Chriſte, Kyrieeleyſon.* Interim Diaconus cum ſociis accedit ad Cardinalem, qui celebravit ſedentem ad caput, & in tempore imponitur incenſum *ad Kyrieeleyſon,* ſurgunt Cardinales ſine mitra, & qui celebravit, dicit *Pater noſter,* aſpergit, & incenſat, ut fecerunt alii quatuor, & reverſus ad locum ſuum ſtans dicit. *Et ne nos &c.* Reſp. *Sed libera &c.* Verſ. *A porta inferni.* Reſp. *Erue, Domine, animam ejus.* Verſ. *Requieſcat in pace.* Reſp. *Amen.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Abſolve, quæſumus Domine, animam famuli tui, N. ut defunctus ſeculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humana converſatione commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis tuæ abſterge. Per Chriſtum, Dominum noſtrum.* Reſp. *Amen.* Deinde dicit idem Cardinalis: *Requiem æternam dona ei, Domine.*

Reſp.

Reſp. *Et lux perpetua luceat ei.* Et in fine duo cantores dicunt: *Requieſcat in pace.* Reſp. *Amen.*

His completis, omnes ordine, quo venerant, revertantur ad loca, ubi acceperant paramenta, & exuunt ſacras veſtes: alii autem Cardinales & Prælati, dum hæc fiunt circa caſtrum doloris, remaneant ſedentes in locis ſuis, expectantes finem. Demum omnes diſcedunt ad ſuas habitationes.

In prima, & nona die, quæ eſt ultima, in qua fiunt eædem cerimoniæ, niſi quod in ultima non fit ſermo, conſueverunt legi in Eccleſia, ubi fiunt exequiæ, centum quinquaginta miſſæ, & datur pro eleemoſyna cuique celebranti unus groſſus Papalis, & duæ parvæ candelæ. Aliis ſeptem diebus intra novenam dicuntur centum miſſæ quolibet die, & hora competenti cantatur miſſa pro defunctis, per aliquem Epiſcopum, & familia defuncti adeſt ſedens in loco ſuo. Intorticia non accenduntur circa Eccleſiam, ſed ſuper ſcamnis a lateribus lecti, & novem ſupra caſtrum doloris, ſine aliis candelis. Cardinales non veniunt, diſtribuitur cera celebranti, & miniſtris, clericis ſive religioſis illius Eccleſiæ, familiæ defuncti, & aliis, qui adſunt. Apud ſepulchrum vero, ubi jacet corpus, quotidie ponuntur duo intorticia, quæ ardent, dum divina celebrantur. Finita miſſa, intra novenam Prælatus, qui celebrabit, deponit planetam, & accipit pluviale & mitram, & præcedente Subdiacono cum Cruce, ceroferariis, incenſo & aqua benedicta, vadit ad caſtrum doloris. Eum ſequuntur Diaconus & alii miniſtri Altaris. Religioſi autem, ſive Clerici Eccleſiæ, diſponunt ſe circa caſtrum: Subdiaconus cum Cruce & ceroferariis ad pedes, Prælatus vero, ſtans ad caput in medio ſine mitra, abſolute incipit: *Non intres in judicium,* ut ſupra. Et in fine chorus cantat primum Reſponſorium. Et poſt *Kyrieleiſon,* Prælatus ſine mitra dicit: *Pater noſter.* Aſpergit & incenſat per circuitum, ut ſupra diximus de Cardinalibus. Et deinde ſtans in loco ſuo dicit: *Et ne nos inducas &c.*

cas &c. cum aliis verſiculis & prima oratione, in fine cujus dicit: *Requiem æternam dona ei, Domine.* Reſp. *Et lux perpetua luceat ei.* Et chorus dicit: *Requieſcat in pace.* Et ſic revertitur ad ſe exuendum. In ſecunda die dicitur ſecundum Reſponſorium. Et ſecunda oratio, & ſic deinceps. Et cum finierint, reincipitur a primo.

In *nona* die fit omnino, ut in prima, niſi quod non fit ſermo. Cantatur miſſa per Cardinalem, & per Cardinales fit abſolutio apud caſtrum doloris. A die vero, quo eſt ſepultum corpus, uſquequo incipiantur exequiæ, conſueverunt in ea Eccleſia celebrari aliquot miſſæ pro defunctis, non tamen per Prælatos, & fiunt ad partem ibi aliquot eleemoſynæ propter hoc. Familia vero defuncti ſolet per quadraginta dies ſuſtentari in ejus domo, & tandem unicuique redditur aliquod præmium, vel ſecundum taxationem a Domino factam, vel ut executores cenſuerint, habita ratione ſervitii, temporis & qualitatis.

CAPUT II.

De ægrotatione, morte & exequiis Romani Pontificis.

ROmanus Pontifex, etſi mortales omnes dignitate & auctoritate præcellit, omniaque in terris ligare, & ſolvere queat, fati tamen extremam neceſſitatem ſolvere nequaquam poteſt. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſervus major Domino ſuo. Filio ſuo non pepercit Deus, quem mori voluit, ut hominem a perpetua morte liberaret, utque omnes agnoſcerent, neminem a corporali morte omnino eſſe immunem. Cogitet Summus Pontifex, (*etſi omnium ſit maximus*) ſe tamen eſſe mortalem, & elogium illud, quod inter ſolennia coronationis ſuæ decantari ſolet, ſedulo memoriæ repetat, *Pater ſancte, ſic tranſit gloria mundi, omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, tanquam flos agri.* Sit igitur ſemper Pontifex paratus,

paratus, ut bonus paſtor, ſolertiſſimus Vicarius, & diligentiſſimus villicus rationem reddere Domino ſuæ adminiſtrationis, & cupiens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, cum MARTINO *Turonenſi* clamet, & dicat: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua*, curetque eo majori ſtudio, quo cæteris omnibus præeſt, ut ultimum actum, quo ſolo coronari electi ſolent, cum laude perficiat. Quod ſi forte non agnoſceret, dum ægrotat, morbi periculum, medici, qui illius curam gerunt, cum de ejus ſalute dubitare cœperint, prudentibus verbis eum admoneant ſemotis arbitris, hortenturque ad ea peragenda, quæ ad animæ ſuæ ſalutem pertinent, polliceantur ſe omnes ſtudio acturos, quæ ſpectant ad corporis ſanitatem, aperiant eidem confeſſori Pontificis, qui verbis apertioribus, ſecrete tamen, & cum ſumma reverentia & charitate, moneat Pontificem, in quo ſit diſcrimine, hortetur, ut voluntati divinæ non invitus adhæreat, cogitet, quem locum teneat, oportereque, ut alios Principes verbo & exemplo ad viam ſalutis deducat. Pontifex ſua ſponte, quod melius erit, vel ſaltem his monitionibus excitatus, cum ultimum diem appropinquare cognoverit, primum peccata ſua confeſſori diligentiſſime confiteatur, petatque ab eo plenariam indulgentiam; deinde tempore congruo jubeat ad ſe vocari Prælatos domeſticos, & principales familiæ ſuæ, &, præſente ſacratiſſimo Chriſti corpore, primum confiteatur, & catholicam fidem, quam affirmet ſe ſemper inconcuſſe & firmiter tenuiſſe, & in ea velle vivere, & mori, cum Deo placuerit. Tum petat veniam ab omnibus, ſi quem forte injuſte offenderit, largiatur eis aliquas gratias ſpirituales, roget, ut orent Deum pro anima ſua, & petat a ſacriſta, vel ab aliis Prælatis, ut tunc ſacratiſſimum viaticum recipiat, ut, cum tempus eis videbitur, alia Eccleſiæ ſacramenta ſibi adminiſtrent. Convocet poſthæc, dum ſen-

ſus integri ſunt, ſacrum Cardinalium ſenatum, profiteatur iterum catholicam fidem, petat veniam, ſi in ſua adminiſtratione quempiam injuſte offenderit. Roget, ut orent pro anima ſua, commendet eis Eccleſiam Dei, & hortetur, ut in electione ſucceſſoris diligentes ſint, & unanimes, & talem eligant, qui Chriſtianos uberius, quam ipſe paverit, paſci noverit, & ſi ei videbitur, nominet unum, vel plures, quos ſuo judicio magis idoneos arbitretur. Aperiat etiam eis debita & credita, ſi qua ſunt, & ſimiliter ſcripturas, pecunias & gemmas, ac precioſa quæque manifeſtet, condat teſtamentum ſuum, ſi vult, & eligat ſepulturam. Demum commendet Senatui familiam, & attinentes ſuos, & gratias ſpirituales, quas voluerint, eis largiatur, eosque cum ſua benedictione dimittat. Hujuſmodi ultimum cum fratribus ſuis ſermonem (ut audivimus) NICOLAUS V. noſtro tempore habuit, & quod ipſi vidimus, PIUS II. Hic etiam in Vigilia Aſſumptionis beatæ Virginis cum pridie de Sacramento Altaris communicatus fuiſſet, & cum domeſticis, inter quos minimus eram, quæ ſuperius convenire diximus, peregiſſet; Sacrum Collegium ad ſe poſt Veſperas convocari juſſit, patresque longo, & dulci ſermone, quanquam morti proximus (nam ſecunda noctis hora expiravit) allocutus eſt. Vidimus Cardinales omnes abunde lachrymantes cubiculo languentis exire; Et ultra ſupradicta omni ſtudio hortatus eſt Senatum, ut expeditionem contra Turcas, ob quam rem ipſe *Anconam* ſe contulerat, proſequerentur. Poſthæc Cardinales, ut cognoverint Pontificem in extremis laborare, tres deligent ex Collegio, unum videlicet de quolibet ordine, qui ſimul cum Camerario inventarium faciant de omnibus bonis, quæ ſunt in Palatio Apoſtolico, & illa reponant in loco tuto ſub bona cuſtodia. Quæ vero ad Sacriſtam pertinent, revideant, dimittant apud Sacriſtam, quoniam eſt officium perpetuum. Deinde provideant

videant Cardinales, ſi in urbe moritur Pontifex, ne tumultus aliquis concitetur. Advocent, & intromittant prudenter, & in tempore Eccleſiaſticam militiam, & eam diſponant per civitatem in locis opportunis, provideant etiam provinciis Eccleſiæ mittendo Commiſſarios, viros graves, & prudentes. Pontifice vero animam agente, aliquis ex Prælatis domeſticis ei adſtet, & crucem inſpiciendam, oſculandamque illi crebro offerat, redigatque ei ad memoriam paſſionem Chriſti. Cubicularii adſtent cum diligentia miniſtrantes neceſſaria. Sacriſta in tempore extremam unctionem & commendationem animæ faciat, prout in *ordinario*. Pœnitentiarii vero circumſtent, legant Pſalmos pœnitentiales, paſſionem Chriſti, & alias devotas orationes, dum adhuc expiret. Poſtquam vero ſpiritum Creatori reddiderit, legant *officium mortuorum*. Cardinales vero debent mox adſtare, & ſinguli abſolvere defunctum Pontificem, dicentes unum reſponſorium cum ſuis verſiculis, & orationem pro defunctis, videlicet: *Deus, qui inter Apoſtolicos, &c. Et ut quisque abſolvit, diſcedit*; cubicularii autem parent aquam calidam cum herbis odoriferis, & fratres plumbatores lavent ejus corpus, tonſor radat barbam. Interim lavetur corpus cum optimo vino albo aromatizato, & calido, & loca ſpumántia impleantur aromatibus, mirrha, & aloes, nares & aures impleantur muſco, & demum bene fricentur manus, & totum corpus balſamo, quod cubicularii, & ſacriſta ſubminiſtrabunt. Poſt hæc pœnitentiarii induant eum communes veſtes uſque ad rochetum, deinde ſacras, ac ſi eſſet celebraturus, incipiendo a ſandaliis uſque ad mitram ſimplicem, tum & annulo cum favone, pallio, ſpinulis, & omnibus ornamentis, paramenta erunt rubri coloris, ponent inde corpus ita ornatum ſuper feretrum, ſive lecticam coopertam aureo panno cum Pontificis & Eccleſiæ armis, & ſubtus caput cervical ex panno aureo, & ad pedes duo alii

 ſimiles,

ſimiles, ſuper quibus erunt duo pilei Pontificales. Corpus lavabitur, & ornabitur in camera ſecreta, & ornamentum ponitur in lectica, ſive feretro in camera Papali. Et ibi uſque ad diem, ſi Pontifex in nocte morietur, pœnitentiarii vigilantes, & pſallentes cuſtodient corpus, & habebunt expenſas, & omnia neceſſaria a palatio. Deinde hora competenti, præcedente Subdiacono Apoſtolico cum cruce, & cum cappa ſua obſcuri coloris, videlicet violacea, Cantores capellæ cantabunt: *Subvenite:* & pœnitentiarii portabunt corpus ad capellam majorem. Portabuntur ante corpus viginti ſex, aut viginti octo intorticia, accenſa per ſcutiferos defuncti. Reliquum familiæ ſequetur; cantores & pœnitentiarii cantabunt Veſperas, & vigilias pro defunctis, quouſque veniant alii religioſi. Et nota, quod Camerarius, ſi non eſt Cardinalis, debet omnibus, dum fiunt perſonaliter, intereſſe. Si vero eſt Cardinalis, non ipſe, ſed Vice-Camerarius intererit. Collegia Clericorum, & Conventus Religioſorum, ut venerint, cantant vigilias, aſpergunt & incenſant corpus, & abſolvunt, ut in exequiis Cardinalium diximus. Poſtquam omnes abſolverint, deducunt funus ad Eccleſiam Sancti Petri, & ibi ponitur corpus in medio Eccleſiæ, præferuntur multa intorticia, & familia ſequitur, finito officio, remanet ibi corpus per biduum, aut triduum, ut populus poſſit illum viſitare, & oſculari manum. In nocte reponitur in capella majori, & tandem noctu ſepelitur, interdum vigiliæ per Collegia & Conventus non cantantur, ſed per Canonicos beati Petri defertur corpus ad Eccleſiam cum capitulo, & familia. Interim parantur exequiæ, erigitur caſtrum doloris cum lecto, & alia fiunt, quæ in exequiis Cardinalium ſupra notavimus. Sed largius, & abundantius, familiares Papæ, officiales curiæ, & urbis officiales, ſi Romæ ſit, veſtiuntur panno nigro, ut in *libris Cameræ*

Apoſto-

Apoſtolicæ plenius apparet, ad quos vos remittimus, fiunt largæ eleemoſynæ pro anima Pontificis, religioſis viris, & mulieribus per Camerarium & theſaurarium, & maxime ſi Camera eſt dives. In prima die exequiarum leguntur ducentæ miſſæ cum eleemoſyna. Miſſam ſolennem cantabit Prior Epiſcoporum Cardinalium, fit ſermo de laudibus Pontificis, & in fine fiunt abſolutiones a ſenioribus, ut in exequiis Cardinalium ſcriptum eſt. Accenduntur eodem die intorticia multa circum circa in Eccleſia, & candelæ ſupra caſtrum doloris, & idem fit in die nono, miſſam tunc cantat Subprior Epiſcoporum Cardinalium. Intra novenam quotidie aliquis Cardinalium celebrat incipiendo a ſenioribus poſt Subpriorem Epiſcoporum, & leguntur centum miſſæ. Intorticia circa Eccleſiam & ſupra caſtrum doloris non accenduntur. Reliqua fiunt, ut in primo, & nono die. Diſtributio ceræ fit quotidie Cardinalibus, Prælatis, familiæ, curialibus, & aliis, qui aderunt, & quotidie fiunt abſolutiones a Cardinalibus in fine Miſſæ circa caſtrum doloris. Quotidie poſt Miſſam conveniunt Cardinales in loco congruo, conſulentes de rebus Eccleſiæ, & ordinantes Conclave. Nona die poſt miſſam de defunctis cantatur Miſſa de Spiritu Sancto, & fit ſermo exhortatorius ad electionem Pontificis.

CAPUT III.

De ſignificatione mortis ejus per Collegium, & de ſtilo ſcribendi.

MOrtuo Pontifice, Collegium id literis ſuis Principibus, & maximis Prælatis ſignificat, utitur, in ſcribendo, ſtilo Apoſtolico, filios, & fratres illos appellans, quos Pontifex ita vocat, & ſingulares ſingulariter ſalutat, & alloquitur.

CAPUT IV.

De bullis plumbatorum per Vice-Cancellarium frangendis.

VIce-Cancellarius, ut primum Pontifex expiravit, bullas, quibus literæ Apoſtolicæ ſignari conſueverunt, a plumbatoribus accipit, & partem illam, in qua literæ cum nomine Pontificis inſcriptæ ſunt, publice & coram pluribus per ipſos plumbatores frangit, & ad ſignandum omnino ineptas reddit. Aliam vero partem, in qua Apoſtolorum capita ſunt ſculpta, lineo panniculo involutam alligatam, & ſigillo ſuo ſignatam, Camerario tradit, & diligentiſſime curat, ne aliquæ literæ ſignari poſſint poſt Pontificis obitum.

Officium Miſſæ, Apoſtolica ſede vacante, Introitus.

SUſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam fuerit, & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus. Verſ. *Ut ſedeat cum Principibus, & gloriæ ſolium teneat. Domini enim ſunt Cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem. Gloria Patri. Sicut erat &c.*

Oratio.

SUpplici, Domine, humilitate depoſcimus, ut Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ concedat Pontificem illum tua immenſa pietas, qui & pio in nos ſtudio ſemper tibi placitus, & tuo populo pro ſalubri regimine ſit aſſidue ad gloriam tui nominis venerandus, per Dominum noſtrum &c.

Lectio

Lectio Epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli ad Hebræos.

FRatres, adeamus ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur, & cum fiducia gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad DEUM, *ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit his, qui ignorant, & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate. Et propterea debet, & quemadmodum pro populo, ita & pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Nec quisquam ſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sicutque Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Ego hodie genui te; quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es ſacerdos, ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationesque ad eum, qui poſſit eum ſalvum facere a morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſui reverentia.* G. R. Pontifex ſacerdos magnus inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtitusque eſt ſanctis veſtibus, debuit per omnia fratribus ſimilari. Verſ. *Ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropiciaret debita populi, Alleluja.* Verſ. *Sacerdos ſit ſanctus, ſicut ego ſum Dominus, qui ſanctifico vos,* Alleluja.

Tractus in Septuageſima.

ERunt filii Jacob ſicut a principio, & cœtus ejus coram me permanebit. Verſ. *Et erit Dux ejus ex eo, & Princeps de medio ejus producetur.* Verſ. *Et applicabo eum, & accedit ad me.* Verſ. *Quis enim iſte eſt, qui applicet cor ſuum, & appropinquet mihi? ait Dominus.* Verſ. *Et eritis mihi in populum, & ego vobis in Deum.*

Evan-

Evangelium ſecundum Joannem.

IN iſto tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Si diligitis me, mandata mea ſervate, & ego rogabo patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos, adhuc modicum: & mundus jam me non videt. Vos autem videbitis me, quia ego vivo, & vos vivitis.

Offertorium.

NOn participentur ſancta, donec exurgat Pontifex in oſtenſione, & veritate.

Secreta.

TUæ nobis, Domine, abundantia pietatis indulgeat, ut ſacra munera, quæ tibi reverenter offerimus, gratum majeſtati tuæ Pontificem Sanctæ Matris Eccleſiæ regimini præeſſe gaudeamus Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Communio.

VEſte Sancta utetur Pontifex, qui fuerit conſtitutus, & qui ingredietur tabernaculum teſtimonii, ut miniſtret in Sanctuario.

Oratio poſt communionem.

PRecioſi corporis & ſanguinis tui nos, Domine, ſacramento refectos mirifica gratia tuæ majeſtatis de illius Summi Pontificis aſſumptione lætificet, qui & plebem tuam virtutibus inſtruat, & fidelium mentes ſpiritualium aromatum odore perfundat. Per Chriſtum, Dominum noſtrum Amen.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER

LIBER II.

PRÆFATIO
IN SECUNDUM CERIMONIARUM ROMANÆ ECCLESIÆ LIBRUM.

Maxima mihi operis abſoluta videri poterat, cum Romani Pontificis auguſtiſſimam nominationem; cum ritus ac cerimonias tanta religione obſervari ſolitas, priore libro peregi. Quin etiam Imperatoris ac Principum excipiendi ratio addita. Divorum noſtrorum Apotheoſes, celebres illæ Eulogiæ; Sacroſanctorum Cardinalium allectio; Conciliorum uſus; deducendi Pontificis ſolennis, ac frequens pompa; Juſta demum Cardinalibus, ac Pontifici perſolvenda coronidem non ſolum uni libro, ſed toti plane operi imponebant. Quid enim amplius quiſquam, aut majus optare poterat? Sed conſulendum etiam curioſis fuit, & quando multa adhuc nobis longo uſu probata ſupererant ſcitu haud indigna, non negleximus hanc etiam partem, quæ religionem ipſam præcipue tangeret, neque ſolum attingeret, ſed myſticas illas ſpecies in ſacris obſervatas omnino referret. Agetur a nobis igitur hoc altero *qui ſequitur* libro, *quo ritu, qua pietate in ſacris Pontifex Maximus utatur. Qui dies illi peculiares, quibus etiam divinis operetur, ut his etiam, qui ea cotidie ſpectant, ac tractant, non ingrata futura*

ſint, dum legent, erit & illud ex ipſa lectione emolumenti, ut ſi quis forte ſpectaverit, & quædam interim oblivioni mandaverit, habeat hac in parte, unde ſubſidium petere poſſit, & omnia velut illuſtri monimento poſita ſtatim recognoſcat: nam his, qui nunquam interfuere, tanto gratiora, ac jucundiora fore arbitramur, quanto res ipſa major, ac tota religionis, pietatiſque noſtræ ſit. Legant igitur libenter iſta omnes, & cum a ſuperioris libri lectione fatigatus animus fuerit, ſecedat veluti in pratum hoc ſecundi libri, quem nos, ut reliqua, ad uſum, voluptatemque omnium primi concinnavimus. Neque enim invidimus, quod plerique omnes faciunt, utilitatem hanc publicam mortalibus, aut ſoli ſapere hac in re voluimus, utinam occaſio nobis eſſet data, iſta maturius edendi, ſed quando hoc potiſſimum tempore emiſimus, habeant ſaltem illam mihi gratiam, qui primi iſtæc legent, ut ornatum majorem a nobis non requirant, res ipſas nude, ac ſimplici oratione prodentibus, alioqui cum multa nova, noſtrorumque temporum plane eſſent, verbis obſoletioribus atque uſitatis, ut ab omnibus intelligi plenius poſſent, utendum fuit, bene vale.

SACRA-

SACRARUM CERIMONIARUM ROMANÆ ECCLESIÆ
LIBER SECUNDUS.

SECTIO I.

CAPUT I.

De prima Dominica adventus Domini.

PRima Dominica de adventu conſuevit celebrare Camerarius Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, ſi non eſt Cardinalis; ſi vero eſt Cardinalis, celebrat Vice-Camerarius, ſi eſt Epiſcopus. Quod ſi non eſt Epiſcopus, aliquis ex primis aſſiſtentibus Papæ celebrat, qui hora competenti præveniens ad capellam accipit Pontificalia paramenta coloris violacei, & mitram ſimplicem Diacono & Subdiacono, planetas plicatas ante pectus habentibus, ſermonem facit Procurator ordinis prædicatorum.

CAPUT II.

Ordo ſervandus, quando cantatur Miſſa ordinaria coram Papa.

HAc die Summus Pontifex in camera paramenti, quæ Papagalli dicitur, induitur amictu, alba, cingulo, ſtola, pluviali rubro ſimplici, & mitra non auriphrygiata per ſeniores

Diaconos Cardinales duos ſibi aſſiſtentes, & duos Subdiaconos, qui debent ſtare quaſi retro Pontificem, acoluthis miniſtrantibus paramenta, & oram, ſive extremitatem, albæ ad terram aptantibus. Diaconi Cardinales, poſtquam mitram impoſuerunt Pontifici, faciunt ei reverentiam, oſculantes ejus manum dexteram ſub auriphrygio pluvialis illis protenſam, & mox fimbriæ pluvialis anteriores dantur per Clericum cerimoniarum deferendæ alicui Protonotario, qui procedit ad ſiniſtram Pontificis aliquantulum ante, cauda vero pluvialis datur ferenda alicui magno nobili, vel oratori laico. Tum Pontifex hoc ordine ad capellam, ſive ad Eccleſiam procedit. Primo familiares Cardinalium, & deinde ſcutiferi Papæ præcedunt, tum procuratores Principum & ordinum religioſorum, inde Advocati & Secretarii mixtim, deinde cubicularii, acoluthi, Clerici cameræ, auditores cum magiſtro ſacri palatii; poſt hos ſequuntur nobiles majores, barones, conſervatores urbis, oratores non Prælati. Senator urbis, & ſi qui alii principes ſunt, qui non ſedeant inter Cardinales. Tum Subdiaconi Apoſtolici, quorum unus portat Crucem Papalem, & duo magiſtri hoſtiarii junctim cum eis procedunt. Inde ſi quis adeſt Princeps, qui ſtet in ſede Cardinalium: Deinde Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, Cardinales: demum duo antiquiores Cardinales Diaconi aſſiſtentes, ſive medium habentes Pontificem, poſt quem ſequuntur duo cubicularii ſecreti cum auditore, qui ſervit de mitra inter eos: Deinde Secretarius, ſi non eſt Prælatus, cum Medico, demum Epiſcopi aſſiſtentes Papæ, Oratores, Prælati, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, Generales ordinum, & reliqui togati. Et hic ordo ſemper ſervatur, quando Papa exit ad capellam non proceſſionaliter, ſive ad veſperas, ſive ad miſſam, cum pluviali & mitra. Papa igitur cum Cruce, & Cardinalibus venit ad capellam, & ante Altare procumbit ſuper faldiſtorium, ubi, detracta mitra per Diaconum, ſibi a

ſiniſtris

ſiniſtris aſſiſtentem, orat. Prælatus autem celebraturus, ut primum videt Pontificem venientem, depoſita mitra ſurgit, & Pontifici procumbenti apud faldiſtorium, facit profundam reverentiam caput inclinando, deinde dum Pontifex orat, vadit detecto capite retro ad ſiniſtram Pontificis, ſequentibus Diacono & Subdiacono. Quo ſurgente ab oratione, removetur faldiſtorium & ſcabellum per Clericos capellæ, vel ſi abſunt, per cerimoniarios. Prælatus autem accedens facit cum eo confeſſionem, Pontifice inchoante. Dicto per Pontificem Indulgentiam &c. Prælatus retrahit ſe, & a Subdiacono manipulus illi imponitur, cum quo, & Diacono, dicit: *Deus tu converſus &c.* uſque ad finem, & ibi remanet, quouſque Pontifex diſcedat, tunc aſcendit ad Altare, dicens: *Aufer &c.* & apud Altare dicit: *Oramus te, Domine &c.* Et cum dicit Quorum reliquiæ hic ſunt, oſculatur, Altare in medio, deinde librum miſſalem in cornu Evangelii, per Subdiaconum ſibi porrectum, & ibidem in medio Altaris expectat, quouſque thuribulum per Diaconum ſibi miniſtretur. Pontifex vero, cum duobus Cardinalibus ſibi aſſiſtentibus, confeſſionem perficit, deinde, accepta mitra, aſcendit ad ſolium, ſedet, & fit ei reverentia per omnes Cardinales, primo per Epiſcopos, deinde Presbyteros & Diaconos. Cum autem Prior Presbyterorum Cardinalium venit ad reverentiam, accedit ad Pontificem Clericus cerimoniarum cum thuribulo & navicella, qui, facta per Presbyterum Cardinalem reverentia, porrigit illi naviculam, & ille, Pontifici dicens: *Benedicite Pater Sancte*, manum Pontificis deoſculatur, & Papa imponit incenſum more ſolito, dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Cerimoniarius, recepta navicula, reportat thuribulum ad Altare, quod Diaconus miniſtrat celebranti, qui incenſat Altare more conſueto, deinde incenſatur ipſe a Diacono in cornu Epiſtolæ. Tum Papa cum mitra ſedens, poſtquam Domini Cardinales

Sancti Evangelii &c. ſignat cum pollice dextro librum, deinde frontem, os, & pectus, cum reſpondetur: *Gloria tibi, Domine*, incenſat ter librum, videlicet in medio, a dextris & ſiniſtris. Evangelio finito, fit reverentia Altari & Papæ. Diaconus & ceroferarii revertuntur ad celebrantem, Subdiaconus portat librum apertum oſculandum Papæ, & deinde revertitur ad celebrantem. Cerimoniarius facit ſignum Presbytero Cardinali aſſiſtenti, & accipiens thuribulum de manu thuriferarii, offert illud ipſi aſſiſtenti, qui ſtans ante gradus incenſat Pontificem ſine mitra ſtantem, & revertitur ad locum ſuum inter alios Cardinales, Papa vero ſedet, & capit mitram, deinde ducitur per Cerimoniarium ad pedes Pontificis, qui ſermonem eſt habiturus, qui genuflexus, & illos deoſculatos petit benedictionem, dicendo: *Jube Domine benedicere*; tunc Papa benedicet dicens: *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, digne, & fructuoſe annuncies verba ſua ſancta, in nomine Patris &c.* Et benedictione accepta, ille dicit indulgentias. *Pater Sancte Papa concedit quinque annos & totidem quadragenas.* Et ille recedens, factis reverentiis, vadit ad pulpitum, ubi facit ſuum ſermonem, quo finito, expectat in pulpito, & Diaconus per cerimoniarium ante gradus ſedis Papæ ducitur, & ſtans alta voce dicit: *Confiteor &c.* Ante cujus inchoationem ſurgunt omnes, ſed Papa, & celebrans ſunt cum mitra. Cum vero Diaconus dicit: *Et tibi pater ſimiliter. Et te pater debet genuflectere.* Et cum dicit: *Mea culpa*, ſingulis vicibus manu dextra pectus percutiat. Finito *confiteor*, Orator pronunciat indulgentias, per Pontificem conceſſas, & deſcendit quo vult. Interim Subdiaconus Apoſtolicus portat Crucem ante Papam, & Papa ſurgens ſine mitra ex libro cantat, precibus & meritis &c. *Miſereatur. Indulgentiam &c.* & dat benedictionem, ut in libro. Et cum deponitur mitra Pontifici, deponitur mitra celebranti. Et unus Protonotarius accedit ad Papam, cum dicit: *Et benedictio*

dictio Dei &c. Qui, diſcedentibus aſſiſtentibus, capit fimbriam pluvialis, & tenet ante corpus Papæ. Et nota, quod, quotienscunque Papa cantat, vel legit aliquid ex libro, ſi tunc non celebrat primus Epiſcopus, aſſiſtens tenet ante eum librum ſupra caput, & ſecundus Epiſcopus tenet candelam accenſam, Diaconi vero, ſi aſſiſtunt, hinc inde tenent manus. Si vero Papa celebrat miſſam, ſive veſperas ſolennes, aſſiſtens Cardinalis, ſive Epiſcopus ſit, ſive Presbyter, tenet librum ſupra caput, & primus Epiſcopus, non Cardinalis, adjuvat eum, alii ut ſupra. Facta benedictione, vel ſi ſermo non fit, oſculato libro, & incenſato Pontifice, ut ſupra diximus, celebrans incipit *Credo*, & Cardinales venientes ad circulum, circumſtant Pontificem, & cum eo *Credo* perficiunt, cum dicitur: *Et incarnatus eſt.* Cerimoniarius capit ex credentia burſam cum corporalibus, & eam dat Diacono, qui ambabus manibus eam accipiens, uſque ad oculos elevat, portat ad Altare cum reverentiis ſolitis, ubi extractis hinc inde corporalibus, explicat ſuper Altare, burſam vero ad locum minus impeditum ponit: Deinde revertitur ad locum ſuum. Finito *Credo*, ſurgit celebrans ſine mitra, & verſus ad populum dicit: *Dominus vobiſcum;* deinde verſus Altare: *Oremus*, & legit Offertorium, tum ſedet, imponitur ei mitra, extrahunturque chyrothecæ a miniſtris, & unus ex ſcutiferis portat aquam, qui primo facit reverentiam Papæ, deinde Altari, tum celebranti, cui dat aquam manibus, miniſtri tenent mappam. Interim aſſiſtens celebrantis ducitur per cerimoniarium cum miſſali, & cuſſino ante pectus, ad Altare cum reverentiis ſolitis, ubi ponit librum in loco Evangelii ſuper cuſſinum, & invenit, quæ ſunt dicenda, deinde ad partem in cornu dextro expectat celebrantem. Interim etiam paratus Subdiaconus ante credentiam cum velo circa collum, & inde accipit calicem cum patena, hoſtia, & palla, & cooperitur cum velo, & accedit ad cornu ſiniſtrum Altaris, videlicet Epi-

 ſtolæ.

ſtolæ. Et poſt eum unus ex Capellanis, celebrantis ampullas vini & aquæ manibus portans, celebrans autem, lotis, & exterſis manibus, aſcendit ad Altare, deducente Diacono, & cum vertit ſe, vel tranſit ante Papam, extrahitur ei mitra, & facit reverentiam Pontifici. Deinde vadit ad medium Altaris, & Diaconus, ſtans a dextris ejus, accipit Calicem de manu Subdiaconi, & ponit ipſum ſuper Altare, deinde accipit patenam cum Hoſtia, & illam dat celebranti, qui eam offert cum orationibus conſuetis, aſſiſtente Capellano ſuo, in libro omnia demonſtrante. Interim Diaconus erigit calicem, & accipit ampullam vini de manu Subdiaconi, & ponit vinum in calice. Nam Subdiaconus, poſtquam depoſuit calicem, vertit ſe ad illum, qui portavit poſt eum ampullas, & ex ejus manibus primo accipit ampullam vini, & eam, ut dixi, dat Diacono, deinde accipit ampullam aquæ, & verſus ad Pontificem porrigit aquam benedicendam, quæ poſtquam fuerit per Pontificem benedicta, ipſe Subdiaconus infundit in calicem, deinde reddit illi, a quo eam acceperat. Et Diaconus dat calicem celebranti, offerunt ſimul cum orationibus &c. Subdiacono vero imponitur in dextra manu patena, quam cooperit, & vadit ante medium Altaris in loco convenienti. Interim vero Cerimoniarius cum thuribulo & navicula vadit ad Pontificem, & aſſiſtente Presbytero Cardinali miniſtrante, imponitur incenſum, ut ſupra. Deinde revertitur ad Altare, & dat thuribulum Diacono, & ille celebranti, qui ſuo tempore incenſat oblata primum, deinde Altare, poſtea accepta mitra, in cornu epiſtolæ incenſatur ipſe a Diacono, tum lavat manus, & depoſita mitra, reverſus ad medium Altaris proſequitur Miſſam, prout in ordinario. Diaconus vero, celebrante incenſato, cum thuribulo accedit ante Pontificem, quem incenſet Cardinalis aſſiſtens, tum per Diaconum incenſatur ipſe Cardinalis, deinde alii duo Cardinales aſſiſtentes, poſtea alii more conſueto. Interim celebrans procedit in

Miſſa

Miſſa ſuo ordine. Cum perventum eſt ad præfationem, & incipit: *Per omnia ſecula ſeculorum & cætera,* ponit manus ſuper Altare, & Papa ſurgit cum mitra, & alii omnes ſurgunt, & Presbyter Cardinalis aſſiſtens Papæ recedit a ſcabello, & vadit ad locum ſuum, & amovetur ſcabellum, quia amplius illuc ad ſedendum non revertitur. Celebrans cum dicit: *Surſum corda,* elevat manus aliquantulum de Altari, tum dicit: *Gratias agamus ſuper verbo Domino,* elevat altius manus, & jungit ante oculos, deinde extenſas eas tenet uſque in finem. Cum eſt circa medium præfationis, Cardinales incipiunt venire ad circulum ante Pontificem, & finita præfatione, dicunt: *Sanctus,* cum Papa ſtante ſine mitra, deinde diſcedunt ſuo ordine ad loca ſua, & Papa reaſſumit mitram. Dum dicitur *Sanctus,* Clerici capellæ incendunt quatuor intorticia, & per Cerimoniarium dantur quatuor Capellanis celebrantis, & ducuntur inferius ante Altare, ita ut medium inter ſe habeant Subdiaconum, patenam tenentem, ſitque inter eos & Altare competens diſtantia, ut ibi poſſit ſtare Papa cum ſuis aſſiſtentibus, & miniſtris. Papa autem, cum celebrans dicit: *Hanc igitur oblationem,* cum mitra deſcendit ad faldiſtorium ante Altare, ubi deponitur illi mitra. Cerimoniarius vero incenſat ſacramentum, dum elevatur, genuflexus ad celebrantis dextram: & facta elevatione, reponitur Papæ mitra, qui ad ſedem ſuam revertitur, ubi iterum ſibi mitra deponitur, & ſine ea ſtat uſque poſt factam communionem corporis & ſanguinis Domini, tunc ei reponitur. Cum autem dicitur: *Pater noſter,* circa finem Subdiaconus revertitur ad Altare, & dat patenam Diacono, qui eam dat celebranti; eodem tempore veniunt Cardinales ad circulum ad dicendum *Agnus Dei,* cum Papa, quo dicto deſcendunt, & Presbyter Cardinalis aſſiſtens de circulo accedit ad Altare, & pacem a celebrante accipit. Aſſiſtens vero celebrantis, dicto *Agnus* cum celebrante, dimittit librum in manu Diaconi

miniſtrantis, & factis reverentiis Altari, & Papæ, venit ad cornu ſiniſtrum Altaris, & ibi expectat. Subdiaconus vero miniſtrans vadit ad dextrum latus celebrantis, Presbyter vero Cardinalis aſſiſtens vadit ad Pontificem, & ei dat oſculum pacis, dicens: *Pax tecum;* deinde revertitur ad locum ſuum, & Diaconi Cardinales aſſiſtentes primo a dextris, deinde alter a ſiniſtris Papæ, cum debitis reverentiis accipiunt pacem a Papa, qui dicit: *Pax tecum,* & illi reſpondent: *Et cum ſpiritu tuo.* Interim aſſiſtens celebrantis, ductus ad priorem Presbyterorum aſſiſtentium, ab eo accipit pacem, quam primo dat aliis Cardinalibus. Et deinde datur pax omnibus in capella more conſueto. Celebrans autem, ut ſumpſit ſacramentum, purificatur, Subdiacono ampullas vini & aquæ miniſtrante. Diaconus librum exportat ad cornu Epiſtolæ, Subdiaconus vero accipit calicem, mundat, & aptat cum patena & purificatorio, plicat corporalia, ponit in burſa, imponit ſupra calicem, & omnia ſimul portat ad credentiam, poſtmodum revertitur ad celebrantem. Celebrans, facta purificatione, accipit mitram, lavat manus, & extergit, deponitur mitra, & ea amplius, ſi Papa præſens eſt, non utitur. Legit communionem, tum in medio Altaris vertit ſe ad populum, & dicit: *Dominus vobiſcum.* Deinde ad Altare in cornu Epiſtolæ: *Oremus,* & orationes. Quibus finitis, in medio Altaris vertit ſe ad populum, & replicat: *Dominus vobiſcum.* Et ad Altare rurſum revertitur. Quo dicto, Diaconus verſus ad Altare dicit: *Benedicamus Domino.* Cantores reſpondent: *Deo gratias,* celebrans inclinato capite ante Crucem: *Placeat tibi &c.* Quo finito, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, & faciem vertit ad Pontificem. Interim Subdiaconus Apoſtolicus portat Crucem ante Papam, qui ſtans dat benedictionem, dicens: *Sit nomen Domini &c.* more conſueto, uno ex protonotariis auriphrygium ad ſiniſtram tenente; data benedictione per Pontificem, celebrans vertit ſe ad Altare, dicens: *Dominus vobiſcum.* Initium

tium Sancti Evangelii ſecundum Joannem. *In principio erat verbum &c.* Revertitur ad faldiſtorium, deponit omnia paramenta, dicit: *Orationes trium puerorum &c.* & redit in pace.

CAPUT III.

De prima dominica Adventus, Papa abſente.

CUm autem in abſentia Pontificis Cardinales hujus diei officio intererunt, celebraturus Prælatus, de quo ſupra diximus, accipit omnia paramenta, & ſic paratus Cardinales expectat, poſt quorum adventum cerimoniarius accedit ad ipſos Cardinales, petens ab eis licentiam pro officio inchoando nomine celebrantis. Qua habita, celebraturus cum mitra accedit ante ſuperioris gradus Altaris, facta prius Cardinalibus reverentia caput profunde inclinando, & tunc Cardinales ei aſſurgere debent, ille vero, depoſita mitra, facit Altari ſimiliter reverentiam, & cum Diacono ac Subdiacono genuflexus dicit confeſſionem more conſueto. Cantores interim dicunt *Introitum & Kyrieeleiſon.* Finita confeſſione, celebrans aſcendit ad medium Altaris, oſculatur illud, deinde librum Evangeliorum. Tum, miniſtrante Diacono naviculam, & cerimoniario thuribulum, imponit incenſum, incenſat Altare, deinde incenſatur ipſe cum mitra, tum revertitur ad faldiſtorium, ubi depoſita mitra dicit *Introitum & Kyrieeleiſon;* quo finito, depoſita mitra ſurgit, & converſus ad populum dicit: *Dominus vobiſcum.* Deinde ad Altare: *Oremus,* & orationes, & alia, ut ſupra per totum, uſque ad finem Epiſtolæ. Qua finita, Subdiaconus, librum clauſum ante pectus tenens, vadit ad celebrantem, coram quo genuflexus ponit librum in ejus gremio, & manum illius oſculatur, quem librum cerimoniarius ab eo recipiens ponit ad locum ſuum, deinde ſurgit Subdiaconus, & tenet miſſale celebranti, ut ſupra. Cum dicitur *Alleluja,* & Diaconus librum Evangeliorum ſuper Altare poſuerit, Cerimonia-

moniarius cum thuribulo, & navicula, vadit ad celebrantem in faldiſtorio ſedentem, ubi miniſtrante Diacono celebrans imponit incenſum, ac ſignatur ut ſupra. Cerimoniarius tunc dat uni ex miniſtris thuribulum, quod dextra, & naviculam, quam ſiniſtra manu præferat, & duo candelabra cum luminaribus aliis duobus: Diaconus vero interim ad Altare accedens, genuflexus dicit: *Munda cor meum.* Tum capiens ex Altari librum Evangeliorum, & ante pectus illum tenens, ad celebrantem in faldiſtorio ſedentem revertitur, & genuflexus coram eo dicit: *Jube, Domine, benedicere, &, benedictione recepta, procedit ad lectionem Evangelii ordine ſupradicto.* Finito Evangelio, factis reverentiis revertuntur omnes ad celebrantem, & Subdiaconus portat ad oſculandum librum Evangeliorum apertum celebranti, qui mox per Diaconum incenſatur, quo facto, oraturus adducitur ad celebrantem. Et ſi Epiſcopus vel Abbas ſit, capite tantum inclinatus, ſi vero inferior, genuflexus coram celebrante dicit: *Jube, Domine, benedicere.* Et benedictione accepta, petit indulgentias populo publicandas, & celebrans committit ei publicationem indulgentiarum a Papa conceſſarum, vadit deinde oraturus ad locum conſuetum, & faciet ſermonem, ut ſupra. Finito ſermone, ſtatim pronunciat indulgentias nomine conſueto. Tunc celebrans, depoſita mitra, verſa facie ad Altare, dicit: *Credo*, & alia, ut ſupra dictum eſt. Finito Offertorio, ſedet celebrans, deponuntur ei annuli & chirothecæ, lavat manus, ſurgit deinde, & cum mitra aſcendit gradus Altaris, unde, facta reverentia Cardinalibus, procedit ad medium Altaris, ubi deponitur ei mitra, & alia facit, ut ſupra. Cerimoniarius thuribulum & navicellam ſuo tempore affert, & miniſtrante Diacono, celebranti imponit, incenſum benedicens, & incenſans; ut ſupra; deinde incenſatur ipſe celebrans, & ſucceſſive Cardinales & alii ordine ſuo, continuatur miſſa, ut ſupra. Dicto *agnus Dei*, aſſiſtens celebranti cum

ſuo

ſuo libro in manibus Diaconi venit ad manum dextram celebrantis, & ibi ante Altare genuflectit, ſurgit, oſculatur Altare, & pacem a celebrante accipit, quam dat poſtmodum primo Epiſcopo, primo Presbytero, & primo Diacono, Cardinalibus, & ſucceſſive aliis, & cum viderit celebrantem purificationem ſumpſiſſe, dat pacem Cerimoniario, qui perficit curſum ſuum, & alia fiunt, ut ſupra; dicto *benedicamus &c.* celebrans complet *placeat &c.* Et imponitur ei mitra. Stans in medio Altaris, & verſa facie ad ipſum Altare, & manus ante pectus junctas habens, dicit: *Sit nomen Domini benedictum.* Et cum dicit: *Sit nomen Domini*, cum pollice, & indice ſimul junctis dextræ manus, facit ſibi ſignum Crucis in pectore, ſiniſtram vero tenet ſupra ſtomachum ſuum, cum dicit: *Benedictum*, jungit manus ante pectus. Deinde cum dicit: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, cum manu aperta ſignat ſe ſigno Crucis, incipiens a capite, deinde ſub umbilico, tum a ſiniſtro, deinde a dextro humero ſe tangens, manum ſiniſtram, ut ſupra, tenens. Poſtea dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus*, & cum dicit: *Deus*, jungit manus, & cum dicit: *Pater*, vertit ſe ad manum dextram, ſignum Sanctæ Crucis faciens. Deinde verſus ad medium dicit: *Et Filius.* Et iterum ſignat. Tandem in fine ſic nihilominus ſignans, tertiò dicit: *Et Spiritus Sanctus.* Et circulum perficiens, ad Altare ſe vertens, dicit: *Dominus vobiſcum, Initium ſancti Evangelii, & cætera.* Et facta reverentia Cruci, deinde Cardinalibus, cum mitra ad faldiſtorium revertitur dicendo Evangelium Sancti Joannis, & alia, quæ ſunt dicenda; ibique exuitur &c. ut ſupra.

CAPUT IV.

De miſſa Papali in dominicis Adventus.

SI autem Summus Pontifex hac, vel aliis Dominicis, in Adventu voluerit ſolenniter celebrare, parabitur in camera para-

paramenti, ut ſupra diximus, & deſcendet ad Eccleſiam ſive capellam. Cardinales autem, & alii Prælati, erunt cum ſuis cappis laneis, & facta oratione more ſolito ante Altare, accedat ad ſedem, ubi conſuevit accipere paramenta, ſedet, & fit reverentia a Cardinalibus tantum cum ſuis cappis laneis. Interim Subdiaconus, Epiſtolam dicturus, paramenta ſibi convenientia præter manipulum, & Planetam, quæ capit poſtea, cum Papa intrat ad Altare, & acoluthi, atque alii officiales, qui utuntur ſuperpelliciis ſupra rochetum, dimittunt cappas, & capiunt ſuperpellicia, deinde Pontifex incipit: *Deus in adjutorium meum intende.* Pro tertia ſtans ſine mitra, & ſedet, cum incipitur Pſalmus, & accipit ſandalia, & legit Pſalmos, & orationes conſuetas, & in fine cantat orationem pro tertia, Presbytero Cardinali, qui ei aſſiſtere debet, librum ſupra caput cum ſua cappa lanea tenente; paulo ante duo Diaconi aſſiſtentes, & Diaconus cantaturus Evangelium vadit ad capiendum ornamenta, videlicet planetas ante pectus plicatas violacei coloris, & alia conſueta. Diaconus tamen, cantaturus Evangelium, accipit amictum, albam, cingulum, & ſtolam, & ita vadit ad parandum Pontificem, quo ſacris veſtibus induto, ipſe & Subdiaconus Epiſtolæ capiunt planetas & manipulos, & interim duo alii Diaconi, vel in defectu eorum, duo ultimi Presbyteri aſſiſtunt Pontifici cum ſuis cappis, finita tertia, tres Diaconi revertuntur ad Pontificem, qui lavat manus miniſtrante Presbytero Cardinali adhuc cum cappa lanea, deponit mitram, pluviale, & ſtolam, & accipit paramenta more conſueto, & tunc omnes Cardinales, Prælati, & Officiales capiunt paramenta ſibi competentia, & in omnibus, ac per omnia ſervantur conſuetæ cerimoniæ, ut plenius *dicemus infra in Nativitate Domini noſtri,* excepto, quod illi aſſiſtit pro Capellano Prior Presbyterorum Cardinalium: & non Prior Epiſcoporum, qui Prior Presbyterorum & nunc, & quotiens ſervit pro aſſiſtente, tam in veſperis, quam in miſſa, induitur pluviali,

pluviali, & non planeta, & ſedet in loco aſſiſtentis, & in veſperis cantat tertiam antiphonam, ut aſſiſtens, Subprior vero Presbyterorum miniſtrat vinum ad purificationem manus poſt communionem, & cantat quartam antiphonam in veſperis, alia omnia, ut in Nativitate.

CAPUT V.

De ſecunda Dominica Adventus.

SEcunda Dominica Adventus conſuevit celebrare unus ex Epiſcopis aſſiſtentibus Papæ eo ordine, prout ſupra Dominica dictum eſt, & ſimiliter dicuntur quatuor orationes, ut ſupra. Sermonem facit procurator Ordinis minorum.

CAPUT VI.

De tertia Dominica Adventus.

TErtia Dominica Adventus Domini, quia cantatur Introitus: *Gaudete in Domino ſemper,* celebrare conſuevit Presbyter Cardinalis cum paramentis violaceis, & mitra auriphrygiata. Diaconus, & Subdiaconus utuntur dalmatica, & tunicella, dicuntur quatuor orationes, prout in Dominica, & *Dominus vobiſcum,* non *Pax vobis,* ante primam orationem, omnia alia dicuntur, & fiunt, prout in prima Dominica dictum eſt. Sermonem facit procurator ordinis Eremitarum. In hac die conſueverunt antiqui Pontifices celebrare, erant Veſperæ Papales præcedentes, & potus in aula.

CAPUT VII.

De quarta Dominica Adventus.

QUarta Dominica adventus celebrare conſuevit unus ex Epiſcopis aſſiſtentibus Papæ cum paramentis violaceis, dicuntur quatuor orationes, miniſtri utuntur planetis plicatis

ante pectus, & omnia alia fiunt, prout ſupra in prima Dominica dictum eſt. Sermonem facit procurator ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmello.

CAPUT VIII.

De Vigilia Nativitatis Chriſti.

SI vero Vigilia Nativitatis Chriſti in Dominica venerit, celebrat unus ex aſſiſtentibus Papæ, ut ſupra, in paramentis violaceis, miniſtri utuntur tunicella & dalmatica. Cardinales non debent facere reverentiam Pontifici, quia in Veſperis illam ſunt facturi. Dicuntur quatuor orationes, prima de Vigilia ſub ſua concluſione. Secunda de Dominica. Tertia contra paganos. Quarta pro Pontifice, præfatio dicitur de Adventu, & non fit ſermo.

CAPUT IX.

De Veſperis Vigiliæ Nativitatis Chriſti, Pontifice in craſtinum celebraturo.

IN Vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſi Sanctiſſimus Dominus noſter in craſtinum eſt celebraturus, veſperæ fiunt ſolennes hoc ordine: Pontifex, indutus in camera paramenti, quæ *papagalli* dicitur, amictu, alba, cingulo, ſtola, pluviali albo, & mitra precioſa procedit ad Eccleſiam ordine conſueto, Subdiaconis, auditoribus, Clericis cameræ, & acoluthis in ſuperpelliciis amictibus, quod tamen fit pro eorum commodo, & evitando ſervitorum nimio ſtrepitu, ne habeant in capella ſe exuere cappis, & ſuperpelliciis induere, non quod ordo ſic jubeat, quia cum aliis Prælatis ſe veſtire deberent. Cardinales autem & Prælati alii in cappis præcedunt, cum pervenerint ad Altare: Pontifex, detracta mitra, in faldiſtorio ante Altare ſibi præparato accumbit, & orat, ſurgit deinde, & accepta mitra vadit ad ſolium. Interim Prælati

omnes

omnes, exceptis Cardinalibus, ſe induunt pluvialibus, & alba mitra, videlicet Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, Protonotarii autem cum cappis ſuis permanent: cum ſedet Pontifex, Cardinales accedunt ad reverentiam; ultimi duo Cardinales, ſive ſint Presbyteri, ſive Cardinales Diaconi, cum exhibuerint reverentiam, aſſiſtunt Pontifici a dextris, & a ſiniſtris, & Diaconi, qui aſſiſtebant, diſcedunt, & induunt ſe paramentis, & tunc etiam omnes alii Cardinales, exceptis illis duobus, qui Papæ aſſiſtunt, paramentis ſe induunt, videlicet Epiſcopi pluvialibus, Presbyteri planetis, Diaconi dalmaticis, & prius amictu omnes induuntur, & etiam ſuperpelliciis, quibus placet. Diaconi vero duo præfati, cum primum induti ſunt, revertuntur ad Pontificem, & illi, qui remanſerant, vadunt ad loca ſua, & convenientibus indumentis induuntur. Poſtquam Cardinales omnes induti fuerint, ſurgit Pontifex, & detracta mitra, verſus ad Altare dicit ſecrete: *Pater noſter.* Deinde ſeipſum ſignans, alte dicit: *Deus in adjutorium meum intende.* Finito *Gloria Patri* a cantoribus, Subdiaconus, cantaturus poſtremo die Epiſtolam, ſtans ante Pontificem ante gradus inferiores ſedis Pontificalis, facta prius ei reverentia, præintonat ſubmiſſa voce Papæ antiphonam, & ea præintonata expectat ſtans, quouſque Papa antiphonam ipſam intonaverit. Tunc accedunt duo Epiſcopi aſſiſtentes cum libro, & lumine, & Prior Epiſcoporum Cardinalium etiam aſſiſtens accipit librum, & capite ſuo ipſum tenens Pontifici apponit, juvante eum ſeniore ex duobus Epiſcopis aſſiſtentibus, & juniore candelam ardentem tenente. Pontifex incipit antiphonam, quam cantores proſequuntur uſque ad finem: qua per Pontificem intonata, Subdiaconus cum cerimoniario facit reverentiam Papæ, & ad ſua loca revertuntur. Idem ſervatur in intonatione aliarum antiphonarum, & etiam in intonatione hymni. Incepto Pſalmo, Pontifex ſedet, & accipit mitram, & ſimiliter alii omnes. Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens ſedet in cathedra

nuda inter Diaconum a dextris Papæ & ſedem Cardinalium ſibi parata, verſa facie ad Altare, ſi loci diſpoſitio patiatur, ſin vero locus non eſſet capax, ad ſiniſtram locatur, ut ſit in capella palatii, & ſi locus eſſet nimis anguſtus, ut aliquando evenit in quibusdam Eccleſiis, ſedet in ſuo ordine cum aliis Cardinalibus, ſive Epiſcopus, ſive Presbyter Cardinalis. Cantato Pſalmo, & iterata antiphona, Subdiaconus ſurgit, & Diacono aſſiſtenti a dextris Papæ præintonat ſecundam antiphonam plane, quam Diaconus ipſe ſurgens depoſita mitra intonat alte, & cantores proſequuntur, ut prius, & dum unus ex Cardinalibus aſſiſtentibus Papæ ſurgit, ſemper etiam alii Cardinales aſſiſtentes, & Epiſcopi aſſiſtentes; ſimiliter faciunt alii Cardinales, dum unus eorum ſurgit, ſurgunt & alii omnes, & etiam omnes Prælati, qui ſunt in capella, ſurgunt ſemper ſurgentibus Cardinalibus, aliis non autem ſurgentibus, Cardinalibus aſſiſtentibus tantum. Tertiam antiphonam ſimiliter Subdiaconus præintonat Priori Epiſcoporum Cardinalium ibidem aſſiſtenti. Quartam, Priori Presbyterorum Cardinalium, & quintam Diacono Cardinali aſſiſtenti a ſiniſtris Pontificis, reiterata a cantoribus poſt finem conjuncti Pſalmi. Quinta antiphona, Subdiaconus, exhibita prius reverentia Altari & Papæ, ſtans in loco ubi legitur epiſtola, verſa facie ad Altare, ita tamen, quod non vertat renes ad Papam, cantat capitulum. Interim ſurgit Pontifex, & ſtat cum mitra, alii vero omnes ſtant ſine mitra. Cantato capitulo, unus auditorum rotæ modo prædicto Papæ præintonat hymnum, tunc Pontifex mitra depoſita ex libro ſibi oblato, ut ſupra, alte incipit hymnum, quem cantores proſequuntur, & Pontifex ſic ad finem hymni ſtat ſine mitra, cantatur deinde a cantoribus Verſiculus, & inde Subdiaconus ſtans coram Pontifice præintonat ei antiphonam ad *Magnificat*, quam Pontifex ſtans ſine mitra ex libro alte intonat, & cantores proſequuntur. Interim ſedet Pontifex, & accipit mitram, & accedit acoluthus

cum

cum thuribulo, & navicella, quam dat Epiſcopo Cardinali aſſiſtenti, qui eam offert Pontifici, dicens: *Benedicite Pater Sancte,* & ſuppoſito per acoluthum thuribulo, Pontifex imponit incenſum, reaſſumit deinde naviculam acoluthus, & accedit ad cornu ſiniſtrum Altaris, & ibidem expectat Pontificem. Interim duo auditores accedunt ad Altare, & hinc inde elevant interiorem partem ſuperioris tobaleæ Altaris, & plicant uſque medium, vel circa. Cum vero incipitur *Magnificat,* ſurgit Pontifex, & cum mitra deſcendit ad Altare, quem ſequuntur Cardinales ipſi aſſiſtentes, auditor mitra ſerviens, & cubicularii ſecreti, alii auditores elevant fimbriam Pontifici ante pedes, cum aſcendit gradus Altaris, & idem faciunt, quando ad ſolium revertitur. Si autem duo tantum auditores intereſſent, elevata tobalea Altaris veniunt ad Pontificem, & ei fimbrias elevant. Cum Pontifex pervenit ad Altare, extrahitur ei mitra, oſculatur Altare in medio, & acoluthus thuribulum Epiſcopo Cardinali aſſiſtenti offert, Epiſcopus vero Cardinalis Pontifici, tum Pontifex incenſat Altare more ſolito; poſt incenſationem Altaris Pontifex, accepta mitra, facit reverentiam Altari, & revertitur ad ſolium, duobus auditoribus fimbrias (ut prius) tenentibus, alii duo auditores tobaleam Altaris, ut prius erat, explicant, vel ſi tantum duo ſint, auditores explicent tobaleam, antequam fimbrias Pontificis teneant. Pontificem deinde cum mitra in ſolio ſtantem, Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, ſtans ante infimum gradum ſolii, recepto ex manibus acoluthi thuribulo, incenſat ter thuribulum ducendo, qui incenſatus deponit mitram, & detecto capite ſtat uſque ad finem *Magnificat.* Inde Subdiaconus, accepto thuribulo, incenſat Epiſcopum, demum Epiſcopum Cardinalem aſſiſtentem, ſtantem ante cathedram ſuam, & ſucceſſive alios duos aſſiſtentes, deinde reliquos Cardinales, poſtea Prælatos omnes paratos, poſtmodum omnes ordine ſuo, ut in Miſſa: cantato *Magnificat,* ſedet

Papa, imponitur ei mitra, & cantatur Antiphona. Accedunt deinde duo acoluthi cum duobus candelabris, & luminaribus ad gradus ſolii, inter quos ſtat medius cerimoniarius, & Pontifex ſtans, detracta mitra, dicit: *Dominus vobiſcum.* Et cantoribus reſpondentibus: *Et cum ſpiritu ſuo,* offertur ei liber, ut ſupra. Pontifex dicit orationem, & eo demum replicante; *Dominus vobiſcum,* duo acoluthi candelabris, & cerimoniario factis reverentiis, redeunt ad Altare; inde dicto *Benedicamus* a cantoribus, ipſe Pontifex dat benedictionem, uno Protonotario auriphrygium tenente more ſolito, qua data, deſcendit de ſolio, genuflectit in faldiſtorio, ante Altare cum mitra orat, deinde ſurgens redit ad cameram.

CAPUT X.

De publica compotatione, ſive collatione potus, in aula a priſcis vocitatus.

SI ſolennis collatio, prout aliquando Pontifices conſueverunt facere, fieri debet in prima aula palatii, parabuntur omnia ad inſtar publici Conſiſtorii, paretur credentia magna eminens, duodecim vel circiter gradus habens pro vaſis aureis, cryſtallinis & argenteis deſuper ponendis ad magnificentiam tantum; credentia hujusmodi erit altitudinis a terra uſque ad ejus planum, ſive menſam, palmorum ſeptem, vel circa, menſa ejus erit longitudinis palmorum XXII. & latitudinis ſeptem vel circa, & deſuper gradus, ut diximus, qui ſatis ſint pro vaſis ſupradictis, quæ ſuo ordine locentur. In ſecunda vero aula parentur *duæ credentiæ*, una parva pro Sanctiſſimo Domino noſtro, & alia longior pro *Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus*, ubi conſtituantur vina, confectiones, aqua, confecteriæ, mantilia, mappæ, ſcyphi phialæ, & alia pocula vaſaque aurea, ſive argentea opportuna in competenti numero, & quantitate. Magiſter domus Apoſtolici palatii providebit in tempore

pore de vino diverſi generis, confectionibus diverſarum ſpecierum, vexillulis longitudinis unius palmi cum inſignibus Papæ, & Cardinalium, in confecteriis ponendis, & centum intorticiis pro collatione, & matutinis: In Vigilia igitur Nativitatis Chriſti, ſi veſperæ in capella Palatii celebratæ ſunt, Pontifex finitis veſperis, in ſede ſolii ſui deponit mitram, & pluviale, & imponitur ei cappa de carmeſino. Interim etiam omnes Cardinales intus; Prælati vero & alii omnes extra cancellos capellæ paramenta, & ſuperpellicia deponunt, & cappas accipiunt. Pontifex venit ad aulam, ubi collationem eſt facturus Cruce præcedente. Si vero veſperæ hujusmodi in Baſilica Sancti Petri ſunt celebratæ, illis finitis, Pontifex revertetur ordine conſueto ad cameram *Papagalli*, vbi, depoſitis pluviali & mitra, accipit cappam, ut ſupra. Cardinales vero, Prælati, & alii omnes, qui ſua paramenta & ornamenta in baſilica prædicta poſt veſperas depoſuiſſe debent, & cappas accepiſſe, ponuntur in dicta camera Papagalli, & expectant, qui, cum Papa venit ad aulam prædictam Cardinalibus ſubſequentibus, ſine Cruce tamen, manebant usquequo collationem perfecerit. Pontifice igitur ſedente, *nobiliſſimus* totius *curiæ*, etiamſi *Rex*, aut *Imperator* ſit, ducetur ad credentiam Papæ ad *dandam aquam hoc ordine:* Duo ſervientes armorum præcedent, magiſter cerimoniarum in ſuo habitu, magiſter domus baculum ferens mantello indutus, auditor ſine mantili. Auditor mantile portans cum ſua cappa lanea, deinde aquam ferens medius inter magiſtrum ſacri hoſpitii, & ſeneſchallum ſecretum. Papa manus lavante, Diaconi aſſiſtentes adjuvant, & omnes Cardinales ſurgunt, alii omnes genuflectunt. Dum Papa lavat, Cerimoniarius acceptis aliis duobus ſervientibus armorum vocat alium poſt prædictum nobiliorem, qui portabit primum ferculum, quem ducit ad credentiam Papæ, deinde cum ferculo ad Pontificem hoc ordine: Duo ſervientes armorum, cerimoniarius, magiſter domus, qui expectat ad gradus ſolii, auditor

ditor ſine mantili, auditor cum mantili, ſcalcus ſecretus, deinde ferens ferculum ſolus, ſimiliter ibit ſolus poſtea, qui potum portat. Omnes hi, excepto magiſtro domus, aſcendunt ad Pontificem, & Cardinales aſſiſtentes extendunt ante Pontificem *tobaleam,* quam auditores hinc & inde genuflexi tenent; deinde aſſiſtens a dextris dat ad prægustandum ex ferculo latori, & ambo aſſiſtentes detectis capitibus ſtantes apponunt manum ad confecteriam, ex qua Pontifex cibum ſumit, & exinde deſcendunt omnes, qui venerant, & aſcendunt alii cum primo potu, quem deducunt magiſter hoſpitii, & Cardinales aſſiſtentes, ſimiliter aliam Tobaleam de manibus auditoris ſecundo venientis accipientes illam extendunt ante Pontificem, quam auditores tenent, ut ſupra; deinde, facta per portantem vinum credentia in vaſe, quod ad partem portat, & per alium ſcutiferum Papæ aquam portantem ſimpliciter de aqua, Cardinales aſſiſtentes juvant miſcentem aquam vino Papæ, recepto potu per Pontificem, deſcendunt iſti, & aſcendunt alii, & hic ordo uſque ad finem collationis ſervatur, ſcalcus ſecretus, & magiſter hoſpitii viciſſim comitantur cibos & pocula, quæ portantur per nobiliores proceres, ſive oratores præſentes, *Clerico cerimoniarum* ordinante, & ſecrete deducente, & incipiente a nobiliori, etiam ſi eſſet *Rex, aut Imperator.* Solent quatuor ſpecies confectionum haberi, & quater vinum ad potum miniſtrari. Deſcendente a Pontifice illo, qui ultimum potum dedit, deſcendunt etiam Cardinales aſſiſtentes, & ad ſua loca vadunt. Tunc unus ex cubiculariis Papæ, præcedente alio cubiculario & cerimoniario, portat mappam longam mundam ante priorem Cardinalem, cujus unum caput ipſe ibidem tenet, aliud capit ſecundus cubicularius, & illud extendit uſque ad ultimum Cardinalem, ubi illud tenet. Quod ſi forte una mappa tam longa non ſit, portentur aliæ, quæ ſufficiant, ita tamen, quod pro qualibet ſint duo cubicularii, qui eam per

capita,

capita, ut ſupra teneant, tum præcedente ſcalco, Papæ cubicularii in ſuo habitu, ſinguli habentes mappulas breves in humeris, ipſum ſequuntur portantes unusquisque unam confecteriam diſcoopertam, confectionibus plenam, & in qualibet confecteria ſit unum vexillulum, ab una parte habens inſignia Pontificis, & ab alia illius Cardinalis, cui defertur. Primus cubicularius portet confecteriam Priori Cardinalium. Secundus alteri ſeniori Cardinalium, & ſic de aliis. Primum cubicularium ſequuntur duo ſcutiferi Prioris Cardinalium; primus mappulam habens in humeris, & poculum vini in dextra manu, ſecundus vas cum aqua ſine mappula. Secundum cubicularium ſequantur duo ſcutiferi ſecundi Cardinalis, ſimiliter vinum & aquam portantes, ut primi, & ſic de ſingulis; quatuor etiam vicibus quatuor ſpecies confectionum, & vinum, prout Pontifici, & Cardinalibus portant. Finita collatione, Cardinalium ſcutiferi cum mappulis ad collum aliis ſerviunt, videlicet oratoribus, Prælatis, & aliis omnibus ad ſcabellum Papæ ſedentibus. Erunt de quolibet ferculo octo bacilia, & multo plura cum vino, & vaſa aqua plena; reſiduum, quod in bacilibus remanet, inter ſcamna Cardinalium ſedentibus, & aliis circumſtantibus ſpargi ſolet. Finita collatione, reducitur Papa ad cameram ſuam, & omnes diſcedunt.

CAPUT XI.

De matutinis noctis Nativitatis Chriſti, Papa præſente.

IN matutinis noctis Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pontifex, indutus amictu, alba, cingulo, & ſtola, ſi placet, benedicet *enſem*, ut in *prima parte ſupra* poſuimus. Deinde, aſſumpta cappa de carmaſino, præcedente Cruce, & ſubſequentibus Papam Cardinalibus, quia non habet mitram, vadit ad capellam, unus ex clericis cameræ enſem cum *galero de*

bevaro, cum perlis, præfert ante Crucem. Et facta oratione in faldiſtorio ante Altare, Pontifex vadit ad ſedem ſuam, a duobus Cardinalibus Diaconis aſſiſtentibus deductus, & cum ſederit, ipſi Cardinales recedunt, ſedentque in locis ſuis inter alios Cardinales. Cum vero Papa fuerit in Eccleſia, Clericus cameræ enſem cum Galero prædicto ſuper Altare ad cornu Epiſtolæ reponit, & non fit reverentia per Cardinales: Pontifex autem, accepto a cerimoniario, ante ipſum genuflexo, ſigno, ſurgit, & detecto vel ſemidetecto capite ſtans verſus ad Altare ſecrete dicit: *Pater noſter*, deinde cantando, & ſibi os cum pollice ſignando dicit: *Domine, labia mea aperies.* Reſp. *& os meum.* Deinde ſignans ſe a fronte ante pectus dicit: *Deus in adjutorium meum intende, &c.* Et ſtat, quouſque compleatur invitatorium, hymnus & antiphona primi Pſalmi; primo Pſalmo incepto ſedet, ſimiliter primus Epiſcoporum aſſiſtentium aptat cappam, & ante ipſum extendit fimbrias. Et nota, quod ſemper in omnibus officiis, quando Papa ſurgit, omnes ſurgunt, quando autem ſedet, omnes ſedent, niſi in quibuſdam reverentiis, ut ſuo loco dicemus. Cum dicitur tertius Pſalmus primi nocturni, cerimoniarius capit librum lectionum, & Clericus capellæ pulpitum nudum: & præcedente cerimoniario ad medium capellæ, inter cornua amborum ſcamnorum Cardinalium verſus ad Altare ponit dictum pulpitum, & cerimoniarius librum deſuper, & redeunt ad locum ſuum. Cum dicitur verſiculus primi nocturni, cerimoniarius accepta parva candela cerea accenſa, factis reverentiis Altari & Papæ, vadit ante pulpitum, & finito verſiculo Papæ, facit ſignum ut ſurgat, qui ſurgit, & capite ſemidetecto dicit: *Pater noſter*, quod ſecrete proſequitur, deinde dicit alte: *Et ne nos:* Et aſſiſtentes Epiſcopi apportant librum, & candelam, ex quo Papa dicit abſolutionem: *Exaudi &c.* Interim cerimoniarius illum, qui dicturus eſt lectionem, ad pulpitum ducens, ibidem expectat finem abſolutionis, qua finita, lectionem dictu-

dicturus genuflexus verſa facie ad Pontificem cantat: *Jube, Domine, benedicere.* Et Papa ſtans, ut ſupra, ei benedicit dicens: *Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus.* Reſp. *Amen,* non tamen ſignum Crucis ſuper eum faciens, ſed tantum verba benedictionis proferens, finita lectione, cum dicit: *Tu autem Domine, miſerere noſtri,* genuflectit verſa facie ad Altare, deinde ſurgit, & factis reverentiis Altari, & Papæ, vadit ad oſculum pedis Pontificis, cerimoniario præcedente, & pedem Pontificis diſcooperiente & demum cooperiente; Quod ſemper obſervatur, niſi Cardinalibus, deinde ad locum ſuum quisque revertitur. Si autem dicturus lectionem Cardinalis ſit, cum pervenerit ad pulpitum, facit reverentiam Altari, & Papæ more conſueto, & dicendo: *Jube Domine,* caput inclinat verſus Pontificem, & cum dicit: *Tu autem, Domine,* caput inclinat verſus Altare, quo dicto, factis reverentiis, ad locum ſuum revertitur, & cerimoniarius redit ad Altare ad locum ſuum, ibi expectans, quouſque incipiatur verſus, aut citius, vel tardius, ſecundum quod longum erit reſponſorium, & verſus; deinde, factis reverentiis, ut ſupra, redit ad pulpitum, & aliam lectionem ſecundam dicturum ducit, & facit, ut ſupra. Pontifex ad ſecundam lectionem ſedens benedicit, dicens: *Unigenitus Dei Filius &c.* & ſimiliter ad tertiam, cum dicit: *Spiritus Sancti gratia &c.* Deinde cantantur tres Pſalmi ſecundi nocturni, & poſt verſiculum ſurgit Pontifex converſus ad Altare, detecto capite alte dicit: *Pater noſter,* ſecrete proſequitur, & alte pronunciat: *Et ne nos.* Deinde ex libro dicit abſolutionem: *Ipſius pietas &c.* benedictionem ad quartam lectionem: *Deus, Pater omnipotens &c.* & ſedet; quintam legit nobilis, cui datur enſis, ſi eſt præſens, & ſtat ac velit illam legere hoc ordine; incepta quarta lectione, Cerimoniarius nobilem miſſum ad angulum poſt ſedem Diaconorum Cardinalium ducit illum ubi Galerus ſit, vel ad alium locum convenientem, & illic Clericus cameræ enſem cum Galero de Altari capiens

 portat,

portat; idem nobilis induitur ſuperpellicio, & deſuper enſe præcingitur ad latus ſiniſtrum, & pluviali albo induitur, cujus apertura ſuper brachio ejus dextro fit, & galerus prædictus ei in capite ponitur: quo ſic induto, Clericus cameræ ad locum ſuum revertitur, & nobilis, finita quarta lectione, dum cantatur reſponſorium, ante Pontificem per cerimoniarium ducetur, & ibi ante gradus ſolii, depoſito ad manus cerimoniarii galero, facit reverentiam Altari, deinde Papæ, ad quem converſus, ſtans evaginat gladium, & tertiò cum ejus mucrone terram tangit, vibratque deinde ter, & tandem tergit eum ſuper brachium ſiniſtrum, & reponit in vaginam, & accedit ad pulpitum, ubi finito reſponſorio verſus ad Pontificem genuflexus dicit: *Jube &c.* Et Pontifex ſedens benedicit ei, dicens: *Chriſtus perpetuæ &c.* Tum ille ſtans cantat lectionem, & cerimoniarius tradit galerum prædictum uni ex familiaribus dicti nobilis, qui ſedeat ad pedes loci, in quo dictus nobilis ſedere ſolebat; finita lectione, idem nobilis ducitur ad oſculum pedis Papæ, indutus, ut cantavit, & deinde reducitur ad locum, ubi indutus fuit, ubi exuitur pluviali, & ſuperpellicio, & enſe decingitur, quem cerimoniarius tradat dicto familiari, galerum tenenti, quem ſuper enſem reponit, ut prius erat, qui enſem erectum cum galero deſuper teneat ſedens, ut ſupra, usque ad finem officii, & nobilis ille per cerimoniarium ad locum ſuum reducitur. Quando vero non eſt præſens, cui enſis datur, Clericus cameræ, indutus ſuperpellicio, cantat quintam lectionem. Et quando Papa vadit ad capellam, & inde revertitur, tam in matutinis, quam in miſſa majori, ſemper Clericus ipſe portat enſem cum galero. Si vero nobilis, cui enſis datur, præſens ſit, *& neſciat legere,* ipſe nobilis nihilominus in tempore induitur ſuperpellicio, & pluviali, accingitur gladio, & galerus ei imponitur, ut ſupra; deinde ducitur ad Pontificem, & omnia facit præciſe, quæ ſupra dicta ſunt, niſi quod non petit benedictionem, nec legit

lectionem,

lectionem, quæ loco ſuo clericus Cameræ, indutus ſuperpelliccio, facit, & in fine oſculantur ambo Pontificis pedes, nobilis primum, deinde Clericus cameræ. Et nota, quod ſatis competenter Pontifex daret enſem nobili, ſi eſſet præſens in loco iſto, antequam ille accingeretur enſe, & tunc dum cantatur reſponſorium quartæ lectionis, nobilis induitur ſuperpellicio, & pluviali, ut diximus: Et ductus ante Pontificem, finito reſponſorio genuflexus accipit a Pontifice enſem, qui dicit illam orationem: *Solent Romani Pontifices &c.* Et tunc deſcendens, cum habitu extrahit enſem, quo prius a miniſtris accinctus fuerat, & facit, ut ſupra dictum eſt. Sextam lectionem legenti Pontifex benedicit dicens: *Ignem ſui amoris.* Deinde cantantur tres Pſalmi tertii nocturni, & verſiculi. Tum Pontifex ſurgens capite detecto converſus ad Altare dicit: *Pater noſter,* ut ſupra, & ex libro abſolutionem, *A vinculis &c.* Diaconus Cardinalis aſſiſtens a ſiniſtris, cantat ſeptimam lectionem cum Evangelio, & homilia, qui apud pulpitum inclinatus ante Pontificem dicit: *Jube,* & Pontifex ſtans benedicit dicens: *Evangelica lectio,* perſeverans ſtans quouſque incipiatur homilia, tum omnes ſedent. Octavam lectionem cum Evangelio cantat Diaconus aſſiſtens a dextris iisdem cerimoniis, cui, inclinato capite benedictionem petenti, Pontifex ſedens benedicit, dicens, *per Evangelica dicta:* tum ſurgit Pontifex ad Evangelium, ultimam lectionem cantat ipſe Pontifex, qui ſtans verſus Altare capite detecto dicit: *Jube Domine, benedicere,* ſed nullus benedicit; cantores reſpondent: *Amen.* Aſſiſtens Presbyter Cardinalis, & duo Epiſcopi accedunt cum libro, & lumine, duo acoluthi cum ſuis cappis, cum candelabris, & luminaribus, ſtant ad gradus more ſolito, uſque ad finem. Et Pontifex perficit lectionem, & in fine verſus ad Altare dicit: *Tu autem Domine &c.* Interim cum Papa lectionem cantat, ponuntur pluviale album precioſum ſuper Altare pro Pontifice, & paramenta ſuper credentia pro

Cardinali Miſſam celebraturo, ſi ante illic poſita non fuerunt. Et Diaconus, ac Subdiaconus capellæ in ſacriſtia, aut alio convenienti loco, ſe induunt more ſolito, Capellani etiam Cardinalis celebraturi ad credentiam ſuis coctis induuntur. Finita lectione, Subdiaconus Apoſtolicus in ſua cappa ſubmiſſa voce præintonat Pontifici *Te Deum laudamus*, qui ex libro, ſi placet, illud intonat, & cantores proſequuntur, quo incepto, Cardinalis Miſſam dicturus accedit ad Altare, & in faldiſtorio conſueto accipit ſandalia, & dicit Pſalmos: *Quam dilecta &c.* Deinde induitur omnibus paramentis conſuetis per Subdiaconum, & Diaconum capellæ, ut moris eſt, cum dicitur verſus: *Te ergo quæſumus*, ad verba, *quos precioſo ſanguine redemiſti,* Papa in ſe de ſua, & omnes alii genuflectunt, & in fine Pontifex ſine mitra dicit: *Dominus vobiſcum.* & orationem: *Concede quæſumus,* ex libro cum aſſiſtentibus, & ceroferariis more ſolito, & in fine Pontifex replicat: *Dominus vobiſcum*, & cantores dicunt: *Benedicamus &c.* Et Pontifex ante ſedem ſolii ſui exuitur cappa, & pluviali albo, & mitra induitur, & accedit ante Altare, ubi cum celebraturo illuc veniente dicit confeſſionem more ſolito, & incipitur *Introitus* & *Miſſa,* & non fit reverentia Papæ per Cardinales, quia fiet in Miſſa majori, ſed, finita confeſſione, aſcendit ad ſolium. Et Presbytero Cardinali aſſiſtente miniſtrante, Papa imponit incenſum, celebraturus incenſat Altare, incenſatur ipſe, deinde Papa, qui ſurgit ſine mitra, & dicit *Introitum.* Interim Cardinales veniunt ad circulum, cum quibus dicit *Kyrieeleyſon,* deinde *& in terra &c.* quo dicto, Presbyter Cardinalis venit ad ſcabellum ſuum, ad aſſiſtentiam Pontifici: *Pax vobis*, dicitur, & una tantum oratio, poſt offertorium omnes incenſantur, & pax datur more conſueto; finita Miſſa, Papa dat benedictionem, & non indulgentias, deinde recedit Papa cum omnibus Cardinalibus, Prælatis & officialibus; enſis etiam cum galero, ſi ille, cui datus eſt, præſens ſit, per ipſius

ipſius familiarem ante eum in ſuo loco procedentem portatur. Alioquin, ſi abſens ſit, per Clericum cameræ ante Crucem ad cameram Pontificis reportatur, ubi manent uſque ad Miſſam majorem.

CAPUT XII.

De ordine cantantium lectiones.

LEctiones in hac nocte triplici ordine cantari conſueverunt noſtris diebus. Omnes explicabimus. Pontifex pro tempore, ut magis placebit, ſervari mandabit. Ante tempora PAULI II. ſervatum vidimus, & legimus hunc modum: Primam lectionem Clericus cerimoniarum. Secundam acoluthus. Tertiam auditor. Quartam junior Presbyter Cardinalis. Quintam nobilis, cui datur enſis, vel ejus loco Clericus cameræ. Sextam Subdiaconus Apoſtolicus. Septimam Diaconus aſſiſtens a ſiniſtris. Octavam Diaconus a dextris. Nonam Pontifex. Cardinales dicunt cum ſuis cappis laneis, alii omnes cum ſuperpelliciis; hunc modum hactenus ſervavit INNOCENTIUS VIII. Alius modus ſub PAULO II. Primam acoluthus. Secundam auditor. Tertiam Subdiaconus cantabat. Quartam junior Presbyter Cardinalis. Quintam nobilis ab enſe, & ſi neſciret literas, ejus loco Clericus cameræ. In abſentia vero illius ſecundus junior Presbyter Cardinalis. Sextam alius junior Presbyter Cardinalis, ita, ut duo vel tres juniores Presbyteri dicerent in ſecundo nocturno, duo in præſentia nobiles, tres in ejus abſentia, a juniori tamen incipiendo. Ultimæ tres lectiones, ut prius, cantabantur. SIXTUS autem IV. voluit, ut omnes lectiones cantarentur per Cardinales, & ſex primæ incipiendo a juniori Diacono, ſive Presbytero in abſentia Diaconi, per ordinem cantarentur, & per Epiſcopos Cardinales, ſi deficerent; aliæ tres ultimæ, ut prius, per Diaconos aſſiſtentes;

ſtentes, & Papam. Si vero his matutinis intereſſet Imperator, ipſe cantaret ſeptimam lectionem ſub Evangelio: *Exiit edictum a Cæſare Auguſto*, his cerimoniis: Cum cantatur ultimus Pſalmus in tertio nocturno, Clerico cerimoniarum ordinante, Diaconi aſſiſtentes Papæ accedunt ad *Imperatorem*, quem a ſua ſede ad planum deſcendere monent, & illic eum induunt ſuperpellicio, deinde accingunt enſe benedicto, demum induitur pluviali albo, non cum apertura ſuper humerum dextrum, ſed ante pectus, ut Epiſcopo, ut *in ſigillis imperialibus* ſculptus apparet, galerus ejus armigero traditur. Nam Cæſar illud in capite non portat, quia eſt inſigne *ducalis dignitatis*, quæ longe eſt inferior Imperiali. Imperator ſic ornatus ducitur medius a Cardinalibus Diaconis ante Pontificem, qui, facta reverentia, nudat enſem, inclinat, vibrat, tergit, & recondit, ut de nobili diximus. Tum accedit in tempore ad pulpitum, & profunde inclinatus ad Pontificem verſus dicit: *Jube, Domine, benedicere.* Et Pontifex: *Evangelica lectio, &c.* Tum Imperator legit Evangelii partem usque ad homiliam tantum, ſi placet, & homiliam proſequitur Diaconus, qui aſſiſtit a ſiniſtris. Quod ſi *Imperator* vult totam lectionem legere, laudabile erit, & Diaconus ipſe nihil dicit. In fine lectionis Imperator, cum ſuo habitu, ſive totam, ſive partem lectionis dixerit, aſcendit ad oſculum pedis Pontificis, deducentibus & miniſtrantibus ipſis Diaconis Cardinalibus; poſtremo reducitur ante ſuam ſedem, ubi exuitur ſacris veſtibus, & enſis cum galero detur armigero Cæſaris, qui illum deinde tenet, & portat ante Cæſarem, qui revertitur ad ſedem ſuam, & Diaconi ad aſſiſtentiam Papæ. Hunc modum ſervari vidimus, cum FRIDERICUS III. Imperator ſub PAULO II. Romæ his celebritatibus interfuit: Anno Salutis *Milleſimo, quadringenteſimo, ſexageſimo octavo.*

CAPUT

CAPUT XIII.

De laudibus & miſſa in aurora.

CAntores poſt receſſum Papæ dicunt laudes cantando, vel legendo, prout eis magis placebit. Interim Sacriſta induitur pro ſecunda Miſſa dicenda omnibus paramentis Pontificalibus, ut in aliis Miſſis fieri ſolet. Accedit ad Altare, dicens: *Introibo, & Confiteor*, &, ut alias, cantores incipiunt *Introitum*, & proſequuntur, ut alias, Papa abſente, in capella fieri ſolet: Finita Miſſa, ſtans cum mitra ante medium Altaris dat benedictionem, ut moris eſt, & non pronunciantur indulgentiæ.

CAPUT XIV.

De miſſa majori, Papa perſonaliter celebrante.

IN Miſſa majori Nativitatis Domini noſtri Summus Pontifex celebraturus, capit in camera papagalli, aut alia convenienti, paramenta conſueta, videlicet amictum, albam, cingulum, ſtolam, pluviale album, & mitram precioſam, & omnes Diaconi Cardinales in camera paramenti, non tamen ubi Papa parare debet, antequam Papa exeat, capiant paramenta ſua, videlicet amictum, dalmaticam & mitram. Ille, qui dicturus eſt Evangelium, ultra præmiſſa accipit albam, cingulum & ſtolam, manipulum vero capiet in Eccleſia, cum Papa fecerit confeſſionem apud Altare. Et ſic induti intrantes ad Pontificem, ipſum paramenta ſupra nominata induunt, omnes alii Presbyteri, & Epiſcopi, Cardinales in camera, ubi Diaconi induti ſunt, paramenta accipiunt, videlicet amictum, & planetas. Epiſcopi Cardinales pluvialia, amictum & ſuperpellicium, & albas mitras, & induti intrant ad Pontificem. Patriarchæ vero, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates pluviale capiunt, ex Cardinalibus autem, qui ſunt religioſi, loco

rocheti capiunt ſuperpellicium, & omnes cum albis mitris, pœnitentiarii planetas tantum. Subdiaconus, qui epiſtolam latinam eſt dicturus, amictum, albam, cingulum, tunicellam, & manipulum: alii vero Subdiaconi, Apoſtolici auditores, Clerici cameræ, & acoluthi ſupra rochetum coctas; omnes, præter Cardinales, in aula ante cameram paramenti accipiant ſacras veſtes, tali tempore, quo omnes ſuis paramentis ſint induti, antequam Papa cameram ſuam exeat. Induto Pontifice, Thuriferarius accedit ad Pontificem, & miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, Pontifex incenſum imponit in thuribulo, dicens: *Ab illo benedicaris &c.* Deinde ſeptem Acoluthi capiunt ſeptem candelabra cum luminaribus, & vadunt ante Crucem, Thuriferario præcedente, quem antecedat unus Clericus cameræ, enſem cum galero deſuper poſito portans. Et hoc, ſi Papa illos adhuc non dedit. Si vero Papa alicui præſenti dedit, unus de ejusdem familia dictum enſem cum ſuo galero in prædicto loco portabit. Et cum in Eccleſia fuerit, ad pedes illius, cui datus eſt, ſedebit, & ſic per totum officium tenebit; ſupplicantis igitur more procedet ad Eccleſiam hoc ordine: Scutiferi Papæ cum minoribus nobilibus, Procuratores ordinum, & Principum Secretarii, & Advocati mixtim, Cubicularii extra cameram, oratores laici, & non Prælati, Imperatoris, Regum, Principum, & cum eis Senator urbis, & conſervatores, & Barones ac majores nobiles: Acoluthi Papæ, Clerici cameræ, Auditores Rotæ cum auditore cauſarum cameræ Apoſtolicæ, & Subdiaconi Apoſtolici omnes in ſuperpelliciis ſupra rochetum. Magiſter ſacri Palatii in habitu, & loco ſuo acoluthus Thuriferarius, & ad minus duo ceroferarii, cum luminibus accenſis. Deberet tamen in hujusmodi, & omnibus aliis ſupplicationibus ſeptem candelabra cum totidem luminaribus deferre per acoluthos, ſed quia aliquando acoluthi non adſunt tot numero, hoc omittitur: Ceroferarios autem immediate ſequitur Subdiaconus

conus epiſtolam lecturus, indutus, ut ſupra dictum eſt, Crucem bajulans ad latera, habens duos magiſtros hoſtiarios cum virgis, quem ſequuntur Prælati omnes parati hoc ordine: Pœnitentiarii ſine mitris, Abbates, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Prælati, Oratores aſſiſtentes Papæ, omnes cum paramentis, & mitris, ut ſupra dictum eſt, ſucceſſive, Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi Cardinales, aſſiſtentes hinc, & inde. Deinde Papa, cujus pluvialis auriphrygium duo Diaconi Cardinales aſſiſtentes hinc & inde juxta eum incedentes deferent, fimbrias poſteriores, id eſt, caudam pluvialis, nobilior laicus in urbe exiſtens, etiam ſi ſit *Imperator, vel Rex*, & hoc ſi Papa pedibus incedat. Si vero portatur in ſede, duo Cardinales prædicti aſſiſtentes ipſum immediate procedant, & qui lecturus eſt Evangelium inter eos medius, qui alioquin iret ante Papam ſolus, ſuper Papam portatur baldachinum per *octo* Principes, & oratores laicos inſigniores, & magnos barones, conſervatores urbis, & tales, aut omnibus deficientibus per ſcutiferos Papæ. Nobilioribus portantibus detur ſemper primus locus, hoc eſt, anterior, ita quod illi continuo præcedant Papam. Si vero hujusmodi ſupplicationibus intererunt *Imperator, Reges, Duces, aut maximi Principes, incedent in loco, in quo ſolent ſedere.* IMPERATOR ad ſiniſtram Papæ, REX cum primo Epiſcopo Cardinali, PRIMOGENITUS Regis cum Presbytero, MAXIMUS DUX ſive Princeps, ſeu Dux, inter ipſos Diaconos juniores, & Epiſcopos aſſiſtentes Pontifici; ſequuntur cubicularii de camera, qui ſecreti appellantur, auditor ſerviens de mitra, Medici ſecreti, & primus Secretarius, ſi non eſt Prælatus. Demum Protonotarii & Prælati non parati in ſuis cappis; hoc ordine perveniunt ad Eccleſiam. Pontifex, poſtquam ad Eccleſiam pervenerit, ſuper faldiſtorio ante Altare ſibi præparato genuflectit, Diaconus a ſiniſtris mitram Papæ tollit de capite, quam dat Auditori ad mitram ſervienti, & alius aſſiſtens Cardinalis birretum amo-

veat: facta oratione, & ſurgente Papa, Diaconus a dextris birretum primo, deinde mitram, alio Cardinali a ſiniſtris vittas tenente, imponit, qui deinde vadit ad ſedem paratam, ubi ſacris veſtibus indui debet: Quo ſedente, Cardinales primo, deinde omnes alii Prælati ordine ſuo accedant ad reverentiam. Cardinales omnes, factis conſuetis reverentiis, oſculantur auriphrygium, per manum dexteram Papæ protenſum, Prælati vero euntes, ter genuflectunt, & ejus genu dextrum oſculantur; Diaconus & Subdiaconus, Epiſtolam & Evangelium in græco lecturi, parati eſſe debent apud Altare, Subdiaconus & Diaconus, qui ad cornua Altaris in inferiori gradu ſtare vel ſedere poſſunt, prout tempus poſtulat, ſicque manere uſque poſt Miſſam; finita reverentia, extrahitur mitra Papæ, & birretum, ut ſupra, qui deinde ſurgit, & ſtans verſus Altare ſecrete dicit: *Pater noſter.* Deinde alta voce cantando, & ſe ſignando: *Deus in adjutorium meum, & cat.* maneat ita, quouſque incipiatur per cantores Pſalmus: *Legem pone;* quo incepto, ſedet, & imponitur ei birretum, & mitra, ut ſupra. Tum Subdiaconus latinus accedit ad Altare, cui mappulam quandam Sacriſta ſupra brachia ponit, & ſuper eam caligas, & ſandalia, quæ, ambabus manibus ad oculos elevatis, ad Pontificem defert, hunc ſequantur omnes acoluthi, quibus accipientibus & extendentibus fimbrias pluvialis Papæ, Subdiaconus cum uno ex ſecretis cubiculariis Papæ ſubtus intrant, & communia calceamenta Papæ extrahentes & caligas, & ſandalia ei imponunt. Interim Epiſcopi aſſiſtentes Papæ librum ante ipſum & candelam ex more tenens, Diaconi aſſiſtentes cum Pontifice dicunt Antiphonam: *Ne reminiſcaris &c.* & Pſalmum: *Quam dilecta &c.* ut in libro. Interim cantatur Tertia per cantores, qui, cum ad capitulum pervenerint, quod unus ipſorum cantabit, Papa ſurgit cum mitra, & cum finito brevi reſponſorio verſiculus dicatur, accedunt ante Pontificem Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, ut librum teneat

pro

pro oratione, & cerimoniarius cum duobus ceroferariis, finito verſiculo, deponitur mitra Pontifici, qui dicit ſtans verſus ad Altare: *Dominus vobiſcum*, & orationem Epiſcopo Cardinali librum ſuper caput tenente, & uno Epiſcoporum aſſiſtentium cum manu adjuvante, alio candelam tenente, qua finita, Pontifex repetit *Dominus vobiſcum*, & Cerimoniarius cum ceroferariis revertitur ad Altare, cantores vero dicunt: *Benedicamus Domino*. His finitis, ſedet Papa, cui reponitur mitra, & lavat manus in Miſſa. Advertat cerimoniarius, ut incipiat a minus digno de quatuor nobilibus laicis, qui debent aquam deferre, ita quod nobilior ſit ultimus. Et ſemper debent eligi ad hoc opus nobiliores, etiamſi *Reges, aut Imperator* adeſſent. Pontifex manus lavat, omnes laici in capella exiſtentes genuflectunt, Prælati vero ſurgunt, & ſtant ſine mitra capite detecto. Cardinales depoſitis tantum mitris ſurgunt, lotis manibus extrahitur mitra Pontifici, qui ſurgit, & ante eum ponitur ſcabellum, ſuper quod ſtat Diaconus Cardinalis Evangelium lecturus, qui juvantibus duobus aliis Diaconibus a dextris, & a ſiniſtris Papæ ac Subdiacono latino, retro ipſum Papam ſtantibus, Papæ mitram primo, deinde pluviale, & ſtolam extrahit, & ſacris paramentis, quæ ex Altari per acoluthos deferuntur, ipſum induit hoc ordine: Primum cingulo cum ſuccinctorio in parte ſiniſtra pendente, qui cingulo prædicto cingitur ſubtus alio cingulo, quod Epiſcopus tenebat, & iſto ſecundo ligato ſolvitur, & deponitur cingulum primum, tum cruce pectorali, poſtea favone, quem Diaconus ſuper caput Papæ imponit replicatum, ut ante oculos pendeat, & partem, quam dextra manu tenet, collocet ſuper humerum dextrum, & aliam ſuper ſiniſtrum, & oras ambas favonis dependere facit circa pectus juxta menſuram unius palmi. Deinde ſtola, quæ ab humeris pendeat, tum tunicella, & dalmatica, albam miniſtri circa fimbrias aptent, ut terram tangat. His omnibus per Diaconum adjuvantibus,

Diaconis aſſiſtentibus, & Subdiacono, qui eſt a ſiniſtris, Papa induitur, de quibus per Diaconum oſculanda porriguntur Crux pectoralis, favon, ſtola, & in fine pallium, antequam ſibi imponatur, & ſimiliter cum exuitur Papa, cum accipit dalmaticam, reſidet, extrahitur ac aptatur ei per Diaconum favon circa caput, quo aptato, amovetur ſcabellum, ſuper quo ſtabat Diaconus induens, & imponuntur Papæ per Diaconum, & Subdiaconum chyrothecæ, qui ante, & poſtquam illas ſibi impoſuerint, oſculantur ejus manus, & chyrothecas. Deinde reponitur ſcabellum, & Papa induitur caſula, & extrahitur favon circa collum, & aptatur, ut æqualiter pendeat circum circa. Interim unus Subdiaconorum Apoſtolicorum pallium de Altari, velo coopertum, apportat, quod Diaconus ab ipſo accipiens, Crucem poſteriorem pallii Papæ oſculandam porrigit, deinde illud, adjuvante Subdiacono latino, Papæ imponit eo modo, ut pars duplex ſuper ſiniſtro humero maneat, inde portantur tres ſpinulæ, quarum unam pulchriorem Diaconus Cruci anteriori pallii infigit, aliam cruci ſuper humerum ſiniſtrum, & tertiam infigit Subdiaconus Cruci poſteriori. Sunt autem hujusmodi ſpinulæ taliter infigendæ, ut tertio crucem pertranſeant, pallium autem non perforent, neque planetam tangant, quodque gemmæ ſpinulæ maneant ad extra infigentis. Tum rurſus aptatur favon circa pectus, ut pendeat ſub anteriori pallii Cruce, & planeta ſupra brachia Pontificis. Deinde ipſe Diaconus Papæ mitram imponit. Accedit interim primus Epiſcoporum Cardinalium aſſiſtens, & imponit Papæ, jam mitram tenenti, *annulum Pontificalem*, & alios, quos Papa voluerit, cujus manum oſculatur. Hæc omnia Pontificis ornamenta prius per ſacriſtam ſuper Altare præparantur, & ordine prædicto, inſtruente cerimoniario, per acoluthos ad Pontificem deferuntur, aſſignanturque ad manus Diaconi Cardinalis prædicti, poſt hæc Epiſcopo Cardinali aſſiſtente, & miniſtrante, Pontifex ponit incenſum in

thuri-

thuribulo, dicens: *Ab illo benedicaris &c.* Tum Papa ſupplicabundus vadit ad confeſſionem ante gradus Altaris, duobus auditoribus fimbrias elevantibus a pedibus. Ordo procedendi: thuriferarius, duo ceroferarii, in quorum medio Crucem ferens, Subdiaconus latinus librum Evangeliorum, & in eo manipulum Papæ incluſum ante pectus geſtans. Inde Diaconus Evangelii cum Epiſcopo Cardinali aſſiſtente, quem ſequitur auditor ad mitram ſerviens, medius inter duos cubicularios ſecretos, deinde Epiſcopi aſſiſtentes. Inter Altare & ſedem, in qua Papa paramenta accipit, occurrunt Papæ tres ultimi Presbyteri Cardinales, quorum ſenior primo, deinde alii duo per ordinem, Pontificem in ore primò, deinde in pectore oſculantur, Subdiaconus interim librum Evangeliorum cerimoniario tenendum tradens, Papam ambabus manibus, retro ad ejus ſpatulas appoſitis, ſuſtentat. Inde Cardinales illi tres, cum Papa ante Altare ſe firmaverit, redeunt ad loca ſua. Idem facit Subdiaconus cum Cruce, & ceroferarii, thuriferarius vero ad cornu epiſtolæ Altaris genuflexus expectat finem confeſſionis, cum Papa fuerit ante gradus Altaris. Diaconus Evangelii deponit ei mitram, & eam auditori tradit, ad hoc ſervienti. Papa medius inter Epiſcopum Cardinalem a dextris, & Diaconum Evangelii a ſiniſtris ſtans, facit confeſſionem more ſolito, duo Diaconi Cardinales aſſiſtentes ſtant poſt Papam, & aliquantulum ſe retrahunt, Epiſcopo & Diacono cedentes, poſt Diaconus, & Subdiaconus genuflexus perſiſtit cum libro Evangeliorum & manipulo intus, quem imponit Papæ, dicto *Indulgentiam*, prius tamen ejus manum oſculatur; facta confeſſione, Papa aſcendit ad Altare, & illud in medio oſculatur, Subdiaconus *librum Evangeliorum* aperiens illum oſculandum Papæ offert in cornu Evangelii, Epiſcopo Cardinali aſſiſtente ipſum adjuvante. Quo facto, Diaconus Evangelii ad dextram Pontificis in medio Altaris ſtantes accedens, & una cum eo thuriferarius in-

cenſum

cenſum & thuribulum Papæ offerunt, qui impoſito incenſo, ut ſupra, Altare incenſat more conſueto. Et adverte, quod, dum Papa eſt apud Altare, Diaconus Evangelii ſemper miniſtrat incenſum, & incenſat Pontificem; cum autem Papa eſt in ſede, tunc Cardinalis Epiſcopus, ſive Presbyter, aſſiſtens hoc facit. Incenſato Altari, Pontifex tradit thuribulum Diacono Evangelii, & in cornu Epiſtolæ ſtans per Diaconum a dextris aſſiſtentem, aſſumpta mitra a Diacono evangelii ibidem incenſatur, & ad medium Altaris ſe retrahens, adhuc verſus, ut incenſatus eſt, ſtans cum mitra Diaconos Cardinales primo Evangelii, deinde aſſiſtentes duos tantum ad oſculum oris primo, deinde pectoris recipit. Inde Papa cum mitra, facta Altari reverentia, vadit ad ſedem ſuam eminentem, in qua ſtans detracta mitra dicit *Introitum, & Kyrie-eleiſon*, cum Cardinalibus aſſiſtentibus, Epiſcopo Cardinali aſſiſtente librum ſuper caput tenente, juvantibus ipſum duobus Epiſcopis aſſiſtentibus, ut *alias* dictum eſt. Diaconus & Subdiaconus latini manent in cornu Epiſtolæ Altaris, & ſimul dicunt *Introitum*, & reliquum Miſſæ tempore ſuo, cum quibus Diaconus & Subdiaconus græci dicunt, *& in terra & patrem.* Deinde Papa reſidet cum mitra, & per auditorem, qui ſervit de gremiali, imponitur ei gremiale ſuper genua, quod gremiale dictus auditor ſemper ſervat captum ex credentia, & cum Papa ſedet, illud imponit ſuper genua, & cum ſurgit, illud accipit, & ſervat, quouſque Papa lavat manus poſt offertorium, tunc portat gremiale ad credentiam, & Diaconi aſſiſtentes ſedent in ſcabellis hinc inde juxta Papam more ſolito. Epiſcopus vero Cardinalis aſſiſtens ſedet ſuper cathedram nudam, ſeu in faldiſtorium inter Diaconum a dextris Papæ, & ſedem Cardinalium juxta murum ſibi paratam. Diaconus vero Evangelii cum Papa ſederit, & alii Cardinales aſſiſtentes, ſedet & ipſe in ſiniſtro cornu Altaris, videlicet epiſtolæ ſuper ſcabellum ibidem poſitum, vertens faciem ad cornu

Evan-

Evangelii. Diaconus autem græcus ſuper gradum Altaris ſedet in cornu Evangelii, & Subdiaconus latinus, & græcus in cornu Epiſtolæ ſuper inferiorem gradum, vultu ad Pontificem verſo, finito *Kyrieeleiſon*, detracta Papæ mitra, & tenente Epiſcopo librum, ut ſupra, elevatis manibus juxta altitudinem humerorum, & eorum diſtantiam, extenſis digitis, ſed non disjunctis, ſtans verſus Altare, dicit: *Gloria in excelſis*. Et cum dicit *Deo*, jungit manus ante pectus, deinde ea cum Cardinalibus aſſiſtentibus tantum plane perlecta reſidet; & finita *Gloria*, depoſita mitra, ſurgit, & dicit, manibus elevatis verſus ad populum: *Pax vobis*. Deinde orationem, Epiſcopo Cardinali aſſiſtente, ut ſupra, librum tenente: Interim Subdiaconus portans librum epiſtolarum ante pectus, vadit ad legendum epiſtolam, altero ex Clericis cerimoniarum ipſum aſſociante: finitis orationibus, Subdiaconus ſtans in loco conſueto, videlicet inter cornu Epiſtolæ & ſedem eminentem Papæ per transverſum, ita, quod a dextris Altare, & a ſiniſtris Papam habeat, ſibi ipſi librum tenens, cantat Epiſtolam, & Papa cum mitra ſedet, Subdiaconus vero, finita epiſtola, retrahit ſe aliquantulum, & immediate Subdiaconus græcus per cerimoniarium ſuum cum debitis reverentiis ad eundem locum, in quo latinus cantavit, deducitur, ubi & ipſe ſtans verſus, & librum tenens, ut alter, cantat epiſtolam græcam, qua finita, ambo Subdiaconi, ſimul cerimoniario præcedente, accedunt ad oſculum pedis Papæ, latinus primus, deinde græcus, inde ambo redeunt ad Altare, & ibi latinus cum Cardinale Diacono legit epiſtolam & alia, aſſiſtentes vero Epiſcopi portant librum Papæ, & uno ipſorum illum ſupra caput teneante, Papa legit epiſtolam, graduale, & Evangelium, cum cantatur graduale, vel ſequentia, ſic cantatur, Diaconus Cardinalis Evangelii accipit librum Evangeliorum, & portans illum ante pectus ſuum, vadit ad Altare, & ſupra illud librum ponit, quo ibidem dimiſſo, cum debitis reve-

 rentiis

rentiis vadit ad Papam, coram quo ſtans, capite inclinato manum ejus reverenter oſculatur, cerimoniario eum aſſociante, deinde revertitur ad Altare, coram quo genuflexus dicit: *Munda cor meum &c.* tunc accipit librum Evangeliorum de Altari, & illum tenet ante pectus; interim paratur pulpitum cum velo aureo per Clericos capellæ in loco conſueto, id eſt, apud gradum Altaris in cornu dextro, ita ut vertat ſuam faciem ad ſiniſtram, non ad corpus Altaris, & ſeptem acoluthi cum ſeptem intorticiis, & alius acoluthus, cum thuribulo & navicella, vadit ad Papam cum Epiſcopo Cardinali aſſiſtente, quo miniſtrante, ut ſupra, Papa imponit incenſum, & acoluthus revertitur ad ſeptem acoluthos ceroferarios, qui parati ſunt cum ſeptem candelabris, ſive ſeptem intorticiis accenſis, Cardinalis vero Epiſcopus ad cathedram ſuam nodam. Hora competenti proceditur ad locum Evangelii, hoc ordine: Cerimoniarius, thuriferarius, ceroferarii, Subdiaconus, Diaconus, qui cum ante Papam fuerit, ſtans capite inclinato verſus ad Pontificem dicit: *Jube Domine benedicere,* & accepta benedictione, vadit ad pulpitum, ponit librum ſuper illud, & ſeptem ceroferarii faciunt circulum ante eum. Subdiaconus vero, ſtans poſt pulpitum inter illud & Ceroferarios, pulpitum amplectitur, & ambabus manibus ex utraque parte tangit librum Evangeliorum: Diaconus junctis manibus dicit: *Dominus vobiſcum;* & cum dicit: *Sequentia Sancti Evangelii,* ſignat pollice dextro librum, deinde frontem, os, & pectus, cum reſpondetur, *Gloria tibi, Domine,* incenſat ter librum, primo in medio, deinde a dextris & ſiniſtris. Finito Evangelio, factis reverentiis conſuetis, Diaconus cum quinque ceroferariis revertitur ad Altare, ſtans ibidem juxta ſcabellum ſuum. Subdiaconus vero capit librum Evangeliorum ante pectus, & ibidem juxta pulpitum a latere expectans finem Evangelii græci, duo ceroferarii cum thuriferario etiam manent juxta pulpitum hinc & inde. Diaconus

nus vero græcus accipit librum ſuum, ponens illum ante pectus, vadit ad Altare, & dimiſſo ſuper Altare libro, Cerimoniario præcedente, & pedem Papæ diſcooperiente & cooperiente, vadit ad oſculum pedis Papæ, niſi forte eſſet Epiſcopus, tunc non pedem, ſed genu dextrum Papæ oſculari debet, tum ad Altare revertitur, coram quo genuflexus dicat: *Munda cor meum &c.* Deinde ſurgit, accipit librum Evangeliorum ante pectus, & præcedente eum Subdiacono ſuo, poſt Cerimoniarium, vadit ad gradus ſedis Papæ, ubi genuflexus petit benedictionem; qua habita, vadit ad pulpitum, ponit deſuper librum. Subdiaconus vero græcus ſtans retro ad pulpitum, tenet, ut latinus fecerat, Diaconus deinde dicit, ſignat & incenſat, ut de latino diximus, Subdiacono ſibi reſpondente. Finito Evangelio, Subdiaconus capit librum, & Diaconus cum duobus ceroferariis redit ad Altare, ad ſua loca: lectis Evangeliis, Subdiaconi portant libros apertos ad oſculandum, primo latinus, deinde græcus. Tum Papa ſtans ſine mitra, per Epiſcopum Cardinalem ad gradus ſolii ſtantem incenſatur more conſueto, deinde Papa dicit: *Credo in unum Deum,* & plane cum aſſiſtentibus tantum Cardinalibus perficit ſymbolum, & cum cantatur: *Et incarnatus eſt,* cum mitra caput verſus ad Altare humiliter inclinat, Cardinales autem & alii omnes genuflectunt, quouſque dictum ſit, *&* *Homo factus eſt,* quo dicto, omnes ſurgunt & ſedent. Diaconus vero cum Subdiacono latino vadunt ad credentiam Papæ, ubi paratus erit unus ſcutifer Diaconi cum vaſis & duobus mancilibus pro lavandis & extergendis manibus, quibus lotis, ad Altare redeunt, ubi per ſacriſtam Papæ porrigitur eis quædam tobalea ſericea, quam ſuper Altare explicant, deinde Subdiaconus vadit ad credentiam Sacriſtæ, ubi imponitur ei per cerimoniarium quidam panniculus propter hoc confectus, qui retro ad collum ligatur & ſtringitur, ut ante a collo dependeat, & ipſum ad longitudinem brachio-

rum cooperiat, & accipiens burſam cum corporalibus, & ſuper eam hoſtiaria cum hoſtiis, & deſuper purificatorium, omnia diſcooperta cum debitis reverentiis ad medium Altaris portat, & Diacono latino apud Altare expectanti conſignat, qui ea accipiens ponit ſuper Altare verſus cornu epiſtolæ, ſimul & purificatorium & hoſtiariam de corporalibus, & ibidem prope ponit, extrahit corporalia de burſa, & explicat in loco ſuo, burſam vero ponit inter crucem & corporalia, vel alio convenienti loco, ubi non impediat. Interim ſacriſta de ſua credentia dat uni Acoluthorum ampullas vini, & aquæ vacuas, duobus velis aureis coopertas, & ſub axilla ſiniſtra patenam unam argenteam, ipſe vero Sacriſta aureum velum circa collum habens, accipit e dicta ſua credentia calicem cum patena, cum quibus Pontifex eſt celebraturus, & parvum quoddam coclear aureum ſuper patenam ponit, quæ omnia parte dicti veli cooperta, præcedentibus duobus ſervientibus armorum, & ſequenti dicto Acolutho, ad credentiam Papæ defert, ubi cum aqua, de qua credentiarius primum probam faciat, mundat ac tergit calicem, patenam, coclear, ampullas & pateram, deinde implet ampullas vino & aqua, & ex ampullis dat credentiariis in unam eorum pateram, ut faciant credentiam ſive probam, & reſtituit ampullas & pateram Acolutho, qui eas portavit, aquas ut prius cooperit, & pateram ſub axilla ponit; Sacriſta vero cum calice, patena & cocleari coopertis, ut venit præcedentibus dictis duobus ſervientibus armorum & Acolutho, vadit ad cornu epiſtolæ Altaris, & ponit omnia in dicto cornu ſuper Altare. Et Diaconus latinus, accipiens tres hoſtias ex hoſtiaria, ponit eas ordinatim ſuper patenam, ſicque Papam expectant. Finito *Credo*, Papa depoſita mitra ſurgit, & dicit: *Dominus vobiſcum, & Oremus*, & lecto Offertorio, ſedet, reponitur ſibi mitra, & per Diaconos aſſiſtentes extrahuntur ei annuli & chirothecæ, & Papa abluit manus ordine conſueto, quibus lotis, reponuntur ei annuli

per

per Diaconos aſſiſtentes, ubi prius erant, & Papa deſcendit ad Altare, duobus auditoribus ſemper fimbrias elevantibus, ubi Diaconus Evangelii latinus extrahit ei mitram; interim duo Epiſcopi aſſiſtentes, prævenientes Pontificem, ponunt Miſſale ſuper Altare in cornu Evangelii ſuper pulvinum. Et Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens dicit, quæ ſunt dicenda, & ea digito ſuo Papæ ſemper oſtendit. Diaconus vero Evangelii latinus accipit hoſtiam unam de tribus, quæ ſunt ſuper patenam, & cum ea alias duas hoſtias tangit, & eam dat Sacriſtæ comedendam; deinde accipit aliam hoſtiam de duabus quæ remanſerant, & cum ea tangit patenam, & calicem, per totum intus & extra, & ſimiliter dat eam Sacriſtæ comedendam; poſthæc de ampullis vinum & aquam in patera dat Sacriſtæ prægustandum, & deinde accipiens patenam cum hoſtia, eam dat in manibus Papæ, qui illam Deo offerens dicit: *Suſcipe, ſancte Pater &c.* Tunc idem Diaconus ponit vinum in calice ad ſufficientiam pro tribus: Subdiaconus vero latinus accipit coclear prædictum, ſuper quod Sacriſta imponit aquam ex ampulla; & Subdiaconus inclinatus verſus ad Pontificem dicit: *Benedicite*, &, benedictione accepta, ſimul cum Diacono latino infundit in calicem, quem Diaconus dat in manus Papæ, & ſimul cum Papa calicem tangens, illum offerunt dicentes: *Offerimus tibi, Domine &c.* Et Papa ponit eum ſuper corporalia, cum eo ſignum Crucis faciens, quem mox Diaconus palla cooperit, Subdiacono vero latino per cærimoniarium imponitur quoddam velum circa collum, retento etiam panniculo, quem prius habebat, & patena in manu dextra, & dicto velo cooperitur, cum qua poſt Papam vadit, & ibi ſtans permanet uſque circa finem *Pater noſter.* Interim unus Acoluthorum cum thuribulo & navicella accedit ad cornu epiſtolæ Altaris, & cum Papa dixerit: *Veni ſanctificator &c.* offert naviculam Diacono latino, & thuribulum Papæ, qui imponit incenſum, dicens: *Per interceſſionem &c.*

 Deinde

Deinde Pontifex, accepto thuribulo de manu Diaconi, incenſat primo oblata, Diacono pedem calicis tenente, deinde Altare more conſueto, & demum in cornu epiſtolæ reddit thuribulum Diacono, & accepta mitra ſtans ibidem a Diacono incenſatur, & mox, accedentibus miniſtris, & nobili cum aqua, tertio lavat manus, ordine conſueto. Interim vero Diaconus Evangelii, ut Pontificem incenſavit, primum incenſat Epiſcopum, & Diaconos Cardinales aſſiſtentes, juxta Altare & Pontificem in ſuis locis ſtantes, poſtea omnes Cardinales, omnes Reges, & magnos Principes, ſi qui adeſſent, deinde Epiſcopos aſſiſtentes, incipiens ab illis, qui de libro & candela ſerviunt, alii namque poſt Pontificem inter Altare & ſolium circulum faciunt; deinde dat thuribulum uni ex Subdiaconis cum ſuperpellicio aſtanti, qui incenſet primo Diaconum Evangelii, ſtantem medium inter alios duos Diaconos aſſiſtentes, poſtea Prælatos omnes paratos, deinde alios more conſueto. Finitis orationibus ſecretis, Pontifex, poſitis ambabus manibus hinc inde ſuper Altare, incipit cantando: *Per omnia ſecula ſeculorum, &c.* Et cum dicit: *Surſum corda*, elevet aliquantulum manus, & disjunctas teneat; cum dicit: *Gratias agamus*, altius elevat; & cum dicit deinde: *Deo noſtro*, jungit ambas manus ante faciem, & caput devote inclinat, deinde iterum disjungit manus, & disjunctas tenet uſque ad finem præfationis, qua finita, jungens iterum manus ante pectus dicit: *Sanctus &c.* Clerici vero capellæ in tempore accendunt octo intorticia, quæ per Cerimoniarium dantur Acoluthis Apoſtolicis, &, ipſis deficientibus, Auditoribus, qui ipſi poſt Epiſcopos aſſiſtentes, per ordinem ſtantes, accenſa tenent uſque poſt communionem Pontificis, & omnium aliorum a Pontifice ſe communicantium. Cum elevatur Sacramentum, poſito per aliquem incenſo, acoluthus incenſat more conſueto; poſt elevationem autem Sacramenti, mox ſacriſta cum velo circa collum, ut ſupra, accipit calamum

calamum quendam aureum cum ſuo ſtilo, panno ſericeo involutum, manu dextra, & ſiniſtra quendam calicem, quem parte dicti veli, a collo pendente, cooperit, & præcedente Acolutho, cui ampullas vini & aquæ coopertas, ut prius, dederat, & ſub una axilla pateram conſuetam, ſub alia vero axilla pateram auream parvam cum anſa, præeuntibus duobus ſervientibus armorum ad credentiam Pontificis vadunt, ubi Sacriſta accepto in una magna patera vino, a credentiariis ſibi porrecto, quod ante prægustaverat, lavat diligenter, & abluit calicem, calamum etiam, pateram parvam auream, ampullas vero vino & aqua evacuat, & recenti vino & aqua implet, quæ omnia credentiarii prælibant. Et ordine, quo venerant, revertuntur. Sacriſta autem omnia ſuper Altare ponit in cornu epiſtolæ. Cum Pontifex dicit: *Benedicis, & præſtas nobis,* Diaconus Evangelii latini detegit calicem, & Pontifice dicente: *Per ipſum &c.* ſignante calicem digitis dextræ manus, pedem calicis tenet, & Hoſtia ſuper corporalia repoſita, tegit calicem, & ad ſuum locum poſt Pontificem revertitur. Tum Pontifex, poſitis ſuper Altare manibus disjunctis, incipit cantando: *Per omnia &c.* Et cum dicit: *Pater noſter*, elevat manus ante pectus, & eas ſic usque ad finem tenet, cum dicit: *Et dimitte nobis*, Subdiaconus patenam tenens, facta Altari reverentia, vadit ad cornu Epiſtolæ, & patenam dat Diacono Evangelii, velum vero cerimoniarius ſuper credentiam Sacriſtæ reponit. Cum Papa dicit orationem: *Libera nos &c.* Diaconus Evangelii patenam ipſam tradit Pontifici, qui ſe cum ea oratione finita ſignet more conſueto, & eam ſupponat Hoſtiæ. Diaconus vero calicem detegat, ſupra quem Pontifex Hoſtiam frangat, & particulam illam, quæ in dextra manu reſtat, ſuper Calicem paululum elevatum tenens, dicit cantando: *Per omnia &c. Pax Domini &c.* Et ſignat ter cum particula ſuper calicem, deinde eam in calice deponit, tum dicit ſubmiſſa voce *Agnus Dei.* Et cum Pontifex Altare deoſculatur, dicit: *Pax tecum.*

Epiſco-

Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, oſculato prius Altari, a Pontifice pacem accipit, oſculando ipſum in ore, deinde in pectore; ſimili modo duo Diaconi Cardinales aſſiſtentes a Pontifice pacem accipiunt, ipſum primo in ore, deinde in pectore oſculando, Altare autem non oſculantur: Diaconus autem Evangelii a Pontifice nunc pacem non accipit, ſed poſtquam ipſum Papa communicaverit, accepta pace a Pontifice, Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens præcedente cerimoniario defert pacem aliis Cardinalibus, Regi & nobiliſſimo cuique, ſi adſunt ordine ſuo, deinde primo Epiſcopo aſſiſtenti, videlicet ei, qui de libro ſervit, qui aliis pacem ſubminiſtrat, poſt hæc uni ex Subdiaconis in ſuperpellicio, qui pacem proſequitur, Prælatis paratis cum Vice-Camerario, ſi ſit Protonotarius, & aliis more conſueto, poſtquam Pontifex pacem dederit Epiſcopo & Diaconis Cardinalibus aſſiſtentibus, capite diſcooperto aſcendit ad ſedem eminentem, quem ſequuntur Epiſcopus & Diaconi Cardinales præfati, & alii Epiſcopi aſſiſtentes cum libro & candela accenſa, & ibi ſtans capite detecto & inclinato, Pontifex verſus ad Altare, aliis Cardinalibus & Epiſcopis aſſiſtentibus in locis & officiis ſuis miniſtrantibus; Diaconus Evangelii apud Altare detecto capite patenam cum Sacramento reverenter accipiens, & ambabus manibus tenens, eam in altum usque ad oculos elevat. Et primo vertit ſe a latere ſuo dextro, videlicet epiſtolæ, usque ad medium circulum, id eſt, ut ejus renes ſint ad Altare, & per eandem viam revertitur, ut prius erat, ſecundo a ſiniſtra parte usque ad medium, deinde procedens verſus cornu dextrum, videlicet Evangelii, ubi Subdiaconus expectat, genuflexus patenam cum Sacramento ſumma reverentia ei tradit, & mox Subdiaconus ſurgit, & Diaconus genuflectit, quousque Subdiaconus diſcedat, & portet Sacramentum ad ſiniſtram manum Papæ, & altero Cerimoniariorum ejus fimbrias attollente, & Pontifex advenienti Sacramento profunde ſe inclinat, & illud reverenter

adorat;

adorat; cum Subdiaconus pervenit ad Pontificem, ſtet ad ejus ſiniſtram erectus, & non genuflexus. Diaconus vero, accipiens Calicem diſcoopertum ex Altari, eo modo ſe vertit, ut de patena fecerat, indè accedit cum calice ad Pontificem, ad dextrum ejus latus. Cerimoniarius ſimiliter ei fimbrias levat, tunc Papa dictis orationibus opportunis ſumit unam partem corporis Domini, Subdiacono continuo patenam tenente, aliam vero partem in duas partes dividit pro Diacono & Subdiacono. Interim ſacriſta velum circa collum tenens, ut ſupra, accipit calamum aureum in ſiniſtra, & Calicem, de quibus ſupra diximus, velo coopertos in dextra, & antecedente Acolutho, ampullas vini & aquæ coopertas portante, & ſub ejus axillis duas pateras ſupradictas tenente, accedunt ad Pontificem, cui Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, capiens calamum prædictum, illum diſcooperit, & vino ex ampulla cum ſtilo intus mundat ſuper calicem, quem adhuc tenet Sacriſta, deinde vinum infundit in pateram argenteam, imponens modicum de aqua, ex alia ampulla, & dat Sacriſtæ pro credentia. Et cum Pontifex corpus Chriſti ſumpſerit, Epiſcopus Cardinalis porrigit ei calamum, quem Papa ponit in Calice in manibus Diaconi exiſtente, & ſanguinis partem ſugit, reſiduum cum particula hoſtiæ dimittit pro Diacono & Subdiacono. Tunc Diaconus Calicem dextra tenens, & calamum ſiniſtra, quem tamen de Calice non extrahit, ſtans inclinato capite Pontificis manum dextram exoſculatur reverenter, ex ejus manibus de corpore Chriſti communicat. Item, oſculata Pontificis facie, cum calice, calamo, Sacramento ad Altare revertitur, & calamo in ſiniſtro cornu ſtans ſanguinis partem ſugit. Interim Subdiaconum coram ſe genuflexum, & ejus dextram prius deoſculatum, Pontifex de reſiduo corporis Chriſti communicat, & ſimpliciter ei oſculum pacis donat, qui ad Diaconum cum patena elevata ad cornu Altaris accedens, & ipſe de ſanguine

cum calamo ſugit, cum primò diligenter patenam ſuper calicem excuſſerit, curaveritque, ne aliqua particula in ea remaneat ſacramenti, ac unus eorum particulam in Calice exiſtentem ad labia Calicis retrahit, & eam ſumit. Impoſito deinde in Calicem vino albo, ſe purificant, & Calicem ad credentiam Sacriſtæ reſtituunt. Cum primum vero Pontifex Subdiaconum communicaverit, Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens, imponens ex ampulla vinum in calicem, quem Sacriſta portavit, dat Papæ ad purificandum. Quo purificato, Sacriſta cum Calice illo, & patera argentea ad credentiam ſuam redit, & Prior Presbyterorum Cardinalium ampullam vini manu dextra, & pateram auream manu ſiniſtra ab Acolutho accipiens, Pontificis digitos ſuper dictam pateram vinum effundendo abluit, & reddita Acolutho ampulla, pateram cum vino ad Altare reportat, conſignatque miniſtris, & ad locum ſuum redit. Epiſcopus vero Cardinalis album panniculum, quod purificatorium appellant, ſibi ad hoc a Sacriſta aſſignatum Pontifex tradit, cum quo digitos tergit, deinde Acolutho illud reſtituit cum ampullis ad credentiam ſacriſtæ reportandum. Pontifex autem, facta purificatione, mitram accipit, & ſedens quartò lavat manus ordine ſupradicto, nobiliori aquam miniſtrante. Interim duo primi Epiſcopi aſſiſtentes præcedunt ad ſiniſtrum cornu Altaris cum libro, pulvino & candela, & Pontifex lotis, terſisque manibus ſurgens deſcendit a ſede eminenti ad Altare, ubi ante gradum inferiorem, depoſita mitra per Diaconum Evangelii, accedit ad Altare, oſculatur illud in medio, vadit ad cornu Epiſtolæ, ubi liber paratus eſt, & dicit poſt communionem, tum redit ad medium Altaris, & illo oſculato verſus ad populum ſtans dicit: *Dominus vobiſcum,* & interea, dum reſpondetur: *Et cum ſpiritu tuo,* vadit ad librum, ubi dicit: *Oremus, & orationem,* qua in totum finita, cum reſpondetur *Amen,* revertitur ad medium Altaris, illud oſculatur, & iterum ad populum dicit:

Dominus

Dominus vobiſcum, & reſponſo dato: *Et cum ſpiritu tuo;* Diaconus Evangelii ſtans poſt Papam, medius inter duos Cardinales aſſiſtentes, cantat: *Ite, miſſa eſt*, verſus ad populum, ut Pontifex. Interim Subdiaconus non Epiſtolæ, ſed alius accipit Crucem, & eam portat ante Pontificem inter ipſum & populum. Reſponſo: *Deo gratias;* Pontifex ſtans inclinato capite in medio Altaris dicit: *Placeat tibi &c.* Quo dicto, benedicit populo ſolenniter, dicens: *Sit nomen Domini benedictum &c.* Data benedictione per Pontificem, Epiſcopus Cardinalis aſſiſtens ad ſiniſtram Pontificis, verſus ad populum, pronunciat indulgentias ſub his verbis: *Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter, Dominus N. divina providentia Papa octavus dat, & concedit omnibus hic præſentibus plenariam indulgentiam, vel tot annos, & totidem quadragenas de vera indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta: Orate Deum pro felici ſtatu ſuæ Sanctitatis, & ſanctæ matris Eccleſiæ.* Interim dum indulgentia hujuſmodi pronunciatur, Diaconus Evangelii extrahit Papæ pallium, & illud ſupra Altare reponit. Cardinales etiam, & Prælati omnes paramenta ſua deponunt, & conſuetum habitum accipiunt. Pontifex vero ſic paratus ad palatium revertitur cum baldachino, aſſociatus a Cardinalibus in cappis, Diaconi tamen parati ex decenti more deberent comitari Pontificem, Miſſalibus indumentis adhuc paratum, usque ad cameram ſuam. *Et nota*, quod hac die Domini Diaconi Cardinales, & omnes alii officiales Papæ non ſacerdotes debent communicare de Sacramento Altaris.

CAPUT XV.

De traditione enſis, & pilei; cujus benedictionem require ſupra in prima parte.

(Lib. I. Sect. VII. c. 6.)

SI Pontifex hoc die traditurus eſt enſem cum pileo alicui Principi, vel nobili, in Romana curia præſenti, ſi illum in

matutinis non dedit, finita Miſſa, Pontifex aſcendit ſedem ſuam eminentem, coram quo genuflectit Princeps vel nobilis, circumſtantibus Dominis Cardinalibus, & tenente ante Pontificem uno ex Clericis cameræ enſem, cum pileo prædicto. Pontifex eum alloquitur hoc modo: (*Conſuevit hoc aliquando fieri in camera Papæ, poſtquam ipſe fuit paratus in corona Cardinalium.*) *Solent Romani Pontifices in præclara natalis Domini celebritate &c.* ut ſupra in benedictione enſis.

His dictis, Pontifex tradit enſem cum pileo Principi, vel nobili prædicto, qui illis acceptis, Pontificis pedem oſculatur devote, & gratias agit, tum enſem cum Galero hujusmodi tradit uni ex familiaribus ſuis, ipſe autem in ordine, & loco ſuo vadit ante Pontificem, & ipſum uſque ad cameram Papagalli comitatur, præcedente ſemper immediate ante eum illo, qui enſem cum pileo portat. Deinde deduci debet nobilis ipſe ab omnibus Prælatis palatii, & familia Papæ, & ab oratoribus & baronibus urbis, ac alii nobilibus amicis ſuis uſque ad domum habitationis ſuæ *hoc ordine:* Primo equitabunt familiares, & curiales omnes in brevibus, deinde ſcutiferi Papæ, quos ſequuntur barones Romani, & oratores, deinde Comites & Duces, ſi qui ſint, poſt hos ſervientes armorum, & poſt eos enſem cum pileo geſtans, quem immediate ſequitur ille, cui datus eſt enſis medius inter duos ſeniores Prælatos palatii; deinde ſequentur alii Prælati palatii, & Prælati oratores, & alii ſucceſſive, cubicularii, & alii Capellani, & togati. Cum deductus ipſe domum pervenerit, ibidem in loco convenienti ſe firmet deducentes verſus, & capite detecto agat gratias ſingulis Prælatis illis, cum ante ipſum equitant, recedentes caput inclinando, & poſt receſſum omnium Prælatorum caput tegat, & domum ſuam intret, & recedant omnes. Ordo prædictus obſervatus fuit in die Nativitatis Chriſti, *anni milleſimi, quadringenteſimi, octuageſimi quinti,* Pontificatus Domini INNOCENTII *Papæ octavi,*

Anno

Anno primo, qua per præfatum Pontificem enſis cum pileo datus fuit *Illuſtriſſimo Domino* FRANCISCO de ARAGONIA, *Filio quarto* nato FERDINANDI Siciliæ Regis, ad præſtandum obedientiam nomine Regis genitoris ſui Summo Pontifici, cum quibusdam aliis Prælatis, & Dominis Romam miſſo, qui in matutinis cum cerimoniis prædictis cantavit quintam lectionem, & finita Miſſa deductus fuit de palatio per Prælatos palatii, & alios curiæ cubicularios, & ſcutiferos Papæ, ac Ducem Amavitanum, Comites Morcomii, & montis Agani, oratoresque quam plures usque ad palatium Urſinorum in campo floræ, quod Reverendiſſimus Dominus JOANNES de ARAGONIA, *Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis*, ejus germanus ſecundo natus, ad cujus dextram ipſe Dominus Franciſcus continuo equitavit, inhabitabat. Si vero enſis prædictus daretur alicui Regi in curia præſenti, deduci debet ab omnibus Cardinalibus & tota Romana curia. Si vero, cui enſis dandus eſt, in curia non eſt, clericus cameræ, qui eum ad Miſſam ante Crucem portavit, eodem modo & ordine cum finita Miſſa reportat ad palatium Papæ, usque ad cameram Papagalli.

CAPUT XVI.

De veſperis in Vigilia Nativitatis Chriſti, Papa in craſtinum non celebraturo.

SI Sanctiſſimus Dominus noſter in die Nativitatis Chriſti non celebraret: Veſperis tamen & Miſſæ intereſſe vellet. Veſperæ hoc modo dicuntur: Hora competenti Papa indutus in camera papagalli amictu, alba, cingulo, ſtola, pluviali albo & mitra precioſa, venit ad capellam more conſueto, orat ante Altare mitra depoſita. Finita oratione, ſurgit, & reaſſumpta mitra aſcendit ad ſolium, ubi ſedens recipit Cardinales ad reverentiam, deinde, depoſita mitra, ſurgit, & ſtans verſus ad Altare ſecrete dicit: *Pater noſter*. Quo finito alte incipit: *Deus in adjutorium*;

torium: & cum incipitur Pſalmus, ſedet, & accipit mitram, & omnes alii ſedent. Prior Presbyterorum Cardinalium incepto Pſalmo vadit ad ſcabellum, & aſſiſtit Pontifici, & ſic omnes ſedent usque ad capitulum. Cum incipitur capitulum, Papa ſurgit cum mitra, & omnes alii ſurgunt. Cum incipitur hymnus, extrahitur mitra Pontifici, qui ſtat usque ad inchoationem antiphonæ ad *Magnificat*. Interim dum hymnus dicitur, unus Acoluthorum extra cancellum capellæ dimittit cappam, & capit ſuperpellicium, & redit ad capellam ſtans cum Clericis cerimoniarum. Incepta antiphona ad *Magnificat*, Papa ſedet, accipit mitram: Acoluthus ſuperpellicio indutus, accedit ad Pontificem cum thuribulo & navicella, & Presbytero Cardinali aſſiſtente miniſtrante, Pontifex ponit incenſum more conſueto. Interim duo ex auditoribus præveniunt ad Altare, & hinc inde ſtantes elevant anteriorem partem ſuperioris mappæ Altaris, & illam plicant usque ad medium, vel circa. Cum incipitur *Magnificat*, Papa cum mitra aſcendit ad Altare, duobus auditoribus fimbrias elevantibus, & Cardinalibus atque Epiſcopis aſſiſtentibus, auditore de mitra ſerviente, & ſecretis cubiculariis ipſum comitantibus. Cum Papa pervenerit ad Altare, in medio deponitur ei mitra, & aſſiſtens Presbyter Cardinalis miniſtrat Papæ thuribulum. Papa incenſat more ſolito Altare: Incenſato Altari, Papa reddit thuribulum Presbytero Cardinali, qui dat Acolutho: accipit mitram, & redit ad ſolium, in quo ſtans cum mitra incenſatur per Presbyterum Cardinalem, ſtantem ante gradus ſolii; deinde Acoluthus incenſat Presbyterum Cardinalem, & alios duos aſſiſtentes, & ſucceſſive omnes Cardinales alios, & alios in capella exiſtentes more ſolito. Cum primum vero Papa recedit de Altari, illi duo auditores mappam Altaris, ut prius erat, explicant, alii duo fimbrias Papæ elevant usque ad ſolium. Interim cum dicitur *Magnificat*, duo alii acoluthi extra cancellum capellæ, dimiſſis cappis, ſuperpelli-

perpelliciis induuntur, redeunt ad capellam, & cum cerimoniario ſe locant. Finita antiphona ad *Magnificat,* præcedente cerimoniario, duo Acoluthi præfati cum candelabris & candelis accedunt ante gradus ſolii Papæ, medium inter ſe habentes Clericum cerimoniarum. Papa ſurgit, &, depoſita mitra, dicit: *Dominus vobiſcum,* quaſi verſus ad Altare: *Oremus.* Interim accedunt ante Pontificem duo primi Epiſcopi aſſiſtentes, primus cum libro, alius cum candela, & Papa dicit orationem; & cum dicit in fine orationis: *Per omnia ſecula ſeculorum,* illi duo Epiſcopi, aſſiſtentes cum libro, & candela, ad ſuum locum revertuntur, cum Papa dicit: *Dominus vobiſcum;* ſecundo Acoluthi factis ſolitis reverentiis revertuntur ad Altare, ubi candelabra ad ſuum locum reponuntur. Interim unus Subdiaconorum accipit Crucem, quam portat ante Pontificem, finito *Benedicamus Domino Deo gratias,* Papa ſtans dat benedictionem, dicens: *Sit nomen Domini &c.* & non indulgentias, Papa benedicente, unus Protonotariorum genuflexus ſupra ſcabellum ante Pontificem tenet auriphrygium ſiniſtri lateris pluvialis Papæ in tranſverſum ante umbiculum Pontificis. Pontifex data benedictione ſedet, accipit mitram, & vadit ad faldiſtorium, ubi genuflexus orat cum mitra, ſurgit, & redit ad cameram, auriphrygium pluvialis hinc inde Diaconi aſſiſtentes portant nunc & in omnibus ſolennitatibus, aliis vero diebus aliquis ex Protonotariis Apoſtolicis auriphrygii fimbrias ſimul junctas a latere Pontificis defert, fimbrias vero poſteriores aliquis Princeps, vel nobilis ex laicis.

CAPUT XVII.

De miſſa in die Nativitatis Chriſti Papa præſente non celebrante.

IN die Nativitatis Chriſti Pontifice non celebrante, unus Epiſcoporum Cardinalium rem divinam peragit hoc ordine;

ordine; hora competenti perveniet ad Eccleſiam, ſeu capellam, Cardinalis celebraturus, & paramenta accipiet, eo ordine, ut ſupra in prima Dominica Adventus eſt expreſſum, ſic paratus Pontificis Adventum expectans. Pontifex autem paratus in camera papagalli amictu, alba, cingulo, ſtola, pluviali, & precioſa mitra venit ad Eccleſiam ſeu capellam. More conſueto orat, facit confeſſionem, fit ei reverentia, & alia obſervantur, prout ſupra in prima Dominica Adventus eſt expreſſum, finito a cantoribus *ultimo Kyrieeleiſon*, celebrans depoſita mitra ſtans verſus Altare dicit: *Gloria in excelſis Deo*, & Cardinales cum Pontifice perficiunt: *Et in terra Pax &c.* Et nota, quod, quando dicitur *Gloria* in Miſſa, Cardinales cum dixerint introitum & *Kyrieeleiſon* cum Papa, non recedunt de circulo, ſed expectant, quousque per celebrantem incipiatur *Gloria*, & cum Pontifice hymnum angelicum perficiunt, deinde factis reverentiis revertuntur ad ſedes ſuas, & Pontifex ſedet cum mitra. Idem facit celebrans, poſtquam & ipſe compleverit cum ſuis miniſtris hymnum, & cum Pontifex ſederit, finito a cantoribus *Gloria*, ſurgunt omnes, & celebrans depoſita mitra ſtans verſus ad populum dicit: *Pax vobis:* Deinde ad dextram verſus ad Altare, *Oremus:* & orationem, quæ unica eſt, cum in Evangelio dicitur: *& verbum caro factum eſt*, Papa celebrans, & omnes alii genuflectunt. Finito Evangelio, celebrans ſtans ſine mitra verſus ad Altare dicit: *Credo*. Interim Papa oſculatur librum Evangeliorum, incenſatur, & Cardinales veniunt ad circulum, non fit ſermo. Alia omnia fiunt, ut in prima Dominica Adventus eſt expreſſum, excepto *Benedicamus Domino*, Diaconus verſus ad populum dicit: *Ite, Miſſa eſt*, quo dicto celebrans cum eo vertitur ad Altare, & dicit in medio Altaris capite inclinato: *Placeat &c.* Interim Cerimoniarius petit a Pontifice indulgentiam, quam celebranti notificat. Papa dat benedictionem more conſueto. Interim celebrans ſtans in cornu epiſtolæ detecto

capite

capite verſus ad Pontificem, data benedictione, verſus ad populum pronunciat indulgentias, dicens: *Sanctiſſimus in Chriſto pater & Dominus noſter, Dominus N. divina providentia Papa X. dat & concedit omnibus hic præſentibus ſeptem annos, & totidem quadragenas de vera indulgentia, in forma Eccleſiæ conſueta, orate Deum pro ſublimi ſtatu Suæ Sanctitatis & ſanctæ matris Eccleſiæ.* Tunc verſus ad Altare, illud in medio oſculatur, dicens: *Dominus vobiſcum.* Sequentia ſancti Evangelii, vadit ad faldiſtorium ſine mitra, ubi exuitur a miniſtris omnibus ſacris veſtibus, accipit cappam, & vadit in pace. Interim etiam Pontifex ad cameram ſuam revertitur. Quod ſi Pontifex ab Eccleſia, vel capella, recederet, antequam celebrans ſacras veſtes depoſuerit, debent duo ſui ordinis Cardinales ipſum expectare, & extra Eccleſiam deducere.

Preces decantatæ, & Cæremoniæ obſervatæ, aperiendo portas ſanctas quatuor Eccleſiarum urbis Romæ pro Anno Jubilæi MDLXXV. Et primo, Eccleſiæ ſancti Petri in Vaticano per S. D. N. D. GREGORIUM, divina providentia Papam XIII. Opt. Max. obſervatas.

Die *vigeſima quarta Decembris*, qua celebratur Vigilia Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, poſt meridiem, hora veſperorum, S. D. N. Papa, indutus cum ſuo pluviali, & Cardinalibus juxta ſuum gradum cum Prælatis paratis, & aliis officialibus ornatis in locis ſolitis exiſtentibus proceſſionaliter incedendo, cruce in ſuo loco præcedente vadunt ad Capellam palatii Apoſtolici, in qua ingreſſi Papa genu flexo ante Sacramentum, & reliqui omnes orant: & interim accenduntur faculæ tradendæ Cardinalibus, & aliis præmiſſis. Cardinalibus vero albæ trium librarum, Prælatis & aliis com-

Nota. Hæc inſerta leguntur in editione Veneta 1584. pag. 137.

muni cera ſex, omne genu flexis. Papa etiam adhuc genu flexo imponit incenſum in thuribulo, & incenſat Sacramentum: quo facto, intonat hymnum: *Veni Creator Spiritus*, & deinde continuant Cantores, recedendo ab ipſa Capella, & vadunt ad Eccleſiam S. Petri, Papa in ſua Cathedra portato, uſque ad portam ſanctam, quæ adhuc eſt murata, & omnes aliæ portæ Eccleſiæ ſunt clauſæ: ibique omnes, ut præfertur, deventi, Papa deſcendit ab ipſa Cathedra, accipiendo candelam ſuam accenſam, aſcendit ad aliam Cathedram, ibi paratam juxta portam ſanctam altius, cum tribus gradibus ſedet in ea aliquantulum, & deinde deſcendit ab ea: & ante portam ſanctam tenens in manibus unum malleum, cum quo ter percutit murum portæ aperiendæ, dicendo ter verſus ſequentes, Cantores in ſingulis reſpondendo, videlicet: Verſ. *Aperite mihi portas juſtitiæ.* Reſp. *Ingreſſus in eas confitebor Domino.* Verſ. *Introibo in domum tuam, Domine.* Reſp. *Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Verſ. *Aperite portas, quoniam nobiſcum Deus.* Reſp. *Quia fecit virtutem in Iſrael.* Hic Papa ad ſedem redeundo dicit: Verſ. *Domine, exaudi Orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Et ſtatim reverſus de porta ad ſedem, Architectores & miniſtri cum ſuis artificiis in ictu oculi diruunt murum portæ ſanctæ, auferendo lapides & ruinas. Et Papa procedit per ſuas preces, dicendo ſucceſſive poſt præmiſſa: Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum Spiritu tuo.* Oremus. Oratio: *Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.*

Qua finita, Cantores cantant Pſalmum: *Jubilate Deo omnis terra*, & alia mototа Jubilationis, & laudis: Interim ablatis lapidibus & ruinis, e porta ſancta abſtractis, qui omnes a populo cum maxima aviditate aufferuntur, quantumvis minima

nima ſeu maxima ſint devotionis cauſa, pœnitentiarii induti presbyteralibus veſtimentis, cum aqua benedicta lavant poſtes portæ ſanctæ.

Aperta porta ſancta & lota, ut præfertur, ante quam Papa ingrediatur, dicit verſus ſequentes, cantores reſpondendo: Verſ. *Hæc dies, quam fecit Dominus.* Reſp. *Exultemus & lætemur in ea.* Verſ. *Beatus populus tuus, Domine.* Reſp. *Qui ſcit Jubilationem.* Verſ. *Hæc eſt porta Domini.* Reſp. *Juſti intrabunt in eam.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus. Oratio: *Deus, qui per Moyſen famulum tuum populo Iſraelitico annum Jubilei & remiſſionis inſtituiſti, concede propitius nobis famulis tuis Jubilei annum hunc tua authoritate inſtitutum, quo portam hanc, populo tuo ad preces tuæ majeſtati porrigendas ingrediente, ſolenniter aperire voluiſti, feliciter inchoare, ut in eo venia atque indulgentia plenæ remiſſionis omnium delictorum obtenta, cum dies noſtræ advocationis advenerit, ad cœleſtem gloriam perfruendam, tuæ miſericordiæ munere, perducamur, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.*

Deinde datur crux in manu Pontificis, qui genu flexo, ante portam ſanctam intonat: *Te Deum laudamus*, & intrat portam ſanctam proſequendo Cantores: *Te Deum confitemur.* Quo ingreſſo, ponitur in ſua ſede, in qua defertur per ſuos parafrenarios, veſtibus rubeis indutos, uſque ad Altare majus ipſius Eccleſiæ S. Petri, & ibi ex ſede deſcendens, orat ante Altare. Quo facto, ad aliam ſedem ibi paratam aſcendit eminentioris loci, inibique ſtando incipiuntur per eum veſperæ conſuetæ Nativitatis.

Eadem die & hora acceſſerunt ad reliquas tres portas ſanctas præmiſſas aliarum Eccleſiarum, tres illuſtriſſimi Cardinales, videlicet, *ad Eccleſiam S. Pauli, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Cardinalis* MURRONUS, *Decanus Collegii.* Ad Eccleſiam *S. Johannis Lateranenſis, Illuſtriſſimus & Reverendiſ-*

 ſimus

ſimus Cardinalis COLUMNA. Ad Eccleſiam *S. Mariæ majoris*, *Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Cardinalis* SFORZA, *Archipresbyter Eccleſiæ*. Qui Cardinales præfati ſingulariter, ſingulas ceremonias & preces decantando, ut præmittitur, ſingulas portas ſanctas ipſarum Eccleſiarum aperuerunt, ſicque omnes per totum præſentem annum, apertæ & patefactæ reperientur, ut omnes Chriſti fideles poſſint continuo conſequi veniam & indulgentiam, ac plenariam ſuorum delictorum remiſſionem, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, totiusque Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, Amen.

Quæ autem futura ſit ejusdem Portæ claudendæ cerimonia, nondum eſt notum, qua autem clauſa fuit anno 1525. a CLEMENTE V. *eſt hæc:*

Die Dominico XXIIII. Decembr. 1525. finitis veſperis Vigiliæ Nativitatis Domini, omnes Prælati parati cum candelis accenſis proceſſionaliter venerunt ad vultum ſanctum, quo oſtenſo, ſimul cum ferro lanceæ, Papa intonavit: *Cum jocunditate exhibitis*, & Cantores proſecuti ſunt Antiphonam conſequentem, ut in *Pontificali*. Interim exiverunt omnes portam ſanctam, & Papa poſt omnes, qui converſus ad portam, incipit verſiculos ſubſequentes, & orationem. Verſ. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* Reſp. *Qui fecit cœlum & terram.* Verſ. *Sit nomen Domini benedictum.* Reſp. *Et hoc nunc, & uſque in ſæculum.* Verſ. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes.* Reſp. *Hic factus eſt in caput anguli.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Summe Deus, qui ſumma, media, imaque cuſtodis, qui omnem creaturam intrinſecus ambiendo concludis, ſanctifica ✠ & benedic ✠ has creaturas lapidis, calcis & ſabuli, per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.* Deinde aſpergitur aqua, & adoletur incenſo, poſt ea ponendo primum lapidem, dicit ſubmiſſa voce: *In fide & virtute Jeſu Chriſti, Filii tui vivi, qui*

Apoſto-

Apoſtolico Principi dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; Collocamus lapidem iſtum primarium ad claudendam hanc portam ſanctam, ſingulo Jubilæi anno reſerandam: In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus Sancti, ✠ Amen.

Interim Cantores cantent Hymnum: *Urbs beata Hieruſalem*, quo finito, Pontifex, lotis manibus, cantet verſus ſequentes. Verſ. *Salvum fac populum tuum, Domine.* Reſp. *Et benedic Hæreditati tuæ.* Verſ. *Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos.* Reſp. *Quemadmodum ſperavimus in te.* Verſ. *Mitte nobis, Domine, auxilium de ſancto.* Reſp. *Et de Sion tuere nos.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens, & benignus exauditor exiſtis, exaudi nos quæſumus, & præſta, ut inviolabilis permaneat hujus loci ſanctificatio, & beneficia tui muneris in hoc Jubilæi anno univerſitas fidelium impetraſſe lætetur: Per Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.*

CAPUT XVIII.

De Veſperis Vigiliæ Nativitatis Chriſti, Papa abſente.

SI vero Pontifex maximus infirmus, aut alias impeditus, veſperis hujus vigiliæ & miſſæ diei intereſſe non poſſet, hoc ordine peragitur officium: Pro veſperis Epiſcopus Cardinalis craſtina die celebraturus prævenit ad Eccleſiam, & facta oratione ante Altare, ſedet in faldiſtorio in convenienti loco præparato, Diaconus capellæ, aut alius aſſiſtens, & miniſtri, ſeu capellani ipſius Cardinalis, usque ad numerum *novem*, omnes ſunt induti cottis. Pontifici, ſacra facturo, ſtanti ante faldiſtorium, per ſcutiferos exuitur cappa, & per aſſiſtentem capellæ & alios capellanos, ſive miniſtros, induitur amictu,

alba, cingulo, cruce, pectorali ſtola, quæ pendeat a ſpatulis, pluviali, & mitra precioſis, ac annulo Pontificali, paramenta omnia per miniſtros ex Altari ordinate portantur, ſic indutus Pontifex expectat adventum Cardinalium, deinde obtenta per cerimoniarium a Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus, de inchoandis veſperis licentia, detrahitur per Capellanum de mitra ſervientem illi mitra, qui ſurgit, & verſus ad Altare dicit ſecrete: *Pater noſter;* quo finito, alte incipit: *Deus in adjutorium.* Reſpondetur a Cantoribus: *Domine ad &c.* Incepto Pſalmo, ſedet in faldiſtorio, & mitra ei imponitur, cum incipitur capitulum, ſurgit, ſtat cum mitra verſus ad Altare, finito capitulo, extrahitur ei mitra, & ſtat ſine ea uſque ad finem hymni verſus, ut erat, cum incipitur antiphona ad *Magnificat*, ſedet celebrans, imponitur ei mitra, & cerimoniarius, accepto thuribulo cum navicella, accedit ad celebrantem, qui miniſtrante aſſiſtente imponit incenſum in thuribulum more conſueto, & cum incipitur *Magnificat,* cum mitra ſurgit, & factis reverentiis Cardinalibus, vadit ad Altare, ante cujus infimum gradum deponitur ei mitra, & facta reverentia Altari, aſcendit, & illud in medio oſculatur, & accipit deinde thuribulum de manu aſſiſtentis, & incenſat Altare more conſueto, quo incenſato, imponitur ei mitra, & redit ad faldiſtorium, factis prius Altari & Cardinalibus conſuetis reverentiis. In faldiſtorio ſtans cum mitra, incenſatur ab aſſiſtente, deinde deponitur ei mitra, & aſſiſtens præcedente cerimoniario, celebranti facta reverentia & Altari, incenſat Cardinales per ordinem, Epiſcopos & Presbyteros, deinde Diaconos, poſtmodum alios more conſueto. Finito *Magnificat,* celebrans ſedet, & imponitur ei mitra, finita antiphona, poſt *Magnificat* deponitur ei mitra, & ſtans ante faldiſtorium, verſus ad Altare dicit: *Dominus vobiſcum,* & orationem diei convenientem. Interim duo Capellani medium inter ſe habentes Capellanum, librum tenentem, ſtantes

verſis

verſis faciebus ad celebrantem, duo candelabra tenentem cum faculis ardentibus, uſque ad finem orationis, & cum replicatur poſt orationem: *Dominus vobiſcum,* inde deſcendunt, & cerimoniarius candelabra ad ſua loca reponit. Dicto *Benedicamus, & cætera,* imponitur celebranti mitra, cum qua, facta reverentia Cardinalibus & Altari, vadit ad medium Altaris, & ſtans verſus ad Altare dicit: *Sit nomen Domini, &c.* & benedicit more ſolito, & non dantur indulgentiæ. Data benedictione, factis reverentiis, ut ſupra, cum mitra revertitur ad faldiſtorium, exuitur ornamentis, quæ ſuper Altare reponuntur, induitur cappa, & ad domum redit.

CAPUT XIX.

De Matutinis Nativitatis Chriſti, Papa abſente.

CUm vero Sanctiſſimus Dominus noſter in hac nocte ad matutinas non venit, hora competenti, Cardinalis primam miſſam celebraturus in ſua capella conſueta accedit ad faldiſtorium juxta Altare in loco, modo ſuo conſueto præparatum, habens penes ſe novem capellanos coctis indutos, ubi cum aliquantulum quieverit, per Cerimoniarium impetrata a *Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus* licentia incipiendi, Cardinalis officium faciens ſurgit, & detecto capite ſtans verſus ad Altare dicit ſecrete: *Pater noſter.* Deinde alte, *Domine, labia mea aperies &c.* Reſp. *Et os meum, &c.* *Deus in adjutorium.* Reſp. *Domine ad adjuvandum, &c.* & ſtat capite aperto, quouſque perficiatur invitatorium, Pſalmus, & hymnus; incepto primo Pſalmo ſedet, ſimiliter faciunt omnes alii Cardinales Prælati ac officiales, cum dicetur Pſalmus tertius primi nocturni, cerimoniarii vadant ad medium chori inter ſedes Cardinalium Presbyterorum & Diaconorum, ubi pulpitum locant & librum deſuper, deinde redeunt ad locum ſuum

ſuum, finito verſu primi nocturni, celebraturus Cardinalis ſurgit, & aperto capite, ſtans verſo vultu ad Altare, dicit alte, *Pater noſter,* quod ſecrete perficit, deinde dicit alte: *Et ne nos.* Reſp. *Sed libera: Exaudi, &c.* Interim Ceremoniarius candelam ceream accendit, quam & pulpito affigit, & unum ex cantoribus cum reverentiis conſuetis ad pulpitum ducit, ubi, finita abſolutione, cantor ipſe verſus ad celebraturum inclinato capite dicit alte: *Jube Domine benedicere,* & benedictione accepta, cantat lectionem, qua finita, cum dicit: *Tu autem Domine,* genuflectit verſa facie ad Altare, deinde ad locum ſuum revertitur. Eodem modo fit in omnibus lectionibus & nocturnis, celebrans primam, quartam, & ſeptimam. Benedictionem dat ſtans nudato capite, quouſque dicitur; Et reliqua, tunc ſedet, novam lectionem cantat ipſe celebraturus, ſtans ante faldiſtorium, & verſa facie ad Altare, Capellanus autem ſuus aſſiſtens in ſuperpellicio tenet ei librum, cum dicit: *Jube Domine benedicere,* ſtat inclinato capite verſus ad primum Cardinalem in choro præſentem, qui dat benedictionem; finita lectione, ſtatim celebraturus ipſe incipit cantando: *Te Deum laudamus,* cantoribus proſequentibus uſque ad finem, &c. Interim paratur ipſe omnibus ornamentis pro Miſſa, ut moris eſt. *Nota* tamen, quod commodius eſt, quando incipitur Tertius nocturnus, ut celebraturus capiat ſandalia, & dicat Pſalmos: *Quam dilecta, &c.* & ita ſæpius obſervatum eſt, finito *Te Deum,* celebraturus indutus omnibus paramentis, vel, ſi omnibus adhuc indutus non eſt, in illis, quibus tunc indutus eſt, aſtantibus duobus miniſtris cum candelabris hinc inde, dicit verſus ad Altare ſtans ante faldiſtorium ſine mitra, *Dominus vobiſcum: Oremus,* & orationem, iterum *Dominus vobiſcum,* & cantores dicunt: *Benedicamus.*

CAPUT

CAPUT XX.

De prima Miſſa Nativitatis Chriſti, Papa abſente.

DIcto a cantoribus *Benedicamus Domino*, *Deo gratias*, celebraturus, indutus omnibus paramentis, accedit ante ſuperiores gradus Altaris cum mitra, ubi facit reverentiam Cardinalibus, deinde detrahitur ſibi mitra, facit confeſſionem, cantores dicunt *Introitum*, celebraturus accedit ad Altare, oſculatur illud & librum, incenſat Altare, & alia facit, ut moris eſt, poſt finem Miſſæ dat benedictionem, & non denunciat indulgentias.

CAPUT XXI.

Si Papa in nocte Nativitatis perſonaliter celebrat.

SI autem in hac nocte Summus Pontifex vellet celebrare, omnia ſervantur, quæ in Miſſa Papali ſupra deſcripſimus, niſi quod communicaret in Altari ipſe ſolus, & non in ſede eminenti, & non ſugeret ſanguinem cum calamo, ſed more communi, & non ſe purificaret, quia eſt celebraturus tertiam Miſſam, in qua communicat in ſede eminenti ſe & miniſtros. Item, ſi vellet ſecundam Miſſam celebrare, immediate non deponeret ſacras veſtes, ſed dictis laudibus ea ſolennitate, qua veſperæ cantari ſolent, inciperet ſecundam Miſſam. Tres Presbyteri venirent obviam, & alia omnia conſueta ſervarentur, ſed communicaret in Altari ſolus, ut de prima diximus.

CAPUT XXII.

De laudibus & ſecunda Miſſa, Papa abſente.

FInita Miſſa, recedunt omnes, & dicuntur laudes per cantores, & ſecunda Miſſa per Sacriſtam, & alia, prout ſupra dictum eſt.

CAPUT XXIII.

De tertia Miſſa in die Nativitatis Chriſti, Papa abſente.

CArdinalis Epiſcopus in die Nativitatis Domini, Papa abſente, tertiam Miſſam celebraturus prævenit ad Eccleſiam, orat, &c. prout ſupra de Miſſa in præſentia Papæ celebrandâ, dictum eſt. Debent autem eſſe paratæ in credentia lances duæ, pro lotione manuum *argenteæ*, tamen non inauratæ, quibus manus abluantur. Et ſcutifer, aquam dans, factis reverentiis Cardinalibus & Altari, genuflexus coram celebraturo facit credentiam, deinde dat aquam, *ut ſupra*. Induitur celebraturus omnibus paramentis Pontificalibus, & alia fiunt, prout ſupra dictum eſt. Induto celebraturo, poſtquam Cardinales congregati fuerint, petita ab eis licentia, ſurgit de faldiſtorio cum mitra, & eundo verſus medium Altaris extrahitur ei mitra per Capellanum de ea ſervientem, qui ſe ad partem retrahit, celebrans vero, facta reverentia Altari, dicit confeſſionem, &c. & imponitur ei manipulus, ut ſupra in alia Miſſa dictum eſt, aſcendit ad medium Altaris, & oſculatur illud, deinde librum Miſſalem, ut ſupra, anteponit, deinde Diacono miniſtrante incenſum, poſtmodum deſuper ſignum Crucis faciens incenſat Altare, ut ſupra, quo incenſato, imponitur ei mitra, incenſatur in cornu epiſtolæ a Diacono, deinde cum mitra, facta reverentia cruci, vadit ad faldiſtorium, deponiturque ei mitra, & ſtans verſa facie ad Altare dicit *Introitum & Kyrieeleiſon*, uno ex ſuis capellanis librum tenente, deinde ſedet & imponitur ei mitra, ut ſupra dictum eſt, in alia miſſa per totum uſque ad finem Epiſtolæ, qua finita, Subdiaconus librum clauſum ante pectus ſuum tenens vadit ad celebrantem, & genuflexus ponit librum ſuper ejus genua, & manum illius ſupra librum poſitum oſculatur, & ſurgens, libro Epiſtolarum depoſito, tenet Miſſale celebranti, ut ſupra;

ſupra; interim dum dicitur *alleluja*, & Diaconus dum librum Evangeliorum ſupra Altare poſuerit, Cerimoniarius cum thuribulo & navicella vadit ad celebrantem, qui, miniſtrante Diacono, imponit incenſum, & ſignat, ut ſupra. Cerimoniarius autem tunc dat uni ex Capellanis celebrantis thuribulum in dextram, & navicellam in ſiniſtram, & duo candelabra cum luminaribus de credentia vel Altari duobus aliis Capellanis ejusdem. Diaconus vero interea ad Altare vadit, de quo librum accipiens, & ipſum ante pectus tenens, ante Altare genuflexus dicit: *Jube, Domine, benedicere,* & benedictione accepta procedit ad lectionem Evangelii ordine ſupradicto, finito Evangelio, factisque reverentiis, revertitur ad celebrantem. Subdiaconus portat deoſculandum librum Evangeliorum apertum celebranti, & Diaconus illum incenſat, & mox celebrans, verſa facie ad Altare, dicit *credo &c.* quo finito, depoſita mitra ſurgit, & verſus ad populum dicit: *Dominus vobiſcum.* Tunc vertens ſe ad dextram ad Altare, dicit *Oremus & offertorium,* ſedesque, & deponitur ei annulus & chyrothecæ, lavat manus *&c. ut ſupra,* ſurgit deinde, & cum mitra vadit usque ſupra gradus Altaris, & facta reverentia Cardinalibus, procedit ad medium Altaris, ubi deponitur & mitra, & alia facit ut ſupra, & miniſtrantibus Diacono & Cerimoniario imponit incenſum, benedicens & incenſans ut ſupra, qui deinde incenſatur a Diacono, & ſucceſſive Cardinales incenſantur ordine ſuo, & alii, ut ſupra. Dicto *Agnus Dei* aſſiſtens celebrantis, dimiſſo libro in manibus Diaconi, venit ad manum dextram celebrantis, & ibi ante Altare genuflectit, ſurgit, oſculatur, & pacem a celebrante accipit, quam dat poſtmodum primo Epiſcopo, primo Presbytero, & primo Diacono Cardinalibus ſucceſſive aliis ut ſupra. Et cum viderit celebrantem ſumpſiſſe purificationem, dat Pacem Cerimoniario, qui perficit curſum ſuum, & alia fiunt ut ſupra. Dicto poſt orationes *Dominus vobiſcum* per celebrantem, & *Ite, Miſſa eſt,*

per Diaconum, celebrans dicit: *Placeat tibi, &c.* quo dicto, imponitur ei mitra, & benedicit ſolenniter dicens more conſueto: *Sit nomen Domini, &c.* Et demum converſus ad populum pronunciat indulgentias per Papam conceſſas. Deinde ad ſiniſtram manum, ſe vertens ad Altare, oſculatur illud in medio, & facta reverentia Cruci, deinde Cardinalibus, cum mitra ad faldiſtorium revertitur dicendo Evangelium *ſancti Joannis*, & alia quæ ſunt dicenda. Interim ſacris veſtibus exuitur, ut ſupra.

CAPUT XXIV.

De die Sancti Stephani.

IN die Sancti Stephani Protomartyris officium peragit Presbyter Cardinalis in paramentis rubeis more ſolito: dicitur Oratio diei ſub ſua concluſione, deinde etiam dicitur oratio pro commemoratione de Nativitate Domini, etiam ſub ſua concluſione, & fit ſermo.

CAPUT XXV.

In feſto Sancti Joannis Evangeliſtæ.

IN die Sancti Joannis Evangeliſtæ celebrat Presbyter Cardinalis in paramentis albis more conſueto, oratio diei dicitur ſub ſua concluſione, deinde fit commemoratio de Nativitate Domini, & Sancto Stephano ſub alia concluſione, & fit ſermo his duobus diebus; ſi Papa celebrat, ſervit ei pro aſſiſtente Prior Presbyterorum Cardinalium, & non fit ſermo, niſi per ipſum Papam, aut aliquem ex Cardinalibus.

CAPUT XXVI.

De Vigilia Circumciſionis, & ejus feſto.

IN Vigilia Circumciſionis Domini fiunt veſperæ more conſueto, ad quas Papa venit albis paramentis. In die celebrat Epiſcopus Cardinalis in paramentis albis, dicitur tantum una oratio, & fit ſermo.

CAPUT

CAPUT XXVII.
De Vigilia Epiphaniæ Domini.

IN Vigilia Epiphaniæ Domini fiunt Veſperæ Papales, quibus Papa ornamentis albis paratus intereſſe ſolet. In die Miſſa more ſolito dicitur, quam celebrare ſolet Epiſcopus Cardinalis, in paramentis albis dicitur una Oratio tantum. Et cum Diaconus cantans Evangelium dicit, & procedentes adoraverunt eum cantando, genuflectit, quibus dictis ſurgit, & perficit. Simili modo Papa, & omnes alii, & fit ſermo.

CAPUT XXVIII.
De Feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

FEſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis non habet veſperas ſolennes præcedentes. In die autem officium peragitur hoc ordine. Et primo ordinantur candelæ, in loco convenienti benedicendæ, & diſtribuendæ per illos, ad quos ſpectat, videlicet duo cerei magni ponderis viginti librarum, vel circa, deaurati, depicti, & alius minor etiam pulchre ornatus, ponderis duarum librarum, vel circa, quem Pontifex in proceſſione in manu portat. Item faculæ ceræ albæ pro Cardinalibus, Regibus, & maximis principibus, ponderis trium librarum quælibet, vel circa. Item faculæ in numero ſufficienti pro Oratoribus, & Prælatis ceræ communis, ponderis duarum librarum quælibet. Item faculæ unius libræ in numero ſufficienti pro Subdiaconis auditoribus, Clericis cameræ, Acoluthis, Cubiculariis, Cerimoniariis, Scutiferis Papæ, & aliis officialibus. Item faculæ mediæ libræ in numero copioſo pro populo. Admiſcentur etiam credentiarii Papæ, quod in mane ordinent in loco, ubi candelarum diſtributio fiet, in angulo ſuper Altare, vel in alio loco condecenti, vaſa &

aquam pro lavandis manibus Papæ cum mantili, & gremiali, ac medulla panis, præparent etiam Clerici capellæ in loco convenienti duo candelabra, & cum luminaribus vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, & thuribulum cum navicella. Item paret baldachinum pro ſupplicatione habenda pro Pontifice. Deinde hora congruenti, Papa indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, pluviali rubro, & mitra ſimplicibus, venit ad capellam, vel Eccleſiam, ubi candelæ ſunt benedicendæ, & facta oratione ante Altare, cum ſederit, Cardinales faciunt reverentiam in cappis conſuetis, duo ultimi remanent in aſſiſtentia Papæ. Et Diaconi duo aſſiſtentes vadunt ad capiendum paramenta, &, illis revertentibus, illi duo ultimi vadunt ad ſedes ſuas, & ibi capiunt paramenta. Cardinales alii interim in locis ſuis, & Prælati extra capellam, capiunt paramenta violacei coloris, ſtatui ſuo & ordini convenientia. Diaconi Cardinales portant planetas plicatas ante pectus, quibus omnibus paramentis Pontifex benedicit candelas more ſolito. Solent tum, quando Papa benedicit, & diſtribuit candelas in parva capella, ad evitandam frequentiam, Cardinales & alii officiales omnes accipere paramenta & cottas in camera paramenti, & venire cum Papa parati ſacris veſtibus, non tamen ſupplicantium more. Et tunc Cardinales cum paramentis ſupradictis faciunt reverentiam prædictam Pontifici. Papa vero miniſtrantibus Epiſcopis librum & candelam, & aſſiſtentibus duobus Diaconis Cardinalibus, more ſolitio ſtans, detracta mitra, benedicit candelas, verſus ad illas ſubmiſſa voce legendo, dicens: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Domine, ſancte Pater, &c.* cum quatuor ſequentibus, prout in ordinario. Incepta quinta oratione per Pontificem, vocatur Prior Presbyterorum Cardinalium; accedit ad Pontificem, cum eo duo Acoluthi ſuperpelliciis induti, unus cum thuribulo & navicella, alius cum vaſe aquæ benedictæ, & aſperſorio. Finita benedictione,

impo-

imponit incenſum in thuribulum more conſueto, deinde, accepto aſperſorio de manu Presbyteri Cardinalis, ſtans ſine mitra, aſpergit tertio candelas, & deinde incenſat ducens ter thuribulum, ſedet poſt hæc, & imponitur ei mitra. Tum Prior Epiſcoporum Cardinalium accedit ad Papam, & accipit duos magnos cereos de manu Camerarii, vel ejus locum tenentis, cui Clerici cameræ eos ſubminiſtrant, & illos dat Domino Papæ cum debitis reverentiis, oſculando primo cereum, deinde manum Pontificis, cum Pontifex eos tangit. Qui cerei deinde dantur ad mandatum Papæ duobus nobilibus, quorum alter, inſignior videlicet, vadit ad dextram, alter ad ſiniſtram Papæ, & ibidem ſtantes, eos tenent usque ad finem Miſſæ, poſt magnos cereos datur Pontifici alius cereus minor ornatus, quem deinde ſervat unus ex cubiculariis cameræ. Et iſto utitur Papa in toto officio. Cum Papæ cerei dantur, cantores incipiunt *Lumen ad revelationem.* Cereos omnes diſtribuendos debent miniſtrare Clerici cameræ, ſtantes a loco ubi ſunt candelæ, usque ad Papam, & illos dare ad manum Diaconi Cardinalis, Papæ aſſiſtentis a parte candelarum, qui illas miniſtrat. Ut vero Papa accepit ſuas candelas, duo auditores a credentiariis Papæ mappulam ſumentes, eam per Cardinales aſſiſtentes gremio Pontificis imponunt, & hinc inde genuflexi illam tenent. Et Pontifex incipit diſtribuere aliis, *primo* Dominis Cardinalibus ſecundum ordinem, incipiendo a ſeniore, *id eſt,* ab eo, qui ſibi cereos dedit, & Cardinalibus officialibus, videlicet, Vice-Cancellario, Camerario, & Pœnitentiario dat duas candelas pro quolibet. Celebraturus autem cum primum candelam ſuam acceperit, vadit ad faldiſtorium ſuum apud Altare, & accipit paramenta omnia pro Miſſa conſueta, ſicque paratus expectat Pontificem more ſolito. Cardinales, cum candelas accipiunt, manum Papæ oſculantur, deinde genu, alii vero Prælati parati ter ante Pontificem genua flectentes, accepta candela, oſculantur genu tantum. *Nota,*

quod

quod pœnitentiarii oſculantur pedem tantum, & ſimiliter in Dominica palmarum. Omnes vero alii, quicunque ſint, genuflexi coram Pontifice, accepta candela, oſculantur ejus pedem. Diſtributio autem fit ſecundum ordinem conſuetum curiæ. Ita tamen, quod Prælati præferantur parati oratoribus laicis, & Clericis non paratis, quorumcunque oratores ſint, & quibuscunque etiam aliis Principibus, exceptis illis, qui inter Cardinales, ſeu in plano ſupremo ſolii Papæ, locum habent. Illi autem ſtatim ſequuntur Cardinales aut aſſiſtentes Papæ, & alios quoscunque Prælatos. Finita diſtributione, portatur aqua ad abluendas manus Papæ, per nobiliorem curiæ, comitantibus ipſum ſervientibus armorum, & magiſtro ſacri palatii, ſeu hoſpitii, quem etiam duo auditores præcedunt, quorum unus mappulam ad tergendum manus portat more conſueto. Et portatur cum aqua ſupra vas ipſum medulla panis pro mundandis manibus Papæ, per credentiarios, ut ſupra parata, & Prior Epiſcoporum Cardinalium adjuvat infundentem aquam manibus Papæ, ut conſuevit. Lotis manibus accedunt ante Pontificem duo Acoluthi cum candelabris, & luminaribus, & deponitur mitra Papæ, qui ſurgit, & Epiſcopis aſſiſtentibus, ex more librum miniſtrantibus, dicit cantando: *Oremus*, & Diaconus a dextris dicit: *Flectamus genua*; & omnibus verſus Altare genua flectentibus aliis Diaconis a ſiniſtris, ſtatim continuat: *Levate*. Surgunt omnes, & Papa cantat orationem: *Exaudi Domine, & cætera*, prout in ordinario ſub concluſione: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*. Qua finita, Papa ſedet, & accipit mitram, &, priore Presbyterorum Cardinalium & Acolutho miniſtrantibus, imponit incenſum pro ſupplicatione more conſueto, & cantores incipiunt antiphonam: *Cum appropinquaret Dominus*. Accenduntur candelæ, & fit ſupplicatio more ſolito usque ad locum paratum, unde projicere debet candelas populo. Deinde ad Eccleſiam ſive capellam, ubi Miſſa dicenda erit, hoc modo proceditur:

Scuti-

Scutiferi Papæ, quos ſequuntur alii, more conſueto, prout ſupra in die Nativitatis Chriſti dictum eſt. Papa, Cardinales, & alii omnes debent propriis manibus ſuas candelas portare ardentes, a loco, ubi inceperit ſupplicatio, usque ad locum, ubi miſſa erit dicenda. Cum autem perventum fuerit ad locum, ubi candelæ per Papam populo ſunt projiciendæ, manent omnes extra locum ſuo ordine, & cum Pontifice intrant Subdiaconus cum Cruce, & ceroferarii, Clerici cameræ miniſtrantes candelas, Epiſcopi aſſiſtentes Papæ, Diaconi aſſiſtentes Papæ & Cardinales, qui voluerint intrare pro loci capacitate; Cantores apud oſtium extra cantant, alii Epiſcopi omnes parati ſtant hinc inde ordinate extra dictum locum, quousque Papa candelas populo projecerit. Papa venit ſub baldachino, quod per nobiliores curiæ more conſueto portatur: projectis candelis, proceſſio revertitur eo ordine, quo venit, vel ſi alibi celebrandum eſt, quam ubi candelæ benedictæ ſunt, proceditur uſque ad capellam, ubi miſſa erit dicenda, & officiales & Prælati omnes extra cancellum ſuperpellicia & paramenta deponunt, & cappas accipiunt, cum quibus intrant capellam. Cardinales autem intrant cum paramentis, quæ deponunt intus in ſuis locis, & extinguuntur candelæ omnes, exceptis duobus cereis Papæ, quos illi duo nobiles deputati continuo tenent ardentes. Papa, cum fuerit ante inferiores gradus Altaris, ubi Miſſa dicenda erit, ſi in illa capella candelas non benedixit, genuflectit in faldiſtorio, &, depoſita mitra, orat more conſueto: cum ſurgit, extrahitur ſibi pluviale rubrum, & ſtola violacea, & accipit ſtolam, & pluviale alba precioſa. Si vero ibidem candelas benedicit, quia prius ibi oravit, cum primum ante Altare fuerit, deponit paramenta ſimplicia prædicta, recipit alba & precioſa, & ibidem ante Altare cum celebraturo Cardinale facit confeſſionem, & incipitur miſſa, finita confeſſione, accepta mitra precioſa, aſcendit ad ſedem eminentem, non fit ei amplius reve-

rentia, & Presbytero Cardinali aſſiſtente miniſtrante imponitur incenſum, Cardinales interim veniunt ad circulum, incenſatur Altare, deinde Papæ, qui poſt dicit *Introitum*, & alia more ſolito. Finito *Gloria in excelſis &c.* Presbyter Cardinalis aſſiſtit, ut moris eſt. Antequam incipiatur Evangelium, accenduntur omnes cerei, & per Papam, Cardinales, & Prælatos, & alios omnes, accenſi tenentur in manibus, uſque ad finem Evangelii. Deinde redduntur ſervitoribus, qui eos ardentes tenent uſque poſt communionem, dicitur tantum una oratio, & ordinarie non fit ſermo. Miniſtri utuntur dalmatica & tunicella.

Si feſtum purificationis caderet in Dominica Septuageſima, benedictio, & diſtributio candelarum, cum ſupplicatione fiunt, ut prædictum eſt, Miſſa autem fit de Dominica, & feſtum purificationis transfertur in ſecundam feriam ſequentem.

CAPUT XXIX.

Sequitur de Feſto Purificationis beatæ Mariæ Virginis, Pontifice abſente.

SI vero Pontifex nollet, vel non poſſet, officio hodierno intereſſe, nec candelas benedicere ac diſtribuere, Presbyter Cardinalis celebraturus prævenit ad Eccleſiam hora convenienti, & poſtquam duo ad minus Cardinales advenerint, celebraturus vadit ad faldiſtorium, accipit omnia paramenta violacei coloris, uſque ad dalmaticam incluſive, omiſſis tantum chirothecis, pluviale violaceum, & mitram ſimplicem, & annulum Pontificalem, & accedit ad medium Altaris, ubi medius inter Diaconum & Subdiaconum ſtans, depoſita mitra, verſus ad candelas benedicendas dicit: *Dominus vobiſcum.* Oremus: *Domine, ſancte Pater &c.* cum quatuor ſequentibus orationibus, prout in ordinario; quibus dictis, miniſtrante Diacono imponit incenſum, aſpergit, deinde candelas, tum incen-

incenſat, prout ſupra dictum eſt; quo facto, ponitur faldiſtorium ad medium Altaris, ubi ſedet celebrans, accepta mitra, renibus ad Altare verſis, & tunc Cardinales omnes & Prælati, & officiales omnes, paramenta, & ſuperpellicia ſuo ordine congruentia accipiunt, videlicet Cardinales in locis ſuis ſtantes, alii vero omnes extra capellæ cancellum, omnibus ſic paratis accedunt ad celebrantem Cardinales, deinde Prælati bini & bini cum mitris in capite, & cum primi duo Cardinales coram celebrante fuerint, deponunt mitras. Idem facit celebrans, & ſurgit. Miniſtrantibus igitur *Vice-Camerario*, & Clericis cameræ, vel in eorum abſentia, magiſtro domus palatii, & aliquibus cubiculariis candelas, prior Cardinalium dat candelam celebranti ſine aliqua deoſculatione, deinde celebrans ſine mitra ſtans dat priori, & ſucceſſive omnibus Cardinalibus ſingulas candelas. Interim, diſtributione incipiente, cantores cantant Antiphonam, *Lumen ad revelationem:* ſedet deinde celebrans accepta mitra, & extenditur illi per miniſtros mappula, quam duo ex Capellanis ſuis ſuperpellicio induti, hinc & inde genuflexi tenent, & celebrans diſtributionem proſequitur, dans *primo*, Prælatis detectis & inclinatis aliquantulum capitibus coram eo ſtantibus, deinde aliis omnibus non paratis ſucceſſive, coram eo genuflexis, ſingulas candelas. Cardinales & Prælati parati omnes, neque candelam, neque manum dantis oſculantur, ſed cum reverentia tantum candelas recipiunt, alii vero homines genuflexi, recepta candela, celebrantis manum oſculantur. Finita diſtributione, celebrans ſic ſedens lavat manus, tunc depoſita mitra, amovetur faldiſtorium. Tunc ſtans in medio Altaris, verſus ad crucem, in Altari poſitam, dicit cantando abſolute: *Oremus.* Diaconus: *Flectamus genua.* Subdiaconus: *Levate.* Tunc proſequitur celebrans orationem: *Exaudi quæſumus Domine &c.* prout in ordinario. Qua completa, miniſtrante Diacono celebrans imponit incenſum,

 &omnes

& omnes ſuas candelas accendunt, deinde ordinatur ſupplicatio ad locum, ubi candelæ populo projici debent, hoc modo: Procedunt ſcutiferi Cardinalium, & alii laici, deinde ſcutiferi Papæ cum minoribus nobilibus, poſt eos, procuratores ordinum, Secretarii & Advocati mixtim, cubicularii, oratores Principum, & magni nobiles, cantores, Acoluthi Papæ, Clerici cameræ, Auditores, Subdiaconi Apoſtolici, unus Capellanus celebrantis cum thuribulo, & navicella, Subdiaconus capellæ crucem ferens, ita, quod figura Crucifixi ante ſe reſpiciat, non retro: medius inter duos Capellanos celebrantis, ſuperpelliciis indutos, duo candelabra cum candelis ferentes, poſt eum pœnitentiarii Papæ, Abbates, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi Cardinales, deinde celebrans medius inter Capellanum ſuum aſſiſtentem, pluviali indutum, a dextris, & Diaconum capellæ a ſiniſtris, & fimbrias pluvialis ſui hinc inde elevantes, poſt eum alii Capellani ſuis ſuperpelliciis induti, deinde Protonotarii, & alii togati. In aula juxta locum prædictum fit ſtatio. Celebrans vero, cum ſuis miniſtris Cardinalibus, qui voluerint, locum aſcendit, & candelas projicit populo, deinde eo ordine, quo venerint, de capella revertuntur, deponunt paramenta omnes, & ſuas cappas accipiunt: celebrans autem apud faldiſtorium deponit pluviale, ſedensque accipit chirothecas, & ſurgenti imponitur caſula, mitra & annulus Pontificalis, cum accedit ad Altare, facit confeſſionem, & incipitur Miſſa more conſueto, dicitur tantum una oratio. Ad Evangelium celebrans ſuam candelam ardentem in manu tenet, idem faciunt Cardinales, Prælati, & alii omnes in capella exiſtentes. Finito Evangelio, reſtituuntur candelæ ſervitoribus, & per eos tenentur ardentes uſque poſt communionem celebrantis, tunc extinguuntur. Omnia alia fiunt more conſueto, & non fit ſermo.

CAPUT

CAPUT XXX.

Ordo diſtribuendi candelas.

ORdo autem diſtributionis candelarum eſt iſte: veniunt Cardinales, primo digniores, deinde alii. Si IMPERATOR adeſt, illi primo Pontifex dat candelam, poſtquam ipſe ſuas accipit, & deinde *priori Epiſcoporum Cardinalium*, tunc REGI, ſi adeſſet, inde ſecundo *Cardinali*, tunc alteri REGI, ſi adeſſet, & demum *aliis Cardinalibus* & *Principibus*, qui inter illos ſedent, ordine, quo ſedent, quod etiam ſervatur in ramis palmarum; ſecus autem in *cineribus*, quia poſt omnes Cardinales dantur Principibus laicis, etiam *Imperatori & Regi.* Et aliquando, ut legi, poſt omnes Prælatos paratos, tunc magni Principes, qui inter Cardinales ſedent, locum habere ſolent, vel etiam illi, qui in plano ſolii Papæ ſedent; Epiſcopi aſſiſtentes, Vice-Camerarius, ſi eſt paratus, Prælati, Oratores parati, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Pœnitentiarii parati, Oratores Principum non parati, & cum eis Seniores, & conſervatores, ſi Romæ ſint, Protonotarii, generales ordinum, nobiles ad gradus ſolii Papæ ſtantes, Subdiaconi, Apoſtolici auditores, Clerici cameræ, Acoluthi Papæ, Cubicularii ſecreti, Clerici Cerimoniarum, Diaconus & Subdiaconus capellæ, Cubicularii extra cameram, Advocati & Secretarii, mixtim procuratores ordinum, cantores Papæ, Capellani celebrantis, caudatarii Cardinalium, ſcutiferi Papæ, magiſtri, hoſtiarii, officiales, & cives Romani, deinde alii omnes, ultimo ſervientes armorum, qui, dum fit diſtributio, debent aſſiſtere circa ſolium Pontificis, & curare, ne fiat tumultus, aut impetus in Pontificem.

CAPUT XXXI.

De die cinerum.

PRima die Quadrageſimæ, quæ cinerum appellatur, in mane Sacriſta paret ſupra Altare vas cum cineribus, factis ex ramis Olivarum, anno præterito benedictis. Item credentiam Papæ ordinare debent ſuper angulo Altaris, duas lances pro lavandis manibus Papæ cum mappa, & unum mantile pro gremiali. Deinde hora competenti prævenit ad Eccleſiam Cardinalis celebraturus, & in faldiſtorio in loco conſueto ſibi parato omnia paramenta Pontificalia accipiat, demptis chirothecis & annulo Pontificali. Pontifex autem indutus amictu, alba, cingulo, ſtola violacea, pluviali rubeo, & mitra ſimplici, veniunt ad capellam, & more ſolito facit orationem ante Altare in faldiſtorio, aſcendit ad ſolium, ſedet, & fit ei a Cardinalibus reverentia more conſueto. Et poſtquam duo Diaconi Cardinales ultimi reverentiam fecerunt, aſſiſtunt Papæ, & duo Diaconi aſſiſtentes vadunt ante ſedem Diaconorum Cardinalium, ubi capiunt paramenta ſua: idem faciunt Cardinales omnes in locis ſuis ſtantes. Duo primi Diaconi, ubi acceperunt paramenta ſua, revertuntur ad aſſiſtendum Papæ, & alii duo vadunt ad loca ſua, & etiam capiunt paramenta. Interim etiam omnes Prælati & officiales ſua paramenta, & coctas accipiunt extra cancellum capellæ, & unus Subdiaconus in convenienti loco induitur amictu, alba, cingulo, & tunicella violacea. Omnibus Cardinalibus paratis, cantores incipiunt Antiphonam: *Exaudi nos, Domine, &c.* Tunc accedit ante Pontificem Subdiaconus Apoſtolicus, ut ſupra dictum eſt, paratus portans lancem cineribus plenam detectam, quam de Altari ſacriſta ſive cerimoniarius ſibi dedit, & ad dextram Pontificis genuflectit, ibidem dictam lancem cum cineribus tenens, quouſque Papa omnibus cineris imponat. Tunc accedunt duo Epiſcopi aſſiſtentes cum libro

& can-

& candela, & Papa benedicens cineres, ſedens cum mitra, dicit Antiphonam: *Exaudi nos, Domine:* qua repetita, depoſita mitra, ſurgit dicens: *Dominus vobiſcum.* Reſpond. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Omnipotens, ſempiterne Deus &c.* cum tribus orationibus ſequentibus, prout in libro. Incepta quarta oratione, vocatur ad Pontificis dextram Prior Presbyterorum Cardinalium, & duo Acoluthi ſuperpelliciis induti, unus cum thuribulo, & incenſo, alius cum vaſe aquæ benedictæ, & aſperſorio, qui ambo etiam ad dextram Pontificis locantur poſt Presbyterum Cardinalem aſſiſtentem. Finitis orationibus, Papa miniſtrante Presbytero Cardinali aſſiſtente imponit incenſum, aſpergit cineres, deinde incenſat, tunc cantores incipiunt: *Immutemur habitu, & cætera.* Prior Epiſcoporum juxta antiquam conſuetudinem pluviali indutus ſine mitra, velut aliquando ſervatum fuit, & BONIFACIUS IX. ſtatuit: nunc vero celebraturus Cardinalis, jam omnibus ornamentis ſacris pro Miſſa dicenda indutus, demptis tamen chirothecis & annulo Pontificali, accedit ad Papam, & ſine mitra ſolus, detecto capite, facta Papæ reverentia, ſtans coram eo ſupra ſcabellum, nihil dicens imponit Papæ ſedenti cineres ſupra caput in formam Crucis, deinde deſcendit de ſcabello, amovetur ſcabellum, ſedet Papa, imponitur ei mitra, & accedunt duo auditores portantes mantile, quod a credentiariis Papæ acceperunt, illud hinc inde tenent ſuper gremia Papæ, qui illi Cardinali, a quo cineres accepit, inclinato capite coram ſe ſtanti, dat cineres, dicens: *Memento homo &c.* Et nota, quod ſi IMPERATOR aut REX ſit præſens, accipit cineres immediate poſt Cardinales omnes, & oſculatur pedem Papæ, & ſimiliter alii Principes, qui ſedent inter Cardinales, recipiunt cineres poſt eos. Non idem ſervatur in diſtributione candelarum & palmarum, quia hi accipiunt, prout ſedent. *In iſto autem actu, qui humilitatem præ ſe fert, Principes ſacer-*

ſacerdoti ſe inclinant, & illis cedunt, Cardinalis autem, ſi eſt ille, qui eſt celebraturus, acceptis cineribus, revertitur ad faldiſtorium ſuum prope Altare, ubi ſedet, & accipit chyrothecas, & annulum Pontificalem, & imponitur ei mitra, ſicque manet uſque ad perfectam diſtributionem. Accedunt poſt ſucceſſive omnes alii Cardinales & Prælati, & alii, unus poſt alium, & a Papa cineres accipiunt, ut in candelis. Si autem, qui dedit Papæ cineres, eſt Prior Cardinalium, poſtquam accepit cineres, revertatur ad locum ſuum, & celebrans in loco ſuæ receptionis, & in habitu ſuæ dignitatis, accipit cineres, & deinde revertitur ad Altare, & capit ad omnia paramenta, vel, ut aliqui volunt, accipit cineres cum planeta ſtatim poſt priorem Cardinalium. Acceptis cineribus, Cardinales inclinati oſculantur genu, alii etiam Prælati parati genuflexi oſculantur pedem Papæ, poſtquam cineres ab eo acceperint. Datis cineribus, Papa adhuc cum mitra ſedens, abluit manus more conſueto, prout etiam ſupra in purificatione dictum eſt, deinde, detracta mitra, ſurgit, & aſſiſtentibus ante eum duobus ceroferariis, more ſolito cantat: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Concede nobis, Domine &c.* ſub concluſione *per Chriſtum Dominum noſtrum*, ut in ordinario. His finitis, Prælati & officiales omnes extra cancellum, Cardinales vero intus in locis ſuis dimittunt paramenta, & accipiunt cappas ſuas conſuetas. Et Pontifex, facta oratione ante Altare, facit cum celebrante confeſſionem, & more conſueto, incipitur Miſſa. Finita confeſſione, Papa aſcendit ſedem eminentem, & Presbytero Cardinali miniſtrante, imponit incenſum in thurybulo, Presbyter Cardinalis revertitur ad locum ſuum inter duos Cardinales, incenſatur Altare, deinde celebrans, poſtea Papa. Interim Cardinales veniunt ad circulum more conſueto. Incenſato Papa, Presbyter Cardinalis vadit ad circulum inter alios Cardinales, & Papa dicit *Introitum & Kyrie-eleiſon.*

eleiſon. Cum dicitur *Dominus vobiſcum*, ante orationem, Papa deſcendit ad faldiſtorium, ubi abſtracta mitra genuflectit, & ſic manet usque ad finem omnium orationum. Idem facit, antequam incipiatur verſus: *Adjuva nos*, ſic manens, usque ad finem verſus, ſimiliter dicto per eum *Sanctus* usque *per omnia ſecula*. Ante *Agnus Dei*, & ad omnes orationes poſt communionem, & tunc omnes alii, qui ſunt in capella, genuflectunt præter celebrantem, Diaconum & Subdiaconum, qui non genuflectunt, niſi ad verſum: *Adjuva nos. Ad introitum, Sanctus, & Agnus Dei*. Fit circulus per Cardinales, patena tenetur per Subdiaconum, incenſantur omnes poſt Offertorium, pax datur, & alia fiunt, prout in aliis Miſſis, & fit ſermo, dicuntur quinque orationes, prima *de die ſub ſua concluſione*, ſecunda: *A cunctis*, tertia, *Omnipotens, ſempiterne Deus, qui vivorum &c.* quarta *contra paganos*, quinta *pro Papa*. Et *nota*, quod poſt ultimam orationem in fine Miſſæ dicitur oratio ſupra populum ſub ſua concluſione, & Diaconus ſurgens, vertensque faciem ad populum, dicit: *Humiliate capita veſtra Deo:* ad quam Papa & omnes alii manent genuflexi, quouſque dicitur: *Per omnia ſecula &c.* Tunc Pontifex ſurgit, & accepta mitra, aſcendit ad ſolium, ubi deponitur ei mitra. Interim Subdiaconus venit cum cruce ante Papam, qui dicto per Diaconum *Benedicamus Domino*, & reſponſo, *Deo gratias*, dat benedictionem, deinde redit ad cameram more conſueto.

CAPUT XXXII.

De officio diei cinerum, Papa abſente.

SI autem in die cinerum Papa non ſit præſens, ſuper credentia parantur duo vaſa argentea, duæ lances pro lavandis manibus Cardinalis celebrantis, & alia more conſueto; deinde Cardinalis celebraturus prævenit ad Eccleſiam in tem-

 pore,

pore, induit ſe paramentis violaceis usque ad planetam excluſive, dimiſſis chrirothecis & annulo Pontificali, accipit pluviale ſuper dalmaticam, & mitram albam, & accedit ad Altare, ubi depoſita mitra adſtans in cornu ſiniſtro Altaris, videlicet epiſtolæ, benedicit cinceres in lance ibidem ſuper Altare poſita per Sacriſtam, ut ſupra dictum eſt: Cum venerint Cardinales, impetrata licentia, celebrans cum mitra faciens reverentiam Cardinalibus, accedit ad medium Altaris, ubi, depoſita mitra, renibus ad Altare verſis, a dextris habens Subdiaconum capellæ, pelvim cum cineribus reverenter tenentem, Priori Epiſcoporum Cardinalium in ſua cappa lanea conſueta ad ſe venienti ſtans, caput nudum inclinat, ſuper quod prior prædictus etiam capite detecto cineres imponit, dicens: *Memento homo &c.* Cui mox ſimiliter caput inclinanti celebraturus imponit etiam cineres eodem modo. Tum veniunt ſucceſſive Cardinales reliqui bini & bini cum ſuis cappis ad cineres. Et celebrans, cum dat cineres Cardinalibus, ſtat ſine mitra, deinde per Clericos capellæ apportatur faldiſtorium, in quo celebrans ſedet, & accepta mitra & mappula pro gremiali, quam Diaconus capellæ ſibi imponit, duobus Capellanis ſuperpelliciis indutis, hinc & inde genuflexis illam tenentibus, dat cineres Prælatis, & aliis omnibus ad eum venientibus, qui omnes ſe profunde inclinant, tamen neque Cardinales, neque alii manum, vel aliud cineres imponentis, debent oſculari. Datis cineribus, celebrans, Diacono & Subdiacono mantile tenentibus, lavat manus, ſurgit depoſita mitra, amovetur faldiſtorium, & reponitur in loco conſueto, & ſtans in cornu epiſtolæ verſus Altare, dicit: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Concede nobis Domine, ut in ordinario,* deinde reaccepta mitra, vadit ad faldiſtorium, deponit pluviale, ſedensque accipit chirothecas, incipitur Miſſa, in qua, cum dicit, *Dominus vobiſcum*, ante orationes, quæ epiſtolam præcedunt: Cardinales,

nales, & alii omnes in locis ſuis genufleƈtunt, & ſic permanent uſque ad finitas omnes orationes. Idem faciunt, quando in traƈtu dicitur verſus: *Adjuva nos, Deus &c.* per totum verſum. Similiter diƈto *Sanƈtus*, uſque *per omnia ſecula ſeculorum*, ante *Agnus Dei &c.* Diƈto, *Dominus vobiſcum*, ante orationes poſt communionem. Et hoc ſervatur in omnibus Miſſis ferialibus, & mortuorum in capella Papæ, ſive ſit præſens, ſive ſit abſens Papa, omnes genufleƈtunt diƈtis temporibus, & fit ſermo. Accedunt autem ſinguli pro cinerum perceptione eo ordine, prout ſupra in feſto purificationis Beatæ Mariæ Virginis, in diſtributione candelarum, eſt ordinatum.

CAPUT XXXIII.

Si Papa in die cinerum celebrabit.

SI autem in hac die cinerum Papa vellet ipſemet celebrare, finita oratione, poſt dationem cinerum, Papa ſedet aliquantulum, & mox ſurgens ſine mitra incipit: *Deus in adjutorium meum, pro nona,* & cum incipit Pſalmum: *Mirabilia*, ſedet. Cardinales & alii omnes retinent ſua paramenta, Diaconus Evangeli, & Subdiaconus Epiſtolæ, parati usque ad planetam excluſive, induunt Papam more ſolito: Diaconi aſſiſtentes cum ſuis planetis ante plicatis adjuvant, dum ſandalia imponuntur, Papa dicit: *Quam dileƈta &c.* Finita nona, ut alias in tertiis, Papa lavat manus cum cerimoniis conſuetis, & tunc incipit ſervire pro aſſiſtente capellano Priore Presbyterorum cum pluviali, non cum planeta: parato Pontifice, Diaconus & Subdiaconus capiunt planetas plicatas ante peƈtus & manipulum, fit ſupplicatio ad Altare more conſueto, occurrunt tres Presbyteri Cardinales, ut alias. Diaconus Evangelii, & Subdiaconus Epiſtolæ dimittunt & reaſſumunt planetas, ut diximus in prima Dominica de Adventu; genuflexiones, adorationes, verſum & poſt *Sanƈtus* ſervantur, ut prædi-

prædiximus, & omnia alia, quæ in Miſſis Papalibus ſervari ſolent, niſi quod Papa communicat in Altari, non autem in ſede eminenti. Et ſimiliter communicat miniſtros, & cum calamo, & dicitur tantum una oratio cum alia ſupra populum, genuflectit tamen Papa, cum dicitur *Adjuva*, non in faldiſtorio ante Altare, ſed in ſede ſua. Si Papa celebrans vellet ipſemet ſermonem facere, poſt Evangelium deſcenderet ad faldiſtorium ante Altare, & facta oratione, ſederet ſuper cathedram, ſibi poſitam ante Altare in medio, ita, ut renes verteret ad Altare, & inde ſermonem haberet ad populum, & hoc, ſi Altaris ſtatio requireret, videlicet quod inde videri poſſit populus, & tunc Diaconi aſſiſtentes ſederent hinc inde, & ante Diaconum a dextris ſederet Prior Presbyterorum aſſiſtens, & apud eum Diaconus Evangelii, a ſiniſtris vero Diaconus aſſiſtens tantum. Si autem ſedendo ante Altare non poſſet videri populus, ut Romæ in Eccleſia S. Petri, tunc ex ſede eminenti Papa haberet ſermonem, & ſederent omnes, ut conſueverunt. Si vero aliquis Cardinalis habiturus eſt ſermonem, ipſe debet ſervire pro aſſiſtente, cujuſcunque conditionis ſit, & cum pluviali.

CAPUT XXXIV.

De prima Dominica quadrageſima.

PRima Dominica quadrageſimæ celebrare ſolet Vice-Camerarius Papæ, ſi eſt Epiſcopus: & ſi non eſt Epiſcopus, dignior Epiſcoporum aſſiſtentium Papæ cum paramentis violaceis, Diaconus & Subdiaconus utuntur planetis plicatis ante pectus, dicuntur quinque orationes, *prima* de die ſub ſua concluſione, *ſecunda*, A cunctis, *tertia*, Omnipotens, ſempiterne Deus, qui vivorum, &c. *quarta* contra paganos, *quinta* pro Pontifice. Omnes hæ quatuor ſub ſua concluſione, & fit ſermo, quem facit procurator ordinis prædicatorum. Omnia alia fiunt more conſueto.

CAPUT

CAPUT XXXV.

De ſecunda Dominica quadrageſimæ.

SEcunda Dominica quadrageſimæ, celebrare ſolet alius ex Epiſcopis aſſiſtentibus Papæ, in paramentis violaceis: miniſtri utuntur planetis plicatis, prout in Dominica præcedente, dicuntur quinque orationes, ut ſupra. Omnia alia fiunt more ſolito; ſermonem facit procurator ordinis minorum.

CAPUT XXXVI.

De tertia Dominica quadrageſimæ.

DOminica tertia quadrageſimæ celebrare ſolet unus ex Epiſcopis Papæ aſſiſtentibus in paramentis violaceis: miniſtri utuntur planetis, ut ſupra, dicuntur quinque orationes, & omnia alia fiunt, prout in prima Dominica quadrageſimæ; ſermonem facit procurator ordinis Eremitarum divi Auguſtini.

CAPUT XXXVII.

De quarta Dominica quadrageſimæ, quæ dicitur Lætare, ſive de Roſa.

QUarta Dominica quadrageſimæ, quæ Dominica Lætare, vel de Roſa vocatur, celebrare ſolet unus ex reverendiſſimis Dominis Presbyteris Cardinalibus. Hoc mane, antequam Pontifex ſecretam cameram exeat, in camera papagalli juxta lectum paramenti, aut alio convenienti loco, inſternitur parva menſa, mappulis mundis cooperta ſericeis, duo candelabra cum luminaribus, deſuper thuribulum cum incenſo, vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, ampulla cum balſamo, pixis cum muſco, & unum parvum coclear, ac candelabrum pro roſa deſuper ponenda: cum Pontifex exit de camera ſecreta, præfertur ei aurea roſa per unum ex cubicula-

riis ſecretis, & ponitur ſuper menſam ſuper candelabrum prædictum. Et omnia ſervantur circa benedictionem, & traditionem roſæ, quæ ſuperius diximus in prima parte. Pontifex igitur hora competenti auream roſam deferens ſiniſtra manu, & dextra populum benedicens, ad Eccleſiam cum pluviali; & mitra precioſis procedit, duo Cardinales aſſiſtentes, hinc & inde fimbrias pluviales Papæ elevatas portant. Caudam vero portat nobilior laicus: cum Papa fuerit in capella apud faldiſtorium, dat roſam Diacono a dextris aſſiſtenti, & ille uni ex Clericis cameræ, qui eam ad Altare portat, & per Sacriſtam, vel eo abſente, per Clericum cerimoniarium locatur ſuper Altare in medio, tunc fit confeſſio: & Miſſa incipitur more conſueto: Finita confeſſione, Pontifex aſcendit ad ſolium, celebrans utitur paramentis violaceis & mitra precioſa, miniſtri utuntur dalmatica, & tunicella, non planetis. Hac die non dicitur: *Pax vobis:* ſed, *Dominus vobiſcum.* Dicuntur quinque orationes, & alia fiunt, prout in Dominica prima quadrageſimæ. Sermonem facit procurator ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo; Finita Miſſa, datur Roſa, & ſociatur ille cui data eſt, ut ſupra diximus in prima parte.

CAPUT XXXVIII.

De quinta Dominica quadrageſimæ.

QUinta Dominica quadrageſimæ, quæ de paſſione dicitur, antequam Papa de camera exeat, cooperiantur Cruces ſuper Altare, & quæ ante Pontificem portari ſolent, ſi officium peragi debet in capella majori, conſuevit parari quoddam velum ſericeum ſuper Altare, quo imagines in pariete Altaris depictæ contegantur. Hodie celebrare conſuevit aliquis Prælatus Romanæ curiæ; tres orationes dicuntur, prima de die ſub ſua concluſione, ſecunda contra paganos, tertia pro Pontifice ſub ſua concluſione, cum in fine Evangelii

dicitur:

dicitur: *Jeſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo.* Clerici capellæ ſuper Altare velum paratum, cordulis in rotulis ſupra in altum confixis euntibus, ſurſum trahunt, ut eo imagines omnes ibidem depictæ cooperiantur, & ſermo per aliquem Prælatum, vel per fratrem ordinis ſervorum fieri conſuevit.

CAPUT XXXIX.

De ſexta Dominica quadrageſimæ in palmis, Papa præſente.

SExta Dominica quadrageſimæ, quæ palmarum appellatur, ordinentur palmæ in capella benedicendæ, diſtribuendæ, videlicet duæ magnæ variis floribus, & perpulchre laboratæ, *tertia* parva, ſimili modo ornata, & laborata pro Pontifice; aliæ palmæ primis duabus minores, etiam pulchre ornatæ, ſine floribus tamen, pro Cardinalibus, minores pro Prælatis & pro oratoribus, & magnis nobilibus, pro officialibus ac aliis omnibus ad capellam venientibus. Deficientibus palmis, parantur rami olivarum, in numero copioſo, crucibus ex foliis palmarum confectis, cingulis alligatis. Item credentiarii Papæ ordine, ut ſuper angulo Altaris capellæ, ubi benedictio fieri debet, duo vaſa convenientia pro lavandis manibus Papæ, cum mantili, & gremiali, ac medulla panis: Clerici capellæ præparent thuribulum cum navicella cocleari, & incenſo, vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, & duo candelabra cum luminaribus: paretur etiam per forerios ad oſtium capellæ baldachinum. Hora deinde convenienti, Pontifex paratus amictu, alba, cingulo, ſtola violacea, pluviali rubro, & mitra ſimplici, præcedentibus cruce ac Cardinalibus, & aliis, more ſolito venit ad capellam, ubi palmæ ſunt benedicendæ. Facta oratione ante Altare, aſcendit ad ſolium, ſedetque; tunc Cardinales veniunt ad reverentiam cum cappis, deinde capiunt paramenta ſua violacea, ut ſupra in candelis, & cineribus

ribus diximus, & ſimiliter omnes alii Prælati & officiales. Omnibus paratis, Papa, depoſita mitra, ſurgit, & miniſtrantibus duobus Epiſcopis aſſiſtentibus librum & candelam, more ſolito, Papa ſtans benedicit palmas, incipiens Verſ. *Dominus vobiſcum.* Oremus: *Auge fidem in te ſperantium, Deus, & cæt.* cum præfatione & quinque orationibus ſequentibus: interim nihil cantatur. Cum quinta oratio dicitur, Prior Presbyterorum Cardinalium venit ad dextram Papæ, & duo Acoluthi, unus cum thuribulo & navicella, & alius cum aſperſorio & vaſe aquæ benedictæ. Finitis orationibus, miniſtrante Priore prædicto, Papa adhuc ſtans ſine mitra, imponit incenſum, deinde aſpergit verſus palmas, tertio, poſtea incenſat, ter ducens thuribulum, tum dicit; *Dominus vobiſcum,* & aliam orationem, quæ incipit: *Deus, qui Filium tuum, & cætera* Tum ſedens accipit mitram, & Presbyter Cardinalis ac Acoluthi ad ſua loca revertuntur, accedit deinde Prior Epiſcoporum Cardinalium, ſtans detecto capite ante Pontificem, illi dat ſigillatim duas magnas palmas, quas Pontifex dat duobus nobilioribus curiæ tenendas, & perferendas, qui juxta Pontificem hinc & inde collocantur: deinde dat eidem tertiam minorem, qua Pontifex in officio utitur, & hanc unus ex cubiculariis ſecretis ſervat, & ad unamquamque palmam oſculantur palmam & manum Pontificis; incepta diſtributione palmarum, cantores dicunt Antiphonam, Pueri Hebræorum, prout in ordinario, palmas miniſtrant Clerici cameræ Camerario, vel ejus Vice-Camerario, qui eas det Cardinali ad illam Papæ manum aſſiſtenti, ad quam poſitæ ſunt palmæ, & duo auditores accedunt, quorum dignior mappulam pro gremio Pontificis, quam a credentiariis Papæ accipit, Cardinalibus aſſiſtentibus porrigit, qui eam gremio Pontificis ſuperponant, auditores vero illam hinc & inde genuflexi tenent usque ad finem diſtributionis. Tunc Pontifex Priori Epiſcoporum Cardinalium dat palmam, qui eam devote ſuſcipiens,

ſcipiens,

ſcipiens, ejus manum, deinde genu dextrum oſculatur. Idem faciunt ſucceſſive omnes Cardinales, poſtmodum Prælati, omnes parati, & omnes alii, pro palmis veniunt Prælati parati genuflexi: poſtquam palmas receperint, dextrum genu tantum, alii vero omnes pedem Papæ oſculantur. Vice-Cancellario, majore pœnitentiario, & Camerario, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, dantur duæ palmæ pro quolibet. Celebrans, recepta palma ſua, vadit ad faldiſtorium prope Altare, ubi, depoſito paramento, accipit cappam, ſedensque dicit Pſalmum: *Quam dilecta &c.* capit ſandalia, & paratur more conſueto. Si Miſſa in capella dicenda erit, in qua palmæ ſunt benedictæ, poterit etiam prius accipere ſandalia, & alia paramenta, & cum habitu ordine ſuo congruo ire pro palma, & deinde redire ad faldiſtorium. Si vero in alio loco benedicuntur palmæ, celebraturus, accepta palma, redit ad locum ſuum, ubi, deponens paramenta, accipit cappam, & vadit ad capellam vel Eccleſiam, ubi rem divinam eſt peracturus, ibidem paramenta recipit: miniſtri utuntur planetis ante pectus plicatis. Finita diſtributione, Pontifex lavat manus ordine conſueto, deferente aquam nobiliore laico, & miniſtrante Epiſcopo Cardinali primo: tum, depoſita mitra, ſurgit, accedunt Pontificis aſſiſtentes cum libro & candela: ac duo Acoluthi cum candelabris, & Papa ſtans dicit: *Dominus vobiſcum.* Oremus: *Omnipotens ſempiterne Deus,* prout in ordinario. Interim ordinatur ſupplicatio, & octo nobiles, qui baldachinum ſuper Pontificem portent. Papa, finita oratione, ſedens accipit mitram, &, miniſtrante Presbyterorum Cardinalium Priore, ponit incenſum. Et *nota,* quod ad Priorem Diaconorum Cardinalium ſpectat ſemper ordinare ſupplicationes: & antequam Papa ſurgat, & ejus crux ſe moveat, Diaconus a ſiniſtris Papæ aſſiſtens, verſus ad populum alta voce dicit in modum lectionis: *Procedamus in pace,* & cantores reſpondent: *In nomine Chriſti, Amen.* Supplicatio

ſit uſque ad locum, ubi Pontifex populo palmas projiciet: & deinde ad Eccleſiam, ſive capellam, ubi officium peragendum erit, proceditur eo ordine, ut ſupra, in die purificationis beatæ Mariæ virginis, eſt expreſſum. Poſtquam Pontifex palmas populo projecerit, cum ad Eccleſiam ſive capellam revertitur, antequam crux ingrediatur, intrant duo vel tres ex cantoribus, & clauditur porta, & ibi duo vel tres ex prædictis cantoribus cantant: *Gloria, laus &c.* Et cantores, qui ſunt ab extra, repetunt eundem verſum, prout in ordinario. Finitis verſibus, vel majori parte, ut tempus poſtulabit, cantores ab extra cantent Antiphonam: *Ingrediente Domino*, & Subdiaconus cum cruce tangit portam, quæ aperitur, & intrant omnes: Prælati & officiales, antequam cancellum capellæ intrent, deponunt paramenta, & ſuperpellicia, & accipiunt cappas: Cardinales vero in locis ſuis paramenta deponunt, & cappas accipiunt. Papa, cum fuerit ante Altare, orat in faldiſtorio ſine mitra, ſi prius ibidem non oravit: tum ſurgit, & cum celebrante dicit confeſſionem, & incipitur *Introitus*. Finita confeſſione, Papa aſcendit ad ſolium, ſedetque, & miniſtrante Priore Presbyterorum, imponit incenſum: quia non fit ei reverentia a Cardinalibus, cum prius facta ſit, unaque tantum oratio dicitur. Dum cantatur *Tractus*, Clerici capellæ portant paramenta ad locum, ubi ſtant cantores, ibi tres ex eis dicturi paſſionem, parantur amictu, alba, cingulo, manipulo, & ſtola, in modum Diaconi, coloris violacei omnes. Conſueverunt tamen plerumque uti variis coloribus importunitate aliquorum, & contra voluntatem Clericorum cerimoniarum, videlicet qui Evangeliſtæ perſonam ſuſtinet albo, Judæus rubro, Chriſtus nigro. Sed honeſtius eſt, ut omnes utantur violaceis. Et circa finem *Tractus* movent ſe à loco, ubi ſe induerint, & ille, qui Evangeliſtam aget, portat librum, & præcedit. Sequitur Judæus, deinde Chriſtus: faciunt reverentiam Altari & Papæ, deinde aſcendunt ad

oſculum pedis Papæ, unus poſt alium, prout venerunt: deinde vadunt ad locum Evangelii conſuetum, ubi paſſionem cantare debent ſine luminaribus, & incenſo; adducuntur etiam illuc tres Capellani celebrantes, quorum unus ſtans in medio aliorum duorum, tenet librum ſuper caput ſuum, ſicut ad Evangelium Subdiaconus tenere conſuevit, & mutantur per vices. Dum incipitur paſſio, Papa ſurgit depoſita mitra, & omnes alii ſurgunt, & ſtant usque in finem, palmas manu tenentes. Celebrans vero depoſita mitra vadit de faldiſtorio ſuo ad cornu Epiſtolæ Altaris, ubi ſtat diſcooperto capite, & palmam etiam manu tenet; ſuper Altare habet Miſſale, & plane legit paſſionem, verſus aliquantulum ad illam cantantes: Et poſtquam paſſionem legerit, dicit pro Evangelio; Altera autem die, prout in ordinario. Finita paſſione a cantoribus, redit ad faldiſtorium ſuum: cum cantor in paſſione dixerit, *Jeſus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum*, Papa in ſolio, celebrans ante Altare, & omnes alii in locis ſuis detectis capitibus genuflectunt, orantes per ſpacium unius *Pater noſter*. Tum ſurgentibus omnibus, cantor perficit paſſionem, & Papa ſedet, & accipit mitram. Cantores vero, factis reverentiis Altari & Papæ, recedunt. Diaconus autem, planetam plicatam habens ſuper humerum ſiniſtrum, accipit librum Evangeliorum, & illum ponit ſuper Altare, deinde vadit ad oſculum pedis Papæ, tum revertitur ad Altare, & ibi genuflexus dicit: *Munda cor meum &c.* . Interim miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, Papa imponit incenſum more conſueto. Diaconus dicto: *Munda cor meum &c.* accipit librum de Altari, tenens illum ante pectus ſuum, & accedit ante gradus Papæ, præcedentibus illum thuriferario, & duobus Capellanis celebrantis ſine candelabris, & luminaribus, ac Subdiacono ſequente, ut alias, petitque benedictionem, incenſat librum, & cantat Evangelium: quo finito, Papa oſculatur librum, & incenſatur, ac omnia alia fiunt, ut

in aliis Miſſis. Ad elevationem Sacramenti, Papa etiam ſolet tenere palmam ſuam, non alii: & non fit ſermo. Finita Miſſa, Papa dat benedictionem, & celebrans pronunciat indulgentias. Illi duo nobiles cum palmis præcedere debent immediate Pontificem, poſt Diaconos aſſiſtentes, uſque ad cameram papagalli, & illas ibi camerariis ſecretis conſignare.

CAPUT XL.

De officio Dominicæ palmarum, Papa celebrante.

SI Papa hac die palmarum voluerit celebrare, omnia ſervabuntur, quæ in aliis Miſſis papalibus ſervari ſolent. Diaconus & Subdiaconus utuntur planetis ante pectus plicatis, quas non accipiunt, niſi cum Papa habuerit omnia paramenta, & ipſi induti uſque ad planetam excluſive, induunt Papam. Sed paſſionem cantabunt tres cantores more conſueto, ſi Cardinalis Diaconus eam noluerit cantare: ſi autem Cardinalis cantare voluerit, ut antiqui factitarunt, ſervabitur, ut latius dicemus infra in *Paraſceve.* Cum vero perventum fuerit ad locum, ubi dicitur: *Altera autem die;* Diaconus Cardinalis, depoſita planeta, & plicata ſuper humerum ſiniſtrum, petit benedictionem, & facit ut alias, quando eſt dicturus Evangelium. Noſtris temporibus non portantur luminaria ad hoc Evangelium, ſed incenſum tantum. Legi tamen in *libris cerimonialibus*, quod luminaria portantur ad hanc partem. Quid convenientius, majores ſtatuant: alia ſervantur, ut alias.

CAPUT XLI.

De officio Dominicæ palmarum, Papa abſente.

SI vero Papa non interſit hujus diei officio, parantur palmæ in loco convenienti, ut ex Altari commode benedici poſſint. Et Cardinalis celebraturus prævenit ad Eccleſiam,

ubi

ubi capit paramenta omnia uſque ad dalmaticam incluſive, deinde imponitur ei pluviale, mitra, ac annuli Pontificales ſine chirothecis: quibus ſic indutus, poſtquam Cardinales venerint, impetrata incipiendi venia, accedit ad Altare cum mitra, & facta reverentia Cardinalibus, deponitur ei mitra, & facit reverentiam Cruci in Altari poſitæ, & ſtans in medio Altaris, ex libro ibidem ante ipſum poſito, benedicit palmas, aſſiſtente ſibi a dextris Diacono, & a ſiniſtris Subdiacono. Paratur interim aqua benedicta cum aſperſorio, & thuribulum cum navicella incenſi, quæ duo ex Capellanis celebrantis tenent. Finita benedictione, celebrans imponit incenſum in thuribulum, deinde aſpergit, tum incenſat palmas miniſtrante Diacono. Ponitur poſt hæc ei faldiſtorium ante medium Altaris, ubi ſedet, & accipit mitram & mappulam ſuper gremium: & Clerici cameræ, Vice-Camerarius, vel, in eorum abſentia, cubicularii Papæ & alius Prælatus miniſtrent palmas celebranti. Interim omnes Cardinales juxta ordinem ſuum in locis ſuis, depoſitis cappis, capiunt paramenta ſua: ſimiliter omnes Prælati ac officiales conſueti, extra cancellam capellæ paramenta, ſeu ſuperpellicia accipiunt, in quibus ad capellam revertuntur. Poſtquam omnes paramenta acceperint, accedunt Cardinales omnes, primi ſeniores, deinde alii per ordinem bini & bini, & cantores incipiunt: *Pueri Hebræorum.* Cum fuerint primi ante celebrantem, coram eo mitras deponunt: ſurgit celebrans depoſita mitra, & e manibus primi Cardinalis accipiet palmam. Deinde celebrans det eidem primo Cardinali, & ſucceſſive omnibus aliis Cardinalibus palmas, ſtans ſemper ſine mitra. Tum ſedens cum mitra, dat palmas omnibus Prælatis aliis, dum ſufficiunt, deinde det ramos olivarum. Et neque Cardinales, neque Prælati palmas accipientes, manum aut aliquid celebrantis oſculari debent: ſed ſolum palmas accipiendo, aliquantulum caput inclinant. Alii vero omnes, videlicet Protonotarii, Officiales, & quicunque alii

non parati, palmas accipiendo coram celebrante genuflexi, manum oſculari debent. Veniunt autem eo ordine ad palmas recipiendas, quo de candelis & cineribus diximus. Finita diſtributione, celebrans adhuc ſedens cum mitra ante Altare, lavat manus, deinde depoſita, ſurgit, amoveturque faldiſtorium, & ſtans in medio Altaris, verſus Altare dicit cantando: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Omnipotens ſempiterne Deus &c.* Deinde imponit incenſum in thuribulo, & ordinatur ſupplicatio. Crucem defert Subdiaconus capellæ, omnibus paramentis indutus, inter duos ceroferarios, quos præcedit thuriferarius. Crucem præcedunt ſcutiferi Papæ &c. prout ſupra in Miſſa Papæ: poſt crucem Prælati omnes parati, deinde Cardinales, & in fine celebrans ſolus medius inter Diaconum capellæ a dextris, & Capellanum ſuum aſſiſtentem ſine pluviali, ambos ejus pluvialis fimbrias ſuſtinentes. Et omnes deferunt in manibus ſuis palmas. Cantores vero juxta portam, ubi Papa conſuevit palmas projicere, ſe firment, locentur itaque per ordinem Prælati omnes, deinde Cardinales taliter, quod junior ſit juxta portam, extra quam ſolent projici palmæ populo, & hoc ordine vadunt ad locum, ubi palmæ populo projiciuntur, quem ingreditur celebrans cum ſuis miniſtris & aliis Cardinalibus, qui intrare voluerint, & palmas populo projicit. Tum ordine quo venerant, ad capellam revertuntur, ſive ad Eccleſiam, ubi Miſſa celebranda eſt. Subdiaconus vero cum Cruce, & cantores cum fuerint apud portam capellæ, ſive Eccleſiæ, ſe firment ab extra, & duo vel tres cantores intrant, & clauditur porta, omnibus aliis extra manentibus. Quibus hinc inde ſuo ordine ſtantibus, cantores qui ſunt intus, incipiunt: *Gloria, laus, &c.* Reſpondent cantores ab extra, ut in ordinario. Tum illi ab extra dicunt Antiphonam: *Ingrediente Domino*, & Subdiaconus cum Cruce portam tangit, aperitur, & intrant omnes Cardinales in

capella,

capella, deponunt paramenta in locis ſuis: Prælati vero & officiales extra cancellum capellæ, & capiunt cappas laneas, celebrans vero vadit ad Altare: ubi in faldiſtorio ſuo, depoſito pluviali, ſedet, capit chirothecas, planetam, mitram, & annulum Pontificalem. Tum accedit ad confeſſionem, dicit Miſſam more conſueto, & dicitur tantum una oratio, & non fit ſermo. Cum *Tractus* dicitur, cantores tres parant ſe pro paſſione dicenda, & circa finem *Tractus* intrant capellam, veniunt ad celebrantem, cujus manum genu flexi oſculantur: deinde cum tribus Capellanis celebrantis accedunt ad locum conſuetum, & dicunt paſſionem. Interim vero, dum paſſio dicitur, celebrans ſtans in cornu epiſtolæ Altaris, palmam in ſiniſtra tenens, &, miſſali ſuper Altari poſito, legit paſſionem & Evangelium, ut ſupra Papa præſente dictum eſt: finita paſſione, revertuntur ad loca ſua cantores. Diaconus capellæ ponit librum ſuper Altare, & celebrans accedit ad faldiſtorium, accepta mitra, ubi ſedens, miniſtrante Diacono capellæ, imponit incenſum, deinde dicto per Diaconum ante Altare: *Munda &c.* illi coram ſe genuflexo benedicit, & alia omnia fiunt, ut ſupra diximus.

CAPUT XLII.

De matutinis tenebrarum quarta feria majoris hebdomadæ, Papa præſente.

FEria quarta majoris hebdomadæ, quæ ſancta dicitur, Clerici capellæ ponunt in tempore Presbyterio, ſive in plano Altaris ad cornu epiſtolæ in oppoſito loci, ubi faldiſtorium pro celebrante poni ſolet, in capella ſacri palatii, & alibi, pro loci diſpoſitione, ponatur candelabrum in ſuperiore parte triangulati, aptum pro quindecim candelis, unius libræ pro qualibet, vel circa, ſuper candelabrum ipſum aptant, & collocant candelas ipſas pro matutinis tenebrarum. Hora deinde

inde convenienti, Papa indutus amictu, alba, cingulo, ſtola violacea, & manto cum capputio, inverſo ſupra caput, vel cappa rubra de ſcarlato ſine mitra, & non præcedente Cruce, vadit ad capellam, & poſt eum Cardinales & Prælati: Alii Diaconi Cardinales, qui alias aſſiſtere ſolent, vadunt poſt Presbyteros Cardinales in loco ſuo, quia Papæ non fit aſſiſtentia: fimbrias portat dignior ex aſſiſtentibus Epiſcopis poſt Papam. Quando Papa habet mantum, aſſiſtentes Epiſcopi non debent habere cappas, ſed mantum, quod mantellum aſſiſtentis, ſive croceam, vocant, cum capputio inverſo, in modum cubiculariorum. Cum Papa pervenerit ad capellam, facit orationem more ſolito, deinde vadit ad ſedem ſuam. Cardinales non aſſiſtunt, neque fit ei reverentia a Cardinalibus: cum quieverit aliquantulum, ſurgit, & detecto capite verſus ad Altare, dicit ſecrete *Pater noſter:* quo completo, caput ſibi ipſi cooperit, & cantores incipiunt pro matutinis: *Zelus domus tuæ, & cætera*, & cum incipitur Pſalmus, Papa ſedet, & omnes alii aſſiſtentes Epiſcopi aptant mantum Papæ, ſive cappam. Ad finem cujuslibet Pſalmi, tam in matutinis, quam in laudibus, cerimoniarius, facta reverentia Papæ, accedit ad candelabrum quindecim candelarum, & extinguit unam ex candelis: finito primi nocturno, Papa ſurgit, & detecto capite ſtans verſus ad Altare, dicit: *Pater noſter*, ſecrete, & illud proſequitur; quo finito, ſine ulla pronunciatione, abſolutione, ſive benedictione ſedet: ſimiliter & alii omnes cantores in loco eorum ſtantes, ex libro ſuper eorum pulpito poſito, verſi ad Altare abſolute incipiunt lectiones ex libro Threnorum ſive lamentationum Hieremiæ prophetæ, ut in breviario, & in principio, & fine faciunt reverentiam Altari, & Papæ; idem fit in ſecundo & tertio nocturno. Cum incipitur *Benedictus*, Papa ſurgit ſtans detecto capite verſus ad Altare, remanet una candela ſuper candelabrum. Interim extinguuntur per cerimoniarium candelæ ſupra Altare paulatim, qui ita diſpenſat tempus, ut in ultimo

ultimo verſu extinguat ultimam candelam: Clerici capellæ extinguunt etiam eodem ordine ſex intorticia, poſita ſuper cancellum capellæ: dum replicatur Antiphona ad *Benedictus*, Papa circa finem deſcendit ad faldiſtorium, & cerimoniarius accedit ad candelabrum, & unicam candelam inde accipiens, eam ardentem ad cornu Epiſtolæ Altaris portat, & eam ibi ſub Altari abſcondit ardentem. Cum incipitur, *Chriſtus factus*, Papa genuflectit in faldiſtorio, & ſuper illud procumbit. Quo finito, cantores dicunt: *Miſerere*, alte legendo ſine nota usque ad finem. Et Papa adhuc genuflexus dicit orationem, *Reſpice &c.* voce intelligibili usque: *Qui tecum*, excluſive, quod ſecrete complet. Et finita oratione, cerimoniarius incipit pulſare manibus ſuper gradum Altaris, vel aliquod ſcabellum, & omnes faciunt fragorem, & ſtrepitum aliquantulum. Et mox cerimoniarius profert candelam accenſam, & omnia ſilent, ſurgunt & diſcedunt: candelæ quindecim ſpectant ad Clericos cerimoniarum. Supra ſcripta omnia ſervantur in quinta, & ſexta feria ſequentibus in matutinis, in quibus non portatur Crux ante Papam, neque ipſe venit cum mitra.

CAPUT XLIII.

De matutinis tenebrarum quarta feria majoris hebdomadæ, Papa abſente.

PApa vero abſente, pro matutinis tenebrarum in quarta feria majoris hebdomadæ, poſtquam Cardinales aliqui in capella fuerint, & aliquantulum quieverint, & intorticia ſuper cancellum, ac candelæ ſuper Altare, & candelabrum accenſa ſunt: Cerimoniarius, licentia impetrata, cantoribus ſignum facit, qui dicant: *Pater noſter*, & incipiunt Antiphonam primi Pſalmi, qua incepta, ſurgunt Cardinales, & omnes alii; incepto Pſalmo ſedent omnes: cerimoniarius in fine,

 cujus-

cujuslibet Pſalmi extinguit unam candelam, ut ſupra, cum reſpondetur ad verſiculum cujuslibet nocturni, omnes ſurgunt, & detectis capitibus, verſi ad Altare, ſtantes dicunt ſecrete: *Pater noſter*, deinde ſedent, & cantores dicunt lamentationes & lectiones, ut ſupra, cum incipitur *Benedictus*, ſurgunt Cardinales, & alii omnes, & eo finito, cum repetitur Antiphona, ſedent uſque quo incipiatur: *Chriſtus factus*; tunc genu flectunt, finito *Miſerere*, prior Cardinalium, vel, ut aliquando ſervatum eſt, Cardinalis in craſtinum celebraturus, genuflexus in ſuo loco inter alios Cardinales dicit Orationem: *Reſpice &c.* alia omnia fiunt ut ſupra.

CAPUT XLIV.

De quinta feria majoris hebdomadæ, qua cœna Domini dicitur, Papa præſente.

FEria quinta in cœna Domini, Sacriſta debet ſummo mane, aut per diem antea, paraſſe locum, ubi honorifice reponatur Sacramentum; quod Romæ fieri ſolet in parva capella palatii, & Forerii baldachinum album ante cancellos capellæ magnæ. Super credentia, præter conſueta, paratur alius calix cum palla & patena, & mappula ſericea; ſuper calicem pro Miſſa ordinatum, ponantur duæ Hoſtiæ conſecrandæ. Item portentur candelæ circa finem Miſſæ diſtribuendæ, pro deducendo Sacramento & proceſſibus, ad locum convenientem, videlicet una duarum librarum vel circa, pulchre laborata pro Papa, pro Cardinalibus ceræ albæ trium librarum, vel circa, quælibet, & duarum librarum ceræ communis quælibet, pro Prælatis paratis tantum: quia nullis aliis candelæ diſtribuuntur. Item parentur duodecim intorticia ad honorandum Sacramentum cum portatur, deinde hora competenti Papa indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, pluviali albis, & mitra precioſis, venit ad capel-

lam,

lam, orat & facit confeſſionem more ſolito, non fit ei reverentia a Cardinalibus, quia fiet poſtea in loco benedictionis, antequam legantur proceſſus. Facta confeſſione, Papa aſcendit ad ſolium, ſedetque, & miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, imponit incenſum, incenſatur Altare, Papa, & celebrans more conſueto. Interim Cardinales veniunt ad circulum: *Gloria in excelſis*, & *Pax Domini* ad collectam primam, & *Credo in unum Deum* dicuntur, & una oratio tantum: non fit ſermo, non datur oſculum pacis poſt *Agnus Dei*, ſed *Pax Domini*, & *Agnus Dei*, ante omnes orationes ſequentes dicuntur. Omnia alia fiunt ut alias: paulo ante communionem, cerimoniarius portat calicem prædictum de credentia ad Altare, pro reponendo in eo Corpus Domini reſervandum. Facta communione per celebrantem de utraque ſpecie, antequam ſe purificet, reponit reverenter Corpus Domini reſervandum in calicem ultimo paratum, quem Diaconus cum palla, patena deſuper poſita, ac velo ſericeo cooperit, & in medio Altaris collocat reverenter, deinde celebrans ſe purificat in eodem loco, & reverentia facta Sacramento ſine mitra, quaſi lateraliter in cornu Epiſtolæ, ubi ſtans verſa facie ad populum, lavat manus ob reverentiam Sacramenti, & complet Miſſam. Interim Prælati & Subdiaconi, auditores, Clerici cameræ, & Acoluthi extra cancellum capellæ capiunt paramenta & ſuperpellicia, ut moris eſt. Subdiaconus Crucem ante Pontificem portaturus, omnia paramenta accipiat, ac ſi epiſtolam eſſet dicturus: per cerimoniarium vero diſtribuuntur candelæ, quæ portantur per Clericos capellæ: pro Sanctiſſimo Domino noſtro datur uni ex cubiculariis ſive ſecretis, & pro Cardinalibus dantur ſuis familiaribus ſervientibus de cera alba, omnibus autem aliis Prælatis paratis de cera communi. Et in fine Miſſæ dicitur: *Ite, Miſſa eſt*. Finita Miſſa, Papa dat benedictionem, & non indulgentias, & celebrans ſignans Altare dicit: *Initium Sancti Evangelii*. &c.

 Accedit

Accedit ad faldiſtorium, exuitur omnibus paramentis Miſſalibus, & deinde alia ordini ſuo convenientia accipit, ſicut alii Cardinales, & vadit ad locum ſuum inter alios Cardinales, qui omnes paramenta, ordinibus ſuis convenientia, accipiunt. Sex Capellani celebrantis cum ſuperpelliciis intorticia ante Sacramentum portant omnibus paratis, duo Acoluthi offerunt duo thuribula Papæ, & miniſtrante Presbytero Cardinali, Papa imponit incenſum, & accenduntur omnes candelæ Papæ, Cardinalium, & Prælatorum, ac duodecim intorticia, vel plura, ſi Papæ placet, quæ portantur per Capellanos celebrantis, duo per quemlibet: deinde Papa deſcendit ad Altare, ubi genuflexus corpus Domini in calice pro craſtina die repoſitum reverenter incenſat, ter thuribulum ducens. Deinde calicem ipſum cum Sacramento, facta reverentia, devote accipit, illumque detecto capite portat ſub baldachino, quod extra cancellos capellæ expectantes, aſſiſtentes Papæ digniores Epiſcopi cum ſuis pluvialibus portant, mitras ſuas in manibus ferentes. Hoc autem ordine proceditur: primo ſcutiferi Papæ, Procuratores ordinum, Advocati mixtim cum Secretariis, cubicularii, nobiles & oratores, cantores Papæ, hymnum *Pange lingua* cantantes, Clerici cameræ, Auditores, duo Acoluthi cum candelabris, Subdiaconi, quorum unus tunicella, & alius, ut ſupra, paratus, Crucem portat: poſt Crucem Abbates, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Oratores, Prælati, Vice-Camerarius, ſi eſt Epiſcopus, alii aſſiſtentes Papæ, Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, Cardinales omnes ſine mitris. Deinde omnia intorticia, quæ ſequuntur, duo acoluthi cum candelabris, & duo Acoluthi cum thuribulis, Sacramentum continuo incenſantes. Deinde Papa medius inter duos Diaconos Cardinales aſſiſtentes ſub baldachino, ut diximus, qui hinc inde phrygium pluvialis Papæ elevatum retinent. Caudam portet dignior laicus urbis: Papam ſequantur, auditor de mitra ſerviens, medius inter duos cubiculario rios

rios ſecretos: Protonotarii, & alii, ſine paramentis. Cum Papa fuerit in loco, ubi Sacramentum reponi debet, Cardinalis, qui celebravit, vel Diaconus a dextris Papæ aſſiſtens, illud de manibus Papæ recipiat, & in locellum reponat. Et Papa aliquantulum retrocedens, facta reverentia, incenſum, miniſtrante Presbytero Cardinali, imponit, & Sacramentum denuo, ut prius, incenſat. Deinde Sacriſta locellum claudit, & clavem tradit Cardinali in craſtinum celebraturo.

CAPUT XLV.

De Proceſſibus, qui fiunt per Papam.

HIs peractis, extinguuntur candelæ & intorticia omnia, præter faculas, quæ ſuper candelabris Acoluthorum ſunt, Crucem præcedentium, & itur ſupplicationis more ad locum, ubi proceſſus legi debent, ordine, quo ex capella majore ad minorem cum Sacramento venerunt: baldachinum per oratores, vel nobiles ſupra Papam portatur. Cum ad locum benedictionis pervenerint, vel potius ſtatim repoſito Sacramento, Papa demiſſo pluviali & ſtola albis, accipit ſtolam, & pluviale rubra precioſa, ſedetque ſuper ſedem ibidem ſibi paratam, ubi Cardinales omnes tantum ad reverentiam recipit: deinde accedit ad pulpitum, unde videat populum. Et Subdiaconus tunicella indutus, ſtans a ſiniſtris Papæ, legit proceſſum latine: & Diaconus Cardinalis, ſtans a dextris, Italico ſermone. Dum incipiuntur proceſſus, accenduntur candelæ, & Papa & alii tenent ſuam accenſam. Finitis proceſſibus, Papa & omnes alii projiciunt eas ſuper populum. His peractis, movetur pannus niger, qui erat ante Papam, pendens in conſpectu populi, datur benedictio ſolennis, Sancti Apoſtoli, *& cætera, ut in libro*, & publicatur plenaria indulgentia per duos Diaconos Cardinales aſſiſtentes, in latino per illum a dextris, in ſermone Italico per illum a *ſiniſtris*. Deinde

Papa revertitur ad palatium, ad mandatum faciendum. Et Cardinales ſeniores, ſi volunt, Pontifice indulgente diſcedunt. Juniores, & Diaconi remanent, paramenta vero dimittunt in loco benedictionis.

CAPUT XLVI.

De Mandato faciendo.

CUm Papa pervenerit ad aulam, ad hoc paratam, ſint ibi ordinati tredecim pauperes in albis veſtibus novis, a Pontifice ſibi datis, ſedentes ſuper ſcamnis altis bene ornatis: credentia ornata ſit cum floribus & herbis odoriferis, vaſis cum aqua calida & frigida, ac rebus aliis opportunis, videlicet pelvibus tredecim, cum totidem vaſis, aqua calida implendis. Item tredecim mappulis in alio bacili. Item aurei papales tredecim duplices, ſive viginti, ſex ſimplices, & totidem nummi argentei, pro eleemoſyna pauperum. Nam Papa dat cuilibet pauperi unum aureum duplicem, vel duos ſimplices, & totidem argenteos, & hi in aliquo vaſe diſponuntur, duo vaſa pro lavandis manibus Papæ cum ſuo mantili. Item paretur etiam pulpitum cum ſuo pallio albo pro Evangelio, & liber Evangeliorum, ac aliud pulpitum pro cantoribus, duo candelabra cum luminaribus, thuribulum cum navicella, & incenſo, quæ Acoluthi teneant, ſedes Pontificalis in plano, pluviale rubrum, & ſimplex, & ſtola violacea pro Pontifice, & liber pro oratione. Cum perventum fuerit ad locum, Papa exuit pluviale precioſum, & induit ſimplex, & ſedet in ſede ſua cum ſimplici mitra. Tunc Acoluthus cum thuribulo accedit, & miniſtrante primo Presbytero Cardinali, vel digniore alio poſt eum, in ejus abſentia, Papa imponit incenſum more conſueto; Deinde Diaconus Cardinalis, paratus ſacris veſtibus, librum tenens ante pectus; ſtans ante Pontificem detecto & inclinato capite, petit benedictio-

dictionem, dicens: *Jube, Domine, benedicere.* Deinde vadit ad pulpitum, poſt quod ſtet Subdiaconus Apoſtolicus, tunicella & aliis paramentis indutus, tenens librum more ſolito. Et Diaconus dicit: *Dominus vobiſcum,* ſignet, incenſet & cantet Evangelium: quo finito, ceroferarii revertuntur ad credentiam, & Clerici capellæ amovent pulpitum: Subdiaconus autem portat librum oſculandum Pontifici, & Diaconus, qui Evangelium dixit, illo finito, Papam incenſat. Cantores, finito Evangelio, cantant: *Mandatum novum.* Papa tunc ſurgit, extrahitur ei pluviale, & portatur ex credentia linteum per auditorem ſeniorem, minore auditore ipſum præcedente, quo Papa per Cardinales aſſiſtentes præcingitur, & præcinctus deſcendit, & genuflexus cum mitra ſimplici ante primum pauperem, aſſiſtentibus ſibi duobus Diaconis Cardinalibus, lavat ei pedem dextrum, quem Subdiaconus, tunicella indutus, a dextris Papæ genuflexus tenet. Unus ex cubiculariis, (*nam per ordinem veniunt unus poſt alium cum pelvi & aqua*) ad ſiniſtram Papæ genuflexus, ſiniſtra ſua vas tenet, & dextra ex aquiminario aquam tepidam miſcet: lotum pedem Papa ſtatim mantili tergit, oſculatur. Theſaurarius, vel, in ejus abſentia, unus ex Clericis cameræ, tenet pelvim cum pecuniis, & alius ex Clericis vas cum mappulis, & cum Papa oſculatus eſt pedem, dat lavato mappulam, cum qua eum exterſit, & aureum duplicem, vel duos ſimplices, cum tot argenteis. Idem facit ſucceſſive ſingulis: & pro ſingulis portentur per alios cubicularios ſingula vaſa. Lotis omnibus, Papa revertitur ad ſedem ſuam, ſedetque, & lavat manus cum cerimoniis conſuetis. Deinde ſurgit, dicit *Pater noſter* ſecrete: poſtea, *Et ne nos, & cætera.* Reſp. *Sed libera nos, &c.* Verſ. *Tu mandaſti mandata tua, Domine.* Reſpond. *Cuſtodiri nimis.* Verſ. *Tu lavaſti pedes diſcipulorum tuorum.* Reſp. *Opera manuum tuarum ne deſpicias.* Verſ. *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus*

vobiſcum.

vobiſcum. Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Adeſto Domine, quæſumus, officio ſervitutis noſtræ: & quia diſcipulis tuis pedes lavare dignatus es, ne deſpicias opera manuum tuarum, quæ nobis retinenda mandaſti, ut, ſicut hic a nobis exteriora abluuntur inquinamenta, ſic a te omnium noſtrum interiora laventur peccata: quod ipſe præſtare digneris, qui vivis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.* Duo interim Acoluthi ante ipſum duo candelabra cum luminaribus tenent. His finitis, Papa omnibus præſentibus nihil dicens, intrat cameram; & omnes diſcedunt. Omnes Prælati, qui mandato hujusmodi, ſeu lotioni, intereſſe voluerint, debent habere cappas, prout in capella habere conſueverunt, & non mantellos. *Notandum,* quod ante SIXTUM *Papam* IV. proceſſus ſolebant legi, & benedictio ſolennis dari plerumque ante Miſſam. Deinde dicebatur Miſſa, & Sacramentum poſt communionem portabatur ad loculum pro die craſtina per Diaconum, ſecundum rubricam communem, & aliquando per celebrantem, ſociantibus tantummodo miniſtris Altaris cum luminaribus: & illis reverſis, finiebatur Miſſa, & in fine proceſſus non erant lecti ſupplicantium more, illuc proficiſcebatur Pontifex, cum omnibus ordinibus Curiæ, & legebantur, & in fine fiebat mandatum, ut dictum eſt. SIXTUS autem *præfatus,* proinde conſiderans, Salvatorem noſtrum non poſſe a nobis ſatis dignis laudibus venerari, ordinavit modum ſupradictum. Finita Miſſa, poſtquam Papa deceſſerit, forerii debent nudare totam capellam, Altare, ſedem Papæ, & omnia.

CAPUT XLVII.

De officio in Cœna Domini, Papa celebrante.

SI hac die Pontifex vellet ipſemet celebrare, & ſicut antiqui conſueverunt primo proceſſus facere, tamen poterit ſervari ordo a SIXTO IV. datus, ſi placuerit, & tunc Pontifex

cum

cum pluviali rubro, & mitra ſimplicibus, deſcendit ad Eccleſiam ordine conſueto, & non ſupplicatione inſtructa. Facta oratione ante Altare, aſcendit ſedem, ubi conſuevit accipere paramenta: nec vero fit reverentia a Cardinalibus: quia fiet in loco, ubi proceſſus leguntur. Tres Diaconi, Subdiaconi, Acoluthi, Clerici cameræ, & auditores parantur paramentis ſibi convenientibus. Diaconus Evangelii, & Subdiaconus Epiſtolæ, capiunt ſibi omnia opportuna, præter manipulum. Pontifex deinde, ſurgens ſine mitra, ſub ſilentio dicit: *Pater noſter*, & cantores dicunt *Nonam* ſine nota. Interim imponuntur Papæ ſandalia, more conſueto, & legit Pſalmos: *Quam dilecta &c.* In fine, cum dicitur: *Chriſtus factus eſt, &c.* deſcendit ad faldiſtorium ante Altare, & genu flectit usque ad finem, & finito a cantoribus *Miſerere*, etiam genu flexus dicit orationem: *Reſpice quæſumus;* deinde redit ad ſedem ſuam, ubi lavat manus, & deponit pluviale & mitram, & accipit paramenta albi coloris precioſa, & alia, ut moris eſt. Et tunc Cardinales, & omnes Prælati capiunt paramenta ſibi convenientia. Prior Epiſcoporum Cardinalium aſſiſtit, omnia fiunt, ut in aliis Miſſis Papalibus, niſi quod Papa communicat ſolus in Altari, & non in ſede eminenti, & ſanguinem ſumit ex calice, non cum calamo, & reponit corpus Chriſti reſervandum in craſtinum in calicem paratum, antequam digitos abluat, quod antiquitus portabatur mox ad ſacriſtiam, quæ eſt apud Altare Divi Petri, per Diaconum, vel per Epiſcopum Cardinalem aſſiſtentem. Poterit tamen portari per Papam in fine Miſſæ, ſecundum inſtitutionem SIXTI, ſupplicantibus omnibus cum candelis, ut ſupra: & repoſito Sacramento, extinctis candelis, ibitur more conſueto ad legendos proceſſus. Conſueverunt Romani Pontifices hac die conficere ſanctum chriſma, & oleum ſanctum, & catechumenum, & benedicere *Agnus Dei* in primo anno Pontificatus.

CAPUT XLVIII.

De officio diei Jovis ſanctæ, Papa abſente.

SI Pontifex officio diei Jovis non interſit, paratis omnibus pro Miſſa celebranda, & reſervando in craſtinum Sacramento, quæ ſuperius diximus, Cardinalis celebraturus tempore congruo capit paramenta, & ſolitis cerimoniis perficit Miſſam uſque ad factam communionem: deinde, antequam ſe purificet, reponit Sacramentum reſervandum in calice, incenſat, &, ſupplicatione habita, illud portat ad locum præparatum, hoc ordine: Præcedunt ſcutiferi Cardinalium & Papæ, ſi adſunt Advocati, Secretarii, Cubicularii, deinde Acoluthi, Clerici cameræ, auditores, Subdiaconi Apoſtolici, Nobiles Oratores, cantores dicentes: *Pange lingua.* Capellani cum intorticiis, cerimoniarius cum thuribulo, ſeu duo cerimoniarii cum duobus thuribulis, continue incenſantes ſacramentum: deinde celebrans ſine baldachino medius inter Diaconum & Subdiaconum, quem ſequuntur ſine paramento Epiſcopi, Cardinales, Presbyteri, & Diaconi, & Prælati in cappis ſuis, & alii officiales: ſi tamen vellent parati cum ſolenni ſupplicatione procedere, ſervaretur ordo deſcriptus ſupra, quando Sacramentum portatur per Pontificem, niſi quod Crucem portaret Subdiaconus capellæ, & Cardinali miniſtrarent ſui miniſtri, & non Officiales Papæ. Repoſito Sacramento, eodem modo revertuntur ad Altare, & perficitur Miſſa, datur benedictio, & publicantur indulgentiæ, ſi Papa non facit proceſſus.

CAPUT XLIX.

De lotione pedum tredecim pauperum, Papa abſente.

PAratur in aula conſueta pro tredecim pauperibus lavandis credentia, & alia, ut ſuperius diximus: deinde venit Cardinalis

dinalis lavaturus. Sedet, faldiſtorio in loco convenienti ſibi præparato, ubi accipit ſtolam & pluviale violacea, & mitram ſimplicem, & miniſtrante Diacono capellæ, qui paratus cum Subdiacono, ut in Miſſa fuerat, ei aſſiſtit. Cardinalis imponit incenſum, deinde Diaconus librum Evangeliorum ante pectus tenens, genuflectit ante Cardinalem, benedictionem petens: qua accepta, aſtantibus duobus ceroferariis, vadit ad pulpitum ſignans, incenſans, cantans, ut moris eſt, Subdiacono capellæ ſtante retro pulpitum, & librum tenente. Finito Evangelio, ceroferarii revertuntur ad credentiam; Subdiaconus portat librum oſculandum Cardinali, & Diaconus eum incenſat, deinde deponitur Cardinali pluviale, & per unum e ſuis Capellanis portatur linteum, quo per Diaconum & Subdiaconum cingitur: accedit deinde cum mitra ad pauperes, & incipiens a primo, ſingulis genuflexus pedem dextrum lavat, extergit, oſculatur, & dat mappulam cum aureis & argenteis, Subdiacono pedem tenente, & Capellanis ſuis pelves & aquam, Clericis cameræ vaſa cum mappulis & pecunia miniſtrantibus. Quibus lotis, accedit ad faldiſtorium, ubi ſedens lavat ſibi manus, uno ex ſcutiferis aquam miniſtrante: tum ſurgit, & detecto capite incipit alte, *Pater noſter*, quo ſecrete completo, dicit: *Et ne nos, & verſ.* & orationem, *Adeſto Domine*, prout in ordinario, qua finita, depoſitis ſacris veſtibus, accipit cappam, & ad domum ſuam revertitur.

CAPUT L.

Quando Papa proceſſibus tantum intereſſe volet, & publicam indulgentiam populo dare.

SI vero Papa hodierna die Miſſæ & mandato non intereſſet, ſed Proceſſibus tantum, id hoc ordine agitur: Poſt benedictionem Miſſæ, per celebrantem datam, non publicantur indulgentiæ, Prælati etiam & Cardinales, ac alii, accipient pa-

 ramenta

ramenta in locis ſibi convenientibus, & diſtribuantur candelæ, ut ſupra dictum eſt. Pontifex autem indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, pluviali rubro, & mitra precioſis in camera papagalli, miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, ex more imponit incenſum, & ſupplicabunde procedit ad locum, ubi leguntur proceſſus: Crucem præcedunt thuriferarius, & ceroferarii, & alii, ut alias. Et portatur baldachinum per nobiles, & oratores ſuper Papam usque ad locum benedictionis: fit ibidem Papæ reverentia per Cardinales more ſolito, accenduntur candelæ omnes, & leguntur proceſſus. Quibus finitis, projiciuntur candelæ, amovetur pannus niger, Papa benedicit more conſueto, & deinde ad cameram ſuam vadit, ſicut ſervatum fuit anno primo INNOCENTII VIII. propter ejus infirmitatem.

CAPUT LI.

De ſexta Feria majoris hebdomadæ, Papa præſente.

DIe veneris in paraſceve, ſolet officium facere qui præcedenti die in cœna Domini celebravit, quia videtur inde dependere, & unum atque idem eſſe officium. Cardinalis celebraturus parat ſe cum paramentis nigris ſive ſandaliis, & ſine chirothecis, & non dicuntur antiphonæ: *Ne reminiſcaris*, nec *Pſalmus: Quam dilecta, &c.* Miniſtri utuntur planetis plicatis: Altare debet eſſe totaliter diſcoopertum, ſuper credentiam debet eſſe vas cum bocali tantum pro lavandis manibus, & non alia vaſa ad ornatum, quæ in aliis Miſſis habentur, & aliud vas pulchrum pro offertorio juxta Crucem pro tempore adorationis ponendum, cum duabus mappulis ſericeis pulchris: mappa credentiam tantum cooperiat, & a nullo latere dependeat, & duo candelabra cum faculis, & ſex intorticia non accenſa ſuper cancellos, quæ omnia poſt adoratio-

orationem accenduntur. Ante Altare faldiſtorium pro Papa more conſueto, uno tantum pulvino violaceo deſuper poſito, & ad ſiniſtrum aliquantulum retro ponitur ſcabellum nudum pro celebrante: tota capella nuda eſt, & ſedes Papæ pulpito violaceo tantum cooperta. Hora competenti Pontifex indutus amictu, alba, cingulo, ſtola violacea, & cappa purpurea, cujus capucium duabus ſpinulis hinc & inde ſuper ſpatulis aptetur, ne retro cadat, in capite habens mitram ſimplicem, Cruce velata, & Cardinalibus præcedentibus venit ad capellam, procumbit in faldiſtorio, & diutius orat, videlicet per ſpacium unius *Miſerere mei Deus*, vel circa, ut ſibi placet. Cardinalis celebraturus, indutus ut ſupra, ſine mitra accedit prope Papam cum ſuis Diacono & Subdiacono, & ſuper ſcabellum nudum, a ſiniſtris Papæ ſibi præparatum, ſimiliter oret: interim Clerici capellæ unam mappam, ſive tobaliam, tantum ſuper Altare extendunt. Orationibus finitis, Papa aſcendit ad ſedem ſuam nudam; aſſiſtentibus ſibi duobus Diaconis Cardinalibus more ſolito, & celebrans ad ſuum faldiſtorium etiam nudum. Non fit reverentia per Cardinales, neque miniſtri prophetias, paſſionem & Evangelium dicturi, oſculantur pedem Papæ: ſed ſine oſculo omnia fiunt. Poſtquam omnes confederint, unus ex cantoribus ſuperpellicio tantum indutus, aſſociatus per Cerimoniarium accedit ad locum, ubi Epiſtola dici ſolet, & factis Papæ & Altari reverentiis, ſibi ipſi librum tenens, legit primam propheciam ſine titulo: finita prophetia, factis reverentiis, cantor ſolus redit ad ſuum locum. Cerimoniarius portat librum ad Altare, & celebrans legit ex Miſſali prophetiam & Tractum: poſt prophetiam dicitur Tractus: *Domine exaudi &c.* quo finito, celebrans ſtans ante faldiſtorium verſus ad Altare, ſine *Dominus vobiſcum*, abſolute dicat, *Oremus*, & Diaconus retro eum ſtans, *Flectamus genua*, & Subdiaconus, *Levate*, celebrans dicit orationem, deinde ſedet, & aliam prophetiam cantat etiam ſine titulo

Subdiaconus in dicto loco, & ea cantata legitur per celebrantem cum Tractu. Alius poſtea Tractus dicitur, qui dum cantatur, portantur paramenta ad cantores, & tres ex eis parantur pro paſſione cantanda, ut dictum eſt in Dominica palmarum, qui in fine Tractus veniunt, & facta reverentia, locantur in loco conſueto, & aſſiſtentibus tribus Capellanis, ut librum teneant, cantant paſſionem, ut ſupra, in die palmarum, dictum eſt. Celebrans autem, incepta paſſione, nulla ad Papam facta cerimonia, detecto capite accedit ad cornu epiſtolæ Altaris, ſtans aliquantulum verſus ad paſſionem ſine mitra, & paſſionem cum Miſſali ante eum poſito legit ſecrete. Et cum perventum eſt per cantores ad locum, ubi dicitur: *Et, inclinato capite, tradidit ſpiritum,* Papa, & celebrans, ac omnes alii in ſuis locis genuflectunt, verſi ad Altare, aliquantulum orantes: cum Papa ſurgit, & ſe erigit, ſurgunt omnes, & continuatur paſſio uſque ad finem: qua finita, Papa & celebrans, ac Cardinales ſedent. Tum Diaconus capellæ, depoſita planeta, capit illam, vel aliam plicatam, quæ ſub brachio ejus dextro ligatur. Celebrans in Altari perficiat paſſionem in toto. Pervento deinde ad locum, qui legitur in tono Evangelii, cantores, factis reverentiis, revertuntur unde venerunt. Diaconus capellæ ponit librum ſuper Altare, & genu flexus dicit: *Munda cor meum:* deinde ſine benedictione, & ſine luminaribus, & abſque incenſo, præcedente cerimoniario, & ſequentibus ipſum Subdiacono & duobus Capellanis celebrantis, accedit ad locum Evangelii, & cantat ut in libro, quem Subdiaconus tenet, ſtans in medio inter duos Capellanos prædictos. Conſueverunt tamen antiqui portare luminaria ad partem, in qua legitur in tono Evangelii: & ea finita, illa extinguere: & ita ſervatum legi tempore GREGORII IX. INNOCENTII III. & aliorum; hodie non ſervatur. Lecto Evangelio, Papa non oſculatur librum, neque incenſatur: ſed ille, qui eſt oraturus, accedit

accedit ad pedes Papæ, & illis non oſculatis, neque petita benedictione, tantum petit indulgentias. Deinde vadit ad pulpitum, facit ſermonem, & in fine ſtatim pronunciat indulgentias: quia non dicitur *Confiteor*, neque datur *benedictio*. His peractis, celebrans ſurgit, & dimiſſa mitra, accedit ad cornu Altaris Epiſtolæ, & dicit orationes ſolennes, prout in Ordinario, in quibus diligenter advertendum eſt in reſponſione *Amen*, & ad *Flectamus genua*, quando dici debeant, & quando omitti. Cum dicitur ultima oratio, vel parum ante, Clerici capellæ ponunt unum magnum tapete a ſuperiori gradu Altaris per longum capellæ, & ſuper primos gradus ponunt pulvinum magnum violaceum, & deſuper mappulam unam ſericeam, pulchram, ſuper qua poſtmodum Crux ponitur. Finitis orationibus, celebrans accepta mitra vadit ad faldiſtorium, ubi deponit mitram & caſulam, & procedit ad poſterius cornu Epiſtolæ, juxta parietem, & Diaconus accipit Crucem velatam de Altari, & illam offert celebranti: qui eam reverenter accipiens, ejus ſummitatem ad Crucis transverſum detegit manu dextra: deinde ambabus manibus eam elevans ad oculorum altitudinem, ſtans, voce demiſſa ſolus cantat: *Ecce lignum Crucis*, Capellano ſuo aſſiſtente cum pluribus a ſiniſtris ſibi librum tenente. Omnes tunc ſurgunt, & capita detegunt: cerimoniarius, miniſtri & Capellani omnes celebrantes apud Altare, omnes proſequuntur: *In quo ſalus mundi pependit*. Cantores tunc perficiunt: *Venite, adoremus*: ad quæ verba, videlicet: *Venite, adoremus*, Papa & omnes alii, excepto celebrante, genu flectant: deinde celebrans procedit ad ipſum cornu Altaris, in eodem latere manens, & diſcooperit brachium dextrum Crucis, & caput figuræ crucifixi, & eam elevat, ut ſupra, & aliquantulum altius cantat, ut ſupra: cui reſpondetur, & genuflectitur, ut ſupra. Tertio celebrans procedit ad medium Altaris, & verſus ad populum, diſcooperit totam crucem, & altius

cantans,

cantans, facit ut ſupra, & ut ſupra reſpondetur, & genuflectitur. Finitis reſponſionibus, celebrans cum reverentia, & devotione ſolus ſine miniſtris vadit ad locum paratum prædictum, non faciendo reverentiam neque Papæ, neque Altari, ubi genuflexus reponit Crucem reverenter, ſurgit, & facta tantum Papæ reverentia, ad faldiſtorium ſuum revertitur, ubi unus ex ſcutiferis ſuis ei ſedenti calceamenta detrahit. Interim per cerimoniarium ponitur ad ſiniſtrum brachium Crucis pro offertorio vas unum aureum, & cantores incipiunt cantare: *Popule meus*, & continuant ad finem adorationis. Tum per cerimoniarium nudatur Crux Papalis, & Acoluthi omnes accedunt ad elevandas fimbrias Papæ, cubicularii ſecreti ſubtus genu flexi extrahunt ejus calceamenta. Quod ſi forte Pontifex, propter ejus invaletudinem, aut alia ratione, non velit ſibi calceamenta detrahi, debent nihilominus Acoluthi fimbrias tenere, & cubicularius ſubtus genu flectere, ac ſi calceamenta deponeret ad devotionem, & exemplum circumſtantium. Auditores fimbrias non elevant, ſed Papa, dimiſſa mitra, vadit ad adorandum Crucem medius inter duos Diaconos Cardinales aſſiſtentes, quem aliqui ex ſuis Epiſcopis aſſiſtentibus ſequuntur, & ter cum diſtantia genuflectit, & orat, antequam illam oſculetur. Et poſtquam illam oſculatus fuerit, projicit in appoſitum vas ibi paratum viginti quinque ducatos in auro, vel plures, ut ſibi placet, & revertitur ad ſedem ſuam, & acoluthi, ut ſupra, fimbrias tenent, & cubicularii calceos reponunt. Quo facto, accedunt duo Epiſcopi aſſiſtentes cum libro & candela, & Papa legit verſ. *Popule meus*, prout in ordinario, uſque ad finem. Cum primum Papa ad ſedem ſuam reverſus eſt, Cardinales vadunt bini & bini ad Crucem, ad adorandum: primus erit celebrans, qui ſolus de faldiſtorio ſine miniſtris vadit, & revertitur, & in adoratione ad ſiniſtram ſuam habebit Priorem Epiſcoporum Cardinalium, quos ſequantur alii

Cardi-

Cardinales bini, & bini. Quod ſi numerus Epiſcoporum Cardinalium impar ſit: ultimus Epiſcopus adorabit cum primo Presbytero. Idem fiat de Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus in ultimo tamen loco, ſi Cardinalium impar ſit numerus, poterunt tres ultimi ſimul adorare, duo Diaconi aſſiſtentes adorent in loco ſuæ receptionis. Interim veniunt duo alii Diaconi ad aſſiſtendum Papæ. Et celebrans cum aſſiſtente ſedendo legit: *Popule meus &c.* Si autem IMPERATOR aut REX interſint, adorant, & oſculantur in ordine, ſicut recipiunt cineres, id eſt, poſt omnes Cardinales: cæterum poſt Cardinales adorant Epiſcopi aſſiſtentes, quorum ſi impar ſit numerus, ultimus aſſiſtens venit ad dextram primi ex aliis Prælatis: idem obſerveturin ſingulis ordinibus infra ſcriptis; & ſi inter aſſiſtentes ſit aliquis Protonotarius, vel Abbas, ille adorabit primus poſt Epiſcopos omnes: poſt aſſiſtentes veniunt alii Epiſcopi, poſtea oratores laici ſucceſſive, protonotarii, Abbates, Pœnitentiarii, Subdiaconi Apoſtolici, auditores, Clerici cameræ, acoluthi, cubicularii ſecreti, Clerici cerimoniarum, Diaconus & Subdiaconus capellæ, cubicularii extra, Secretarii cum Advocatis, procuratores ordinum, cantores Capellani aſſiſtentes, ſcutiferi Papæ, caudatarii, & alii omnes. Circa finem adorationis accenduntur candelæ ſuper Altare & credentiam, ac intorticia ſuper cancellum, & Diaconus accipit burſam corporalium ſuper credentia, & corporalia extendit ſuper Altare more conſueto: deinde, finita adoratione, accedit ad Crucem: quam reverenter accipiens, nulli faciens reverentiam, reportat ante Altare. Cerimoniarius vas accipit, & pecunias ex lance in panniculo ligatas reponit ſuper Altare. Interim in loco, ubi Corpus Domini poſitum eſt, parantur duo thuribula cum igne, duodecim intorticia, & baldachinum: & Subdiaconus Apoſtolicus capiens Crucem, Papæ præcedentibus ſcutiferis, & officialibus conſuetis, procedit ad locum prædictum medius inter duos ceroferarios. Ipſum ſequuntur Cardinales

in eorum cappis, deinde Papa: fimbrias cappæ Pontificis portat primus Epiſcoporum aſſiſtentium: Papam ſequuntur Prælati ordine conſueto: celebrans autem conſuevit etiam aliquando Papam aſſociare, aliquando vero remanere prope Altare. Quando autem Papam aſſociat, quod eſt honeſtius, debet ire in paramentis Miſſalibus ſolus immediate ante Papam, vel medius inter duos Cardinales ſeniores, miniſtris ſuis apud Altare manentibus. Cum Papa pervenerit ad locum, ubi reponitur Sacramentum, deponitur ei mitra: deinde, cum venerit ad locum, ubi eſt Sacramentum, primum genuflectit, & facit orationem: deinde Sacriſta aperit capſulam, & Papa ſtans ſine mitra, miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, ponit incenſum in thuribulis per duos acoluthos in cappis, coram ſibi oblatis, & cum uno thuribulo, genuflexus in ſuperiori gradu Altaris incenſat Sacramentum, antequam extrahatur ex capſa. Quo incenſato, celebrans, ſi adeſt, vel Diaconus Cardinalis a dextris Papæ aſſiſtens, extrahit calicem cum Sacramento de capſula, & dat ad manus Papæ, qui illum cum devotione & reverentia, capite detecto, portat ad Altare, ubi officium erat peragendum, ordine, quo venerant: & portantur intorticia per Capellanos celebrantis immediate ante Papam, & duo thuribula per acoluthos cappis, qui continuo incenſant: ſuper Papam autem portatur baldachinum per Epiſcopos aſſiſtentes digniores. Cantores interim, cum portatur Corpus Domini, cantant, Vexilla Regis prodeunt. Cum venerint ad ultimum gradum Altaris, celebrans capit calicem de manibus Papæ, & illum reverenter ponit ſuper Altare, & Papa rurſus incenſat Sacramentum, & ad ſedem ſuam revertitur, & ibi ſtat detecto capite cum devotione verſus ad Sacramentum, interim intorticia manent accenſa uſque poſt communionem, & ea tenent dicti Capellani genuflexi per ordinem videlicet, una pars eorum a cornu dextro, & alia a cornu ſiniſtro Altaris.

Altaris. Cum autem Sacramentum poſitum fuerit ſuper Altare, celebrans extrahit Sacramentum de calice, & ponit ſupra patenam, quam Diaconus tenet nihil dicens. Diaconus patenam cum Sacramento offert celebranti, qui hoſtiam ſacram ſuper corporalia ponit nihil dicendo. Interim Papa ponit incenſum more conſueto, miniſtrante Presbytero Cardinali, qui mox ad ſuum locum inter alios Cardinales revertitur, & cerimoniarius portat thuribulum celebranti, qui incenſat Sacramentum, & Altare more ſolito: & non incenſatur celebrans, neque Papa, ſed Altari incenſato in cornu Epiſtolæ, ſtans ſine mitra verſus, ut pridie, celebrans lavat manus, deinde verſus ad medium Altaris inclinans ſe, dicit: *In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipiamur a te, Domine, & ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.* Deinde vertit ſe ad populum, dicens: *Orate, fratres, ut meum ac veſtrum ſacrificium acceptabile fiat apud Deum omnipotentem.* Tum convertens ſe ad Altare, omiſſis omnibus aliis, abſolute dicit: *Oremus;* Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati, audemus dicere: *Pater noſter &c.* usque ad finem, chorus reſpondet: *Sed libera nos a malo:* ad quod celebrans, poſtquam ſecrete reſpondit: *Amen*, continuat in priſtino tono abſolute dicens: *Libera nos, Domine &c.* quo dicto, celebrans facta prius usque ad terram reverentia, Sacramentum in dextram accipit, & elevat altius quam alias fieri ſolet, ut ab omnibus videri poſſit, & ſtatim deponit, dividitque in tres partes, quarum unam ultimam mittit in calicem more conſueto, nihil dicendo; deinde dicit: *Perceptio Corporis tui, Domine, Jeſu Chriſte &c. Panem cœleſtem accipiam, & nomen Domini invocabo. Domine, non ſum dignus, &c.* Tum continuat Corpus Domini, &c. Et hoc dicto, ſignat ſe cum Sacramento, & illud ſumit reverenter: tum nihil dicens ſumit vinum, & aquam, cum particula in calice exiſtenti. Interim exportantur intorticia, & extin-

guuntur more ſolito, deinde in cornu Epiſtolæ accipit mitram, & lavat manus more ſolito. Tum depoſita mitra, redit ad medium Altaris, ubi dicat: *Quod ore ſumpſimus, Domine, pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum.* Quo dicto, redit ad faldiſtorium, reponit omnia paramenta, reſumit cappam, & vadit inter alios Cardinales ad locum ſuum. Facta oratione, cantores incipiant pro veſperis ſine nota antiphonam, Calicem ſalutaris accipiam, & alia, prout in ordinario. Tum dicetur *Magnificat.* Papa ſurgit, depoſita mitra, & dum replicatur Antiphona, reaſſumpta mitra, deſcendit ad faldiſtorium, & cum dicitur *Chriſtus factus, &c.* genu flectit, ſic manens uſque ad finem Pſalmi *Miſerere,* & in fine dicit Orationem, *Reſpice, &c.* ut in matutinis dictum eſt: & finitis omnibus, revertitur ad cameram ſuam, eo ordine, quo venit: dignior aſſiſtens portat fimbrias cappæ Pontificiæ ſimul collectas. Cum Papa fuerit in camera, conveniunt Sacriſta, Subdiaconi Apoſtolici, & Clerici cerimoniarum, & dividunt pecunias in ordinatione Crucis oblatas, in tres partes: unam Sacriſtæ, aliam Subdiaconi, tertiam Clerici cerimoniarum accipiant.

CAPUT LII.

De Matutinis tenebrarum quinta & ſexta feriæ majoris hebdomadæ.

IN Matutinis tenebroſis hoc ſero, & in quinta feria præterita, idem ſervatur per omnia, ut in Matutinis quartæ feriæ ſuperioris diximus: hoc mutato, quod Altare, ſedes Papæ, & tota capella debent eſſe nuda.

CAPUT LIII.

De indulgentia danda populo.

ET notandum, quod ſi populorum multitudo convenerit ad urbem hoc tempore devotionis gratia, conſueverunt Ponti-

Pontifices antequam vadant ad Miſſam de mane, & ſimiliter in die antequam vadant ad Matutinas tenebroſas, exire ad locum benedictionis publicæ cum pluviali rubeo, & mitra ſimplicibus, & populo benedicere, Cardinalibus, Prælatis, & aliis officialibus in habitu conſueto capellæ euntibus. Et ſi hoc debet fieri, locus ille paratur per aliquot horas ante, ut populus intelligat Pontificem daturum eſſe benedictionem. Poſt benedictionem Papa reverſus ad cameram, & dimiſſis ſacris veſtibus cum cappa, & mitra plana ad Miſſas, veſpere autem cum cappa, & ſine mitra, cum tempus ſibi videbitur, vadit ad capellam ad Matutinas, ut ſupra.

CAPUT LIV.

De officio diei Veneris, Papa celebrante.

Si in paraſceve Papa voluerit ipſemet celebrare, quod antiquitus Romani Pontifices, & noſtris etiam diebus NICOLAUS V. facere conſueverunt, hic ordo ſervabitur: Parantur duæ credentiæ more ſolito, ſed non cum pompa. Nam in credentia Papæ non erunt niſi vaſa neceſſaria ad ſacrificium: alia adornatum non ponuntur. Et capella tota nuda, ſedes nudæ, Altare nudum, & ſine aliquo ornamento.

Hora competenti Pontifex indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, cappa rubra Cardinalari, & mitra alba ſimplici, more ſolito exit ad Eccleſiam, orat ante Altare, accedit ad ſedem, ubi conſuevit accipere paramenta: & nunquam hac die aſcendit ad ſedem eminentem, niſi in fine ad Veſperas. Cum aliquantulum quieverit ſedens, ſurgit ſine mitra, nulla enim fit hodie reverentia, nullæ oſculationes, & verſus ad Altare ſub ſilentio dicit: *Pater noſter*, & mox cantores legunt *Nonam*. Pontifex, ut illi incipiunt, ſedet. Interim Diaconus Evangelium dicturus, & Subdiaconus capiunt paramenta omnia ſibi opportuna, præter manipulum, & planetam, & in

 albis

albis parant Pontificem, cum eſt tempus: ſimiliter Subdiaconi, Auditores, Clerici capellæ, & Acoluthi capiunt ſuperpellicia. Pontifex non dicit: *Quam dilecta, & cætera*, quia non utitur ſandaliis, ſed in tempore vadit ad faldiſtorium ante Altare: & dum dicitur in fine nonæ: *Chriſtus factus eſt &c.* genuflectit ſine mitra usque in finem, & dicit orationem: *Reſpice quæſumus, genuflexus.* Deinde revertitur ad ſedem prædictam, deponit mitram, & cappam, lavatque manus cerimoniis conſuetis, & Prior Presbyterorum Cardinalium ſervit pro aſſiſtente. Deinde per Diaconum, & Subdiaconum paratur conſuetis paramentis, exceptis ſandaliis, ſubcinctorio, favone, & chirotecis, quibus hodie non utitur, & ad paramenta dicuntur orationes conſuetæ: Pontifex, & omnes alii, utuntur paramentis nigri coloris. Cum Papa incipit parari, Cardinales & omnes alii Prælati capiunt paramenta ſibi convenientia, Epiſcopi pluvialia, Presbyteri & Diaconi planetas ante pectus. Pontifex, accepto pallio cum ſpinulis, & mitra ſimplici, & annulo Pontificali, ſedet aliquantulum, & Diaconus ac Subdiaconus miniſtri accipiunt manipulum & planetam. Et tunc, præcedente alio Subdiacono cum Cruce inter duos ceroferarios, cum candelis extinctis, & ſine incenſo, Papa ordine conſueto accedit ad Altare: ſed Presbyteri non procedunt obviam Papæ apud Altare, abſtrahitur ei mitra a Diacono Evangelii, & Papa genu flexus ac procumbens ſuper nudum faldiſtorium, diutius orat: & ſimiliter omnes alii genuflexi orant. Interim extenditur ſupra nudum Altare a Sacriſta & ceremoniariis mappula munda alba. Finita oratione, ſurgit Pontifex, oſculatur Altare, deinde cum mitra ſedet ſuper nudam cathedram, poſitam in cornu ſiniſtro, id eſt, Epiſtolæ, ita ut faciem vertat ad dextrum cornu Evangelii: Presbyter Cardinalis aſſiſtens ſedet ſuper gradum primum ad pedes Papæ, & poſt eum tres Diaconi, in quorum medio ſedet, qui Evangelium eſt lecturus; Subdiaconus eſt in

gradu

gradu inferiori ad pedes Diaconi Evangelii, aſſiſtentes Epiſcopi ſuper gradus, & in terra poſt Papam, alii in loco conſueto. Omnibus conſedentibus, unus ex auditoribus, factis reverentiis Altari & Papæ, accedit ad locum, ubi dicitur Epiſtola, & ibi librum ſibi tenens dicit primam prophetiam ſine titulo: & in fine non oſculatur pedem Pontificis, ſed dato libro uni ex miniſtris, factiſque ſolitis reverentiis, revertitur ad locum ſuum. Finita prima prophetia, dum cantatur *Tractus*, Papa legit ipſam prophetiam, miniſtrantibus librum Epiſcopis aſſiſtentibus, ſed ſine candela accenſa: poſt *Tractum* ſurgit Pontifex, & omnes alii, amovetur cathedra, & ſtans Pontifex ſine mitra in cornu Epiſtolæ, dicit: *Oremus.* Et Diaconus a dextris dicit: *Flectamus genua*, & mox Diaconus a ſiniſtris *Levate*, & omnes ſurgunt, & Pontifex dicit orationem. Subdiaconus interim dimittit planetam, & vadit cum libro ante pectus ad locum conſuetum, ubi finita oratione legit Epiſtolam more ſolito: illa finita, non oſculatur pedem Pontifitis, ſed reaſſumpta planeta, redit ad locum ſuum, & Papa legit Epiſtolam, & *Tractum*, miniſtrantibus librum aſſiſtentibus, ut ſupra. Conſuevit antiquis temporibus (*ut legi*) Diaconus Cardinalis Evangelii cantare paſſionem, & etiam partem, quæ dicitur in tono Evangelii: quod ſi facere voluerit Diaconus, ipſe circa finem *Tractus* exuit planetam, & planetam accipiet ſuper humerum ſiniſtrum, in modum ſtolæ, & aſſumpto libro Evangeliorum ante pectus, factis reverentiis illum ponet ſuper Altare, & genuflexus dicit orationem: *Munda cor meum.* Surgens deinde accipit librum, & factis reverentiis, ſine benedictione, incenſo aut luminaribus, accedit ad pulpitum, ubi lecturus eſt paſſionem in loco conſueto. Subdiaconus Epiſtolæ ſtat poſt pulpitum, & duo Acoluthi juxta eum: & ſic finito *Tractu*, Diaconus incipit: *Paſſio & cætera.* Et cum perventum fuerit ad locum, qui legitur in tono Evangelii, non petita benedictione abſolute

luce, proſequitur Evangelium. In *antiquis* tamen *libris* invenio, quod ad hanc partem Evangelii, hodie, & aliis tribus diebus, quando legitur paſſio, portantur luminaria, quæ lecto Evangelio extinguuntur: hodie non portantur, nec incenſum, & etiam rubrica communis hoc innuit. In eo tamen tempore ſervatum eſt, ut ſupra diximus.

Si autem Diaconus non cantabit paſſionem, tunc tres cantores habitu, & ordine in Miſſa ſuperiori prædicto, cantabunt paſſionem, & circa finem Diaconus Evangelii exuet planetam, & plicatam ſuper humerum ſiniſtrum accipiet: ponet librum ſuper Altare, genu flexus dicet: *Munda cor meum* &c. Et illo reaſſumpto, ibit ad pulpitum cum Subdiacono, & Acoluthis, ut ſupra diximus. Pontifex, dum incipitur paſſio, ſurgit, & depoſita mitra, ſtans legit & ipſe paſſionem ſecrete, ex libro ſupra Altare poſito in cornu Epiſtolæ, verſus aliquantulum ad legentes paſſionem. Finita paſſione, ſedebit, quouſque incipiatur Evangelium: tunc ſurget, & ſtabit ut ſupra, uſque in finem: tunc iterum ſedebit, non oſculabitur librum, neque incenſabitur. Diaconus, finito Evangelio, & alii, qui ſecum erant, factis reverentiis, revertuntur ad loca ſua. Qui autem eſt facturus ſermonem, ſi eſt Prælatus, cum pluviali nigro, & alba mitra: ſi alius, cum habitu alias conſueto accedit ad Pontificem, & genu flexus petit indulgentias, populo publicandas, & non benedictionem. Deinde aſcendit pulpitum, & facit ſermonem ſuum, & Pontifex ſedet in cornu Epiſtolæ, ut verſus ad prædicantem: reliqui ſedebunt, ut ſupra diximus. Finito ſermone, prædicator ſtatim pronunciabit indulgentias a Summo Pontifice conceſſas: non fit confeſſio, neque datur benedictio, ſed mox ſurgit Pontifex, amovetur cathedra, deponit mitram, & ſtans in dicto cornu, ex libro ſuper Altare ſtante cantat orationes. *Oremus dilectiſſimi*, &c. ut in ordinario, & Diaconi cantant: *Flectamus genua, Levate*, hoc ordine ad primam orationem Prior Diaconorum, id eſt, qui

qui dixit Evangelium (nam ad eum ſpectat Pontifici miniſtrare) dicit: *Flectamus genua*, & ſecundus dicit: *Levate*; ad ſecundam orationem, ſecundus Diaconus, id eſt, qui aſſiſtit a dextris, dicit: *Flectamus genua*; & tertius, qui a ſiniſtris, dicit: *Levate*; ad tertiam orationem, tertius dicit: *Flectamus genua*, & primus dicit: *Levate*; ad quartam primus dicit: *Flectamus*, & ſecundus: *Levate*; & ſic per circulum uſque in finem. Pro Judæis non dicitur: *Flectamus*, quorum impietatem exhorreſcens Eccleſia, pro illis orans non genu flectit, quia hodie ipſi illudebant Salvatori noſtro, genua ante ipſum flectentes. Finitis orationibus, Pontifex, depoſito pallio ſuper Altare, exuit planetam, & expectat in angulo poſteriori cornu epiſtolæ. Sacriſta capiens Crucem ex Altari, illam reverenter portat ad manus Diaconi, qui illam dat ad manus Pontificis. Pontifex Crucem detegit, imponit, & adorat eiſdem cerimoniis, quas ſupra ſcripſimus. Papa, facta oratione, reverſus ad cathedram ſuam, quæ ponitur ei ad cornu epiſtolæ, reaſſumit calceamenta ſua omnia, & ſedens legit, *Improperia*, quæ a choro cantantur. Interim Cardinales, Prælati, & alii omnes ordine ſuperius dicto, Crucem adorant. Diaconus autem Evangelii, ut Crucem adoravit, ſimul cum Subdiacono vadit ad credentiam Papæ, & ibi ambo lavant manus, deinde reverſi ad Altare, explicant ſuper illud mappulam ſericeam, & Subdiaconus cum ſuo panniculo circa collum ex credentia Sacriſtæ portat corporalia tantum cum purificatorio, quæ Diaconus explicat ſuper Altare. Deinde revertitur ad Pontificem, qui, finita adoratione Crucis, lavat manus conſuetis cerimoniis cum mitra, & mox, illa depoſita, reaſſumit planetam, & mitram per manus Diaconi: Crux vero per Sacriſtam reponitur ſuper Altare, & accenduntur luminaria. Pontifex, impoſito incenſo in thuribulo, miniſtrante primo Presbytero Cardinali aſſiſtente, ſupplicabundus vadit ad locum, ubi reconditum eſt Sacra-

mentum, quod reportat ad Altare cerimoniis ſupradictis, niſi quod hic omnes habent paramenta, & omnia alia ſervantur, quæ ſuperius & in ordinario dicta ſunt. Papa communicat in Altari ſolus, & non ſugit vinum cum calamo, ſed de calice bibit. Notandum tamen, quod ante JOANNEM XXII. Diaconus portabat ad Altare Sacramentum, quod etiam communis rubrica habet: poſt illa tempora Pontifex celebrans illud reportat: & melius. Advertendum tantum, quod hodie nullus incenſatur, neque Papa, neque alius, niſi ſolum Sacramentum. Sacriſta in tempore cum Acolutho, calice, ampullis, patenis, vadit ad credentiam Papæ, & more ſolito mundat omnia, & mandat fieri prægustationes per credentiarios, & portat vinum, & aquam primo, & poſt cum vaſis ſuis Superior Presbyterorum Cardinalium infundit vinum ſuper digitos Papæ, cum purificat, quod alias facit Prior. Communione facta, Pontifex in cornu altaris cum mitra lavat manus ſolitis cerimoniis. Deinde, depoſito pallio ſuper altare, aſcendit ſedem eminentem nudam, ubi depoſitis ſacris veſtibus, induit cappam purpuream, & cum mitra a ſimplici ſedet. Interim omnes alii deponunt paramenta: & mox a cantoribus leguntur veſperæ. Et in fine Pontifex deſcendit ad faldiſtorium, & genuflectit, cum dicitur: *Chriſtus factus eſt &c.* Et poſt *Miſerere,* dicit Orationem: *Reſpice, quæſumus Domine &c.*

CAPUT LV.

Quod Papa hac die non ſedet in ſede in camera.

ET nota, quod hac die ſecundum antiquas cerimonias, Papa in camera ſua non conſuevit ſedere ſuper ſedes, ſed ſuper ſcabella, & Cardinalis, finito officio, & deducto Pontifice ad cameram, deſcendit ſine confabulatione aliqua.

CAPUT LVI.

De officio Veneris ſancti, Papa abſente.

SI Papa hac die abſens erit, Cardinalis officium peracturus, tempore congruo ad capellam veniens, capit ſacras veſtes, ut ſuperius diximus, & cum alii Cardinales convenerint ad Altare, procedit cum miniſtris conſuetis, & mitra in capite. Et facta reverentia Cardinalibus, converſus ad Altare, deponit mitram, & genu flectit procumbens ſuper ſcabellum nudum cum pulvino ante Altare poſitum. Et ibi prolixius orat: tum ſurgens aſcendit ad Altare, & illud tantum oſculatur. Deinde, reaſſumpta mitra, vadit ad faldiſtorium, & in officio proceditur, ut ſupra dictum eſt, uſque ad finitam paſſionem, & Evangelium. Tunc habiturus ſermonem accedit ante Cardinalem, petit indulgentias, & aſcendit ad pulpitum. Reliqua ſervantur, ut prius, uſque ad denudationem, & depoſitionem Crucis: qua in loco parato poſita, revertitur ad faldiſtorium, ubi, detractis ſibi calceamentis, vadit ſine miniſtris ad adorandum Crucem, & cum eo ad ſiniſtram primus Cardinalis, qui ſecum adoret, deinde alii Cardinales, & alii, ordine ſupradicto. Cruce adorata, Cardinalis revertitur ad faldiſtorium, ubi calceamenta ſibi reponuntur ac planeta, & mitra: ſic ſedet uſque ad finem adorationis. Papa ante tempus conſuevit mittere celebranti eandem pecuniam, quam præſens ſolet offerre, ut ille pro ſe offerat. Finita adoratione, Subdiaconus capellæ, indutus planeta plicata, accipit Crucem, quem præcedentem ſcutiferi Papæ, officiales, & cantores, ut moris eſt, ſequuntur, Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, Cardinales, deinde celebrans, cum mitra, medius inter Diaconum a ſiniſtris, & ſuum aſſiſtentem a dextris, ſequentibus ipſum omnibus Capellanis ſuis, ſuperpelliciis indutis, & aliis Prælatis, ſuo ordine. Cum celebrans pervenit ad locum, in quo Corpus Domini repoſitum eſt, deponit mitram,

& procedit ante locum, & genuflectit, tùm Diaconus aperit capſulam, & Cardinalis ſurgens incenſat, ut ſupra dictum eſt, Sacramentum, & illud in calice conditum, à Diacono devote accipit, & ſericea mappula, quæ à collo ei dependet, honeſte coopertum, ſine mitra defert ad capellam ordine quo venerunt, cantoribus cantantibus: *Vexilla Regis prodeunt, &c.* ante Cardinalem, qui facit officium, immediate procedunt Capellani præfati, intorticia deferentes, & cerimoniarius, qui continuo incenſat Sacramentum. Cum pervenerit ad Altare celebrans, imponit calicem ſuper corporalia, & iterum incenſat, ut prius: alia omnia fiunt, ut ſupra. *Et dicto Chriſtus factus eſt, &c.* & *Miſerere* pro veſperis, ipſe, qui fecit officium, cum cappa ſua inter alios Cardinales in loco ſuo genuflexus, dicit orationem: *Reſpice, &c.* Quæ dicta, omnes ad ſua loca revertuntur.

CAPUT LVII.

De Sabbato ſancto, Papa præſente.

SAbbato ſancto paretur capella more conſueto, & *Altare*, ac ſedes Papæ ornetur palliis duplicibus, intus albo, & violaceo exterius: paretur etiam cereus paſchalis, qui ponatur in loco convenienti ante faciem Pontificis, & juxta cereum ponatur unum pulpitum, albo panno aureo coopertum. Hora competenti Cardinalis celebraturus venit ad capellam, & more ſolito induitur ſandaliis, & aliis paramentis, uſque ad dalmaticam incluſive: deinde capit pluviale violaceum, & ſtans in cornu epiſtolæ verſus ad Altare, & libro ſuper Altari poſito, benedicit novum ignem, in aliquo vaſe ſibi oblatum, & incenſum ponendum in cereo, & imponat ex navicula incenſum in thuribulo, miniſtrante Diacono & Subdiacono, albis tantum indutus: deinde aſpergit ignem novum, & incenſum, & ea poſtea incenſat: tum revertitur ad fal-

diſto-

diſtorium ſuum, ubi, depoſito pluviali, accipit chirothecas, planetam violaceam, mitram albam ſimplicem, annulum Pontificalem, & ſedet in faldiſtorio ſuo. Papa deinde venit ad capellam, indutus amictu, alba, cingulo, ſtola violacea, cum pluviali rubro, & mitra ſimplicibus. Et facta oratione in faldiſtorio ante Altare, aſcendit ad ſedem, ubi fit ei reverentia a Cardinalibus. Et cum accedit primus Presbyter Cardinalis, accedit etiam cerimoniarius cum thuribulo, & Papa imponit incenſum more ſolito: cum quo incenſo itur ad parvam capellam, vel extra locum, ubi fit capella hoc modo: Primo procedit cerimoniarius, quem ſequuntur Capellani duo celebrantis, quorum alter a ſiniſtris nihil tunc defert, alter vero a dextris, in dextra thuribulum, & in ſiniſtra naviculam portat cum incenſo, & inter illos Subdiaconus capellæ omnibus paramentis indutus, in quibus debet in Altari miniſtrare, portans Crucem, cujus imaginem ante ſe vertit: ſequuntur ipſum Diaconus, dalmatica alba indutus, & quatuor Capellani celebrantis: ſic vadunt ad capellam parvam, vel ad locum deputatum, ubi Diaconus accipit arundinem, cum tribus candelis in ſummitate illius ibi paratam, & revertuntur ad capellam Papæ hoc ordine: Præcedit thuriferarius cum ſocio, portante in quodam vaſe quinque illa magna grana incenſi benedicti, quos ſequitur Subdiaconus cum Cruce, & illum Diaconus cum arundine, ad cujus ſiniſtram ſtat cerimoniarius, candelam parvam accenſam de novo igne in manu portans, quem ſequuntur alii quatuor Capellani prædicti. Cum pervenerint intra portam Capellæ, inclinat arundinem Diaconus, cerimoniarius accendit unam ex illis tribus candelis deſuper poſitis, & ille, elevans arundinem, genuflectit: ſimiliter & omnes alii cum eo, & cantat ipſe ſolus: *Lumen Chriſti;* quod dum dicit, Papa & celebrans cum mitris, ac omnes alii, qui ſedebant, ſurgunt, & manent ſic erecti, quouſque tertio id dictum fuerit. Cantores reſpondent:

Deo gratias. Procedunt deinde intra portam cancelli, & ibi reverſus accenditur alia candela, & intrant cancellum cum Cruce, ubi altius dicitur per Diaconum: *Lumen Chriſti*, & reſpondetur, ut ſupra; tertio procedunt ante Papam, & Altare, ubi accenditur tertia candela, & ibi genuflexus Diaconus, verſus ad Altare, iterum altius dicit: *Lumen Chriſti:* reſpondent cantores, ut ſupra. Deinde in eodem loco Diaconus dat arundinem uni ex illis quatuor Capellanis eum ſequentibus, qui ibidem cum Subdiacono Crucem tenente, ac thuriferario, & aliis Capellanis expectant. Diaconus vero accipit librum Evangeliorum, & ante infimum gradum ſedis Papæ genuflexus, petit benedictionem a Papa, cerimoniario tantum ipſum comitante, qua habita, accedit ad pulpitum, ponit librum ſuper illud, quem deinde incenſat, ut fit in Evangelio. A dextris Diaconi ſtent Subdiaconus cum Cruce, & thuriferarius: a ſiniſtris vero ille Capellanus cum arundine, & alius Capellanus, tenens in vaſe quinque grana incenſi benedicti, figenda in cereum. Tunc Diaconus, verſa facie ad Papam, cantat: *Exultet jam &c.* Quo incepto, deponitur mitra Papæ, & ſurgunt omnes, ut ad Evangelium ſtantes, usque: *In hujus igitur &c.* Tunc dimiſſo cantu per Diaconum, cerimoniarius porrigit ei unam candelam accenſam, cum qua Diaconus accendet illa quinque grana incenſi, & infigit unam poſt aliam in cereum, in modum Crucis, ita ut Crux verſa ſit ad Pontificem, deinde proſequitur cantum ſuum uſque ad *Qui licet diviſus:* tunc interim cantu dimiſſo, Diaconus accipit arundinem, & accendit cereum, deinde cantum ſuum proſequitur uſque ad finem. Quo finito, revertitur ad Altare, quilibet ad locum ſuum, ubi Diaconus exuitur dalmatica, & capit planetam violaceam plicatam ante pectus. Interim clerici capellæ ponant pulpitum nudum in medio capellæ verſum ad medium Altaris, prout in matutinis noctis Natalis Domini poni ſolet, & ſuper illud librum

epiſto-

epiſtolarum, ex quo cantantur prophetiæ: faldiſtorium ponatur ad cornu epiſtolæ Altaris, ſuper quo ſedet celebrans verſus ad cornu Evangelii. Tunc cerimoniarius conducit cum debitis reverentiis unum ex cantoribus, ſuperpellicio indutum, ad pulpitum prædictum, qui facta reverentia Altari & Papæ, dicit Prophetiam ſine titulo. Deinde, factis reverentiis, oſculatur pedem Pontificis, & redit ad locum ſuum: celebrans vero, finita prophetia, amoto faldiſtorio, cantat orationem, prout in ordinario: eodem modo cantentur aliæ undecim prophetiæ per cantores. Finita duodecima prophetia, & oratione, in qua non dicitur: *Flectamus genua*, bene tamen dicitur: *Oremus*, Papa deſcendit ad faldiſtorium, ſupra quod procumbit cum mitra, retinens illam per totam litaniam: celebrans vero, depoſita mitra & planeta, aſſociatus a Diacono & Subdiacono, vadit ad ſcabellum ad ſiniſtram partem, ſuper quod ſimiliter procumbit, & duo ex cantoribus cantant litanias, prout in libro, genuflexi ante ſcabellum poſitum poſt Pontificem in medio capellæ, ſuper quod librum tenent. Cum perventum fuerit ad *Peccatores te rogamus, &c.* Papa ſurgit, deponit mitram & pluviale violaceum, & accipit album precioſum, & celebrans cum miniſtris revertitur ad faldiſtorium, ubi deponit violacea paramenta, & accipit alba: idem faciunt miniſtri, forerii deponunt ab Altari & ſede Papæ pallia violacea, & dimittunt alba: accenduntur tunc etiam luminaria ſuper Altare, & credentia, & intorticia ſuper cancellum, & deponitur per Clericos capellæ velum ante imagines ſuper Altare, & pallium ante Altare. Interim cantores proſequuntur litaniam, qua finita, ſtatim cantant *Kyrieeleiſon* pro Miſſa, & illud reiterant, quousque Papa dixerit confeſſionem cum celebrante, & redierit ad ſedem, & fuerit incenſatum Altare, & Papa cum Cardinalibus dixerit: *Kyrieeleiſon.* Cum primum litania eſt finita, & Papa acceperit pluviale, celebrans

accedit

accedit ad ſiniſtram Papæ, & ſimul faciunt confeſſionem, ut moris eſt: deinde Papa aſcendit ad ſedem ſuam, & miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, naviculam imponit incenſam in thuribulo, celebrans vero aſcendit ad Altare, oſculatur illud & librum, ut moris eſt: & accepto thuribulo, incenſat Altare more conſueto, deinde incenſatur ipſe, & Papa. Interim Cardinales faciunt circulum ante Papam, & dicunt cum eo *Kyrieeleiſon.* Quibus completis, cantores finiunt *Kyrieeleiſon,* & celebrans ante faldiſtorium cantat: *Gloria in Excelſis Deo.* Et ſtatim pulſantur campanæ palatii, & aliæ omnes per urbem. Dicitur deinde *Pax vobis,* & una oratio tantum. Subdiaconus dicit epiſtolam, cum ea finita dicturus ſit Alleluja. Finita epiſtola, poſtquam Subdiaconus, qui dixit eam, oſculatus eſt pedem Papæ, Subdiaconus Apoſtolicus, qui opportuno tempore paramenta omnia, ac ſi epiſtolam lecturus eſſet, in camera Sacriſtæ, vel alio loco idoneo acceperat, procedens ante gradum ultimum ſolii, Papæ facta debita reverentia, ſtans dicit alta voce verſus ad Papam: *Pater ſancte, annuncio vobis gaudium magnum, quod eſt Alleluja.* Et tunc depoſita mitra, ſurgit, & cantat *Alleluja,* a tertio ſemper vocem elevando, prout in ordinario: Pontifice vero interim cum mitra ſtante. Conſuevit tamen SIXTUS IV. ſtans ſine mitra cantare primum Alleluja, poſtquam Subdiaconus Apoſtolicus illud nunciaverat. Secundo & tertio celebrans cantabat: quod, quantum conveniat, alii judicent: deinde dicitur *Tractus: Laudate Dominum omnes gentes*, quo incepto, Diaconus accedit cum libro ad Altare, & alia facit more conſueto: ad Evangelium portatur thuribulum ſine luminaribus, tamen tuo Capellani celebrantis, ſequentes thuriferarium, loco ceroferariorum ipſum aſſociant. Poſt Evangelium non dicitur *Credo*, neque *offertorium*, ſed tantum *Dominus vobiſcum, & Oremus:* & alia dicuntur prout in ordinario: oblata incenſantur, ſimiliter Papa, & alii omnes,

ac pro-

ac proceditur in Miſſa, more conſueto, usque ad communionem: *Pax Domini* dicitur, *Agnus Dei* non dicitur, propterea Cardinales non veniunt ad circulum: & Pacis oſculum non datur, ſed omnes orationes dicuntur, prout in Miſſali, usque ad communionem excluſive. Facta communione per celebrantem, & eo purificato, cantatur a cantoribus *alleluja ter, Pſalmus, Laudate & cætera,* prout in ordinario *pro Veſperis.* Interim celebrans accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi accepta mitra lavat manus: deinde, illa depoſita, ſtans ibidem verſus ad Altare, legit Veſperas. Cum cantatur antiphona ad *Magnificat,* cerimoniarius accedit ad Papam cum thuribulo, qui miniſtrante Presbytero Cardinali, imponit incenſum, & celebrans incenſat Altare, incenſatur ipſe celebrans, Papa, & omnes alii per Diaconum capellæ ordine conſueto. Replicata poſt *Magnificat* Antiphona, celebrans ſtans in medio Altaris, verſus ad populum dicit: *Dominus vobiſcum:* deinde ante librum *Oremus, & orationem.* Qua finita, Diaconus dicit: *Ite, Miſſa eſt,* cum *duplici alleluja,* & Papa dat benedictionem & indulgentias, quas denunciat celebrans: & non fit ſermo. Notandum, quod felicis recordationis SIXTUS Papa IV. ordinavit, quod Cardinales dicerent prophetias ſupradictas: primam junior Cardinalis, ſive Diaconus eſſet, ſive Presbyter: aliam ſequens, & ſic de aliis continue gradatim aſcendendo usque ad nonam incluſive: decimam Cardinalis aſſiſtens a ſiniſtris, undecimam a dextris aſſiſtens, duodecimam dixit Sanctitas ſua: & hæc ordinatio fuit tempore ſuo obſervata, poſtea dimiſſa, quia non videbatur dignitati Apoſtolicæ convenire, ac quadrare cerimoniis papalibus, & debitis.

CAPUT LVIII.

De habitu Papæ.

HOc mane ſanctiſſimus Dominus noſter, finita Miſſa, & dimiſſis in camera papagalli paramentis prædictis, accipit

caputium, & biretum alba, quibus utitur deinde uſque ad ſabbathum, in albis incluſive, & eiſdem diebus Paſcalibus non utitur aliquo habitu rubeo, ſed albo tantum. Et ſimiliter, ſi uti vellet mantello coloris albi, uteretur his diebus, & non alterius coloris.

CAPUT LIX.

De ſabbatho ſancto, Papa abſente.

SI autem Papa hujus diei officio non intereſſet, cantores legunt omnes duodecim prophetias ante pulpitum, ut ſupra poſitum. Quibus finitis, celebrans, depoſita planeta, reaſſumpta mitra, aſſociantibus ipſum Diacono, & Subdiacono, vadit ad ſcabellum cum cuſſino ſibi paratum, ubi Papa confeſſionem facere ſolet: ubi genuflectit cum mitra, quouſque dicatur *Peccatores:* tunc ſurgit, & vadit ad faldiſtorium, deponit paramenta violacea, & capit alba, & mitram precioſam. Finita Litania, accedit ad confeſſionem, cantores incipiunt *Kyrieeleiſon,* ac alia fiunt, ut ſupra dictum eſt. Subdiaconus Apoſtolicus non paratur, nec annunciat Alleluja: ſed finita Epiſtola, poſtquam Subdiaconus ejus manum oſculatus fuerit, ſurgit celebrans, depoſita mitra, verſus ad Altare, ante faldiſtorium ſtans cantet *Alleluja* ter, ut ſupra dictum eſt, cantoribus totiens idem reſpondentibus. Alia omnia fiant, ut ſupra: & non fit ſermo.

CAPUT LX.

De Sabbatho ſancto, Papa celebrante.

SI in hac die Sabbathi ſancti Papa voluerit perſonaliter celebrare, hic ordo ſervabitur: Primo ignis novus benedicetur apud Altare, in quo Papa eſt celebraturus, a juniori Presbytero Cardinali amictu, alba, cingulo, ſtola, & pluviali violaceo induto, & ſimul incenſum in cereo affigendum, ordine ſuperius

ſuperius denotato: & hoc, antequam Pontifex veniat ad Eccleſiam. Hora competenti Papa indutus, ut ſuperius dictum eſt, venit ad capellam, præcedente Cruce, more conſueto, ſine proceſſione tamen, orat ante Altare, aſcendit ſedem eminentem, & fit ei reverentia a Cardinalibus cum cappis laneis, imponit incenſum per acoluthum ſibi delatum, miniſtrante Presbytero Cardinali. Et Diaconus Cardinalis Evangelium, & Subdiaconus Apoſtolicus Epiſtolam dicturi, parati cum dalmaticis & tunicellis albis, & ornamentis accedunt, & Subdiaconus quidem capit Crucem Papalem, & præcedente thuriferario, incipit iter extra capellam, Diaconus vero, inclinatus ante Pontificem, dicit: *Jube, Domine, benedicere:* & Papa: *Dominus ſit in corde tuo, &c.* Et mox Subdiaconus ſequitur, & poſt eum quatuor alii acoluthi, quorum unus portat bacile cum quinque granis incenſi, figendis in cereo. Cum pervenerint extra capellam, in loco præparato, Diaconus accipit arundinem cum tribus candelis, & intrans capellam, tertio genuflectit, dicens: *Lumen Chriſti,* ut ſuperius dictum eſt; & tandem tradita arundine uni ex Acoluthis, accedit ad pulpitum, ſupra quod poſitus eſt liber Evangeliorum. Incenſat, & incipit: *Exultet jam angelica, &c.* pro benedictione cerei Diaconus & Subdiaconus deponunt dalmaticam, & tunicellam albas, & Pontifex ſurgens ſine mitra ſecrete dicit: *Pater noſter* pro Nona, & cantores legunt Nonam, & in fine Pontifex vadit ad faldiſtorium, & procumbit dum dicitur: *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens, &c.* & dicit orationem: *Reſpice quæſumus, Domine &c.* Interim vero Subdiaconi, auditores, Clerici cameræ, ac acoluthi omnes alii capiunt ſuperpellicia, & Pontifex finita oratione ſurgit, & vadit ad ſedem, ubi conſuevit accipere paramenta: ſedet, accipit ſandalia, dicit Pſalmum: *Quam dilecta,* & alias orationes conſuetas: lavat manus, & paratur omnibus ornamentis pontificalibus, violaceis pallio & mitra ſimplici a Diacono & Subdiacono in

albis exiſtentibus: & dum Papa accipit planetam, Cardinales & alii Prælati omnes capiunt paramenta ſibi convenientia violacei coloris. Diaconus & Subdiaconus, induto Pontifice, accipiunt planetas ante pectus plicatas & manipulum: Prior Presbyterorum Cardinalium aſſiſtit Pontifici cum pluviali violaceo: ſandalia tamen Papæ erunt alba cum perlis, quia illa non mutat, & ſimiliter ſubcinctorium, & ſtola. Tunc Papa cum Presbytero Cardinali, & Diaconis aſſiſtentibus, & cum Diacono & Subdiacono miniſtris, non tamen proceſſionaliter, accedit ad Altare, & tres Presbyteri Cardinales non veniunt obviam, aſcendit ad Altare, & ſine mitra illud oſculatur: deinde, reaſſumpta mitra, aſcendit ad ſedem eminentem, & ibi ſedens aliquantulum quieſcit: ſi autem non eſſet ibi ſedes ad partem, ubi accipiat paramenta, poterit illa recipere in ſede conſueta, & inde deſcendere ad Altare, & rurſus illuc redire. Si vero Diaconus Cardinalis, Evangelium dicturus, non ſit diſpoſitus cantare, *Lumen Chriſti*, & facere benedictionem cerei, poterit id fieri non incompetenter per Diaconum capellæ, ſicut paſſio cantatur per alium, quam per Diaconum ordinarium: & maxime, cum Papa tunc non ſit indutus Miſſalibus indumentis. Pontifice igitur in ſua ſede, Diacono Evangelii apud Altare, & aliis omnibus in locis ſolitis conſedentibus, unus acoluthorum, cum ſuperpellicio ſurgens, vadit ad pulpitum nondum poſitum contra cornu Epiſtolæ ſub Presbyterio: ſine titulo cantat primam Prophetiam: *In principio creavit Deus, &c.* Et illa finita, ſi placet Domino noſtro, eadem cantatur græce ſecundum JACOBUM GAJETANUM, & ſecundum PETRUM AINELII, *Epiſcopum Senogallienſem*, & alios, qui ſcripſerunt de cerimoniis. Legi etiam apud aliquos majores noſtros, coram Pontifice omnes duodecim lectiones latine & græce legi conſueviſſe: ſed poſteriores de prima tantum fecerunt mentionem. Finita lectione, accedit ad oſculum pedis Papæ, & Papa ſurgens

ſine

ſine mitra, dicit: *Oremus*, Diaconus a dextris: *Flectamus genua*, & Diaconus a ſiniſtris: *Levate*. Deinde Papa proſequitur orationem. Aliæ lectiones, ſive Prophetiæ, ſimili modo dicuntur per Acoluthos, & Capellanos Papæ, id eſt, per Auditores: & Diaconi aſſiſtentes alternatim dicunt: *Flectamus genua*, & a dextris: *Levate*, & ſic deinceps. Finitis duodecim lectionibus, Papa deſcendit ante Altare, deponit pallium & planetam, & cum mitra procumbit ſuper faldiſtorium, dum dicitur Litania: alii autem Cardinales Prælati procumbunt apud ſedes ſuas, & ſine mitra. Subdiaconus autem non Epiſtolæ, aliquantulum retro Papam a dextris, contra cornu Epiſtolæ, genuflexus ante ſcabellum, ſupra quod librum tenet, cantat Litaniam, & chorus reſpondet replicando eadem, quæ ille dicit. Cum perventum eſt *ad peccatores*, ſurgit Papa cum ſuis aſſiſtentibus & miniſtris, & vadit ad ſedem, ubi accipere conſuevit paramenta. Diaconus & Subdiaconus, dimiſſis planetis, accipiunt albas tunicas, & Papam exuunt violaceis, & induunt albis paramentis, & omnes Cardinales, & Prælati accipiunt paramenta alba: & Altare, & ſedes Papæ ornantur albis palliis, & accenduntur luminaria ſuper Altare. Interim Subdiaconus alius proſequitur Litaniam uſque in finem. Et cantores, illa finita, cantant *Kyrieeleiſon*, quouſque Papa fuerit in ſede eminenti, ad cantandum *Gloria*. Papa autem, aſſumptis precioſis, ornamentis, & poſito incenſo in thuribulo, Cruce præcedente, proceſſionaliter procedit ad Altare, oſculatur Altare, & librum Evangeliorum incenſat, incenſatur, recipit tres Diaconos ad oſculum ex more, & aſcendit ad ſedem eminentem: ubi dicto *Kyrieeleiſon* novies, cantat: *Gloria in excelſis Deo*, pulſantur campanæ, proſequitur: *Et in terra*: deinde, *Pax vobis*, & orationem: & Subdiaconus deinde dicit Epiſtolam more conſueto. Finita Epiſtola, Subdiaconus, dimiſſo libro in manibus cerimoniarii, immediate accedens

ante ſolium Pontificis, ſtans infra gradus voce ſubmiſſa dicit: *Pater ſancte, annuncio vobis gaudium magnum, quod eſt alleluja,* & mox aſcendens oſculatur ejus pedem, & accedens unus ex auditoribus præintonat Papæ *Alleluja:* qui ſurgens ſine mitra, tertio cantat *Alleluja*, ut in ordinario: deinde ſedet, & cantatur *Alleluja,* & verſiculi, & Evangelium, ad quod non portantur luminaria, ſed incenſum tantum, & petitur benedictio, & oſculatur liber. Papa non dicit offertorium, ſed dicto *Dominus vobiſcum,* lavat manus, deſcendit ad Altare, & procedit in Miſſa, ut alias, usque ad finem communionis. *Agnus Dei* non dicitur, nec *Pax* datur. Dicit tamen Papa illam Orationem: *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis pacem, & cætera,* & illa dicta, mox aſcendit ad ſedem eminentem, & ibi communicat, & ſugit ſanguinem cum calamo, more conſueto: ſed non recipit ad oſculum oris Diaconum, aut alios poſt communionem. Facta purificatione, ſedet, lavat manus, & chorus incipit *Alleluja* pro Veſperis. Pontifex in ſede permanet, & ad *Magnificat* Subdiaconus præintonat ei Antiphonam, deinde ſedet cum mitra, imponit incenſum, & cum incipitur *Magnificat,* deſcendit, incenſat Altare, revertitur ad ſedem, incenſatur ipſe, & alii, more conſueto: ipſe ſtans ſine mitra, expectat finem: deinde cum repetitur Antiphona, ſedet, & circa finem deſcendit ad Altare: Dicit, *Dominus vobiſcum,* & orationem, & Diaconus: *Ite, Miſſa eſt, Alleluja, Alleluja:* datur benedictio, publicantur indulgentiæ, & eſt finis, deponuntur paramenta in capella, ut alias.

SECTIO

SECTIO II.

CAPUT I.

De feſto Reſurrectionis Domini, *Papa celebrante.*

IN feſto paſchatis reſurrectionis Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, in quo eſt mutatio capparum, Papa indutus pluviali albo, & mitra precioſis, miniſtrante Priore Presbyterorum, etiam parato naviculam, & Acolutho thuribulum, imponit incenſum, deinde ſupplicatione præeunte venit ad Eccleſiam ſub baldachino, quod oratores portant, vel nobiles. Cardinales & Prælati omnes ſunt parati paramentis albis convenientibus, & officiales omnes in albis, ut moris eſt. Cardinales duo Diaconi aſſiſtentes portant fimbrias pluvialis Papæ, & nobilior urbis caudam. Cum pervenerit ad Eccleſiam Papa, facta oratione ſuper faldiſtorio, vadit ad ſedem, ubi parari debet, & fit ei reverentia a Cardinalibus, & omnibus Prælatis paratis more ſolito. Finita reverentia, Papa, depoſita mitra, ſurgit, & ſtans verſus ad Altare, dicit ſecrete *Pater noſter*. Tunc, in cantu: *Deus in adjutorium meum intende, &c.* & ſtat, quouſque Pſalmus incipiatur: quo incepto, ſedens accipit mitram, & accedunt Epiſcopi aſſiſtentes cum libro, dicendo: *Quam dilecta, & cætera,* & Subdiaconus cum ſandaliis, quem ſequuntur Acoluthi pro tenendis fimbriis: & Papa dicit Pſalmum, & induitur ſandaliis more conſueto. Dicta per cantores Antiphona: *Hæc dies, & cætera.* Papa, depoſita mitra, ſurgit, dicit: *Dominus vobiſcum,* & cantores dicunt: *Benedicamus Domino.* Tum Papa ſedens lavat manus, & paratus omnibus paramentis venit ad confeſſionem ſupplicabundus, & omnia alia fiunt, prout ſupra in die *Nativitatis Domini* notatum eſt, uſque ad *Credo in unum Deum:* in quo dicto: *Et homo factus eſt,* Subdiaconus

conus portat ad Altare criſtallinum, cum multis hoſtiis parvis conſecrandis pro communione populi, patena coopertum, & deſuper burſam cum corporalibus, hoſtiarium cum hoſtiis, & purificatorium: quæ omnia Diaconus accipiens, ponit ſuper Altare in cornu epiſtolæ, deinde Sacriſta vadit ad aliam credentiam pro lavandis calice Papæ & ampullis, & alia fiunt more conſueto. Diaconus Cardinalis ponit dictum calicem criſtallinum cum hoſtiis parvis ſuper corporalia in medio ante Crucem, ita ut non impediat incenſationem calicis, & hoſtiæ, ſed quod inter ambos calices ſit competens diſtantia. Cum dicetur per Papam: *Suſcipe, ſancte Pater, omnipotens, æterne Deus, &c.* calix Hoſtiarum diſcooperitur, & elevatur aliquantulum per Diaconum, & eo dicto, per eum recooperitur cum patena, & reponitur: Cum Papa dicit: *Per omnia ſecula ſeculorum,* ante præfationem, vel parum ante, duo Diaconi Cardinales juniores, præter illos, qui aſſiſtunt Papæ, vel ſi Diaconi, duo juniores Presbyteri Cardinales accedunt ad Altare, unus ad dextrum, alter ad ſiniſtrum cornu Altaris, & ſtantes hinc inde alter alterius faciem inſpicit, vel, ut alii volunt, & melius, ad populum reſpiciunt, repræſentantes duos angelos, qui apparuerunt in albis, cuſtodientes ſepulchrum Salvatoris: qui ibidem ſtare debent, uſque ad *Agnus Dei.* Cum Papa aſcendit ad ſedem ſuam, tunc deſcendunt ad loca ſua redeuntes. In hac die, poſtquam Papa dicit: *Per omnia ſecula ſeculorum,* ante *Pater noſter* non reſpondetur *Amen,* ſed Papa continuat: *Oremus præceptis &c.* Pax datur omnibus etiam Diaconis Cardinalibus communicandis, præter illum, qui Evangelium cantavit. Cum Papa communicaverit ſe, & Diaconum & Subdiaconum de ſanguine more ſolito, Papa ſe purificat: ſed digitos non abluit, propterea Sacriſta pateram illam auream hic non portet, neque adhuc Prior Presbyterorum Cardinalium ad Papam vocetur. Cum primum autem Diaconus, & Subdiaconus per Papam communicati

apud

apud Altare more ſolito, ſanguinem ſumpſerint, Diaconus Evangelii accedit ad ſiniſtram Papæ, in ſolio ſine mitra ſtantis, pro honore Sacramenti in Altari poſiti: ſtansque dicit in tono conſueto: *Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ ſemper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptiſtæ, ſanctis Apoſtolis Petro, & Paulo, ac omnibus ſanctis, & tibi pater, quia peccavi nimis, cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea maxima culpa: Ideo precor beatam Mariam ſemper virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptiſtam, ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, & omnes ſanctos, & te pater, orate pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Quo dicto, Diaconus revertitur ad Altare ad locum ſuum, & Papa ſtát ſine mitra, Epiſcopo Cardinali aſſiſtente librum tenente dicit in cantu more ſolito: *Miſereatur veſtri omnipotens Deus, &, dimiſſis peccatis veſtris, perducat vos ad vitam æternam.* Reſp. *Amen.* Deinde dicit: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus.* Reſpondetur: *Amen.* Inde omiſſis verbis & benedictione &c. populum tantum Cruce ſignat nihil dicens. Tum Diaconus ſtans in medio Altaris, accipit calicem cum hoſtiis pro populo conſecratis, patena coopertum, & tenens, ut prius fecerat, cum patena, & Sacramento pro Papa, & illum dat Subdiacono ante ſe genuflexo, qui illum portat ad ſiniſtram Papæ, ibidem ſtans uſque ad finitam communionem. Subdiaconum ad Pontificem euntem ſequuntur duo auditores cum mappula ſericea, gremio Pontificis imponenda, antequam populum communicet, quam dicti auditores hinc & inde apud Papam genuflexi, tenent uſque ad finem communionis. Poſtquam Subdiaconus ad Papam pervenerit, Papa, ut Sacramento reverentiam fecit ſemitecto capite, ſi frigus ei nocet, vel omnino tecto, ſi recte valet, depoſita patena, illi ſuperponit plures hoſtias & eas dat Epiſcopo Cardinali a dextris ſibi aſſiſtenti tenendas. Eſſet tamen ſecu-

ſius, quod Subdiaconus cum calice Sacramenti ſtaret ad dexteram Papæ, & Papa ſiniſtra manu teneret patenam inter ſe & calicem, & extraheret ſingulas hoſtias pro ſingulis communicandis. Papa ſingulis, cum communicat, dicit: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam.* Singuli communicandi, antequam communionem ſumant, oſculentur manum Papæ: pedem autem non oſculentur. Cum Papa communionem populi incipit, Sacriſta, vel Diaconus græcus, ſtans in cornu epiſtolæ, in manibus ſuis teneat calicem cum puro vino, quo communicati ſe purificent, & in ſiniſtra habeant mappulam albam mundam, qua ipſi extergant, deinde ad loca ſua redeant. *Venient autem hoc ordine:* Primo Diaconi Cardinales, qui oſculantur ante communionem manum Papæ, deinde communicati, quos ſequuntur alii eo ordine, quo fit incenſatio. Communione facta, Papa ſurgit, ſi communicando ſedebit, & facit reverentiam Sacramento, & Subdiaconus reportat hoſtias, ſi quæ remanſerint ſuper Altare, ubi manent ad finem Miſſæ, tunc Papa ſedet, & accedit Acoluthus cum duabus pateris, una aurea pro Papa, & alia pro credentia, in manibus vinum & aquam portans: & cum eo venit Prior Presbyterorum Cardinalium, quo infundente vinum ſupra pateram auream, Papa ſine mitra abluit digitos, tum, accepta mitra, lavat manus more conſueto: deinde deſcendit ad Altare, & finitur Miſſa. Qua finita, & dicto *Placeat*, Papa ſtans in Altari ſine mitra, dat benedictionem, & non indulgentias. Papa dicit: *Dominus vobiſcum*, &, *Initium ſancti Evangelii*, ſecundum Joannem, &c. uſque ad finem. Et Papa cum pallio, (*quam ille, cum celebravit, in ſupplicationibus uti debet, ſi alia indumenta Miſſalia habet*) ſupplicatione præeunte ſub baldachino, quod, ut ſupra, nobiles portant, præcedentibus officialibus in albis, & omnibus Prælatis, paratis eo ordine, quo venerant ad Eccleſiam, vadunt ad locum benedictionis publicæ, per viam

[illegible]

ultimæ navis, in qua firmat ſe ad videndum vultum ſanctum: deinde aſcendit ad locum benedictionis, ubi ſolenniter benedicit populum, dat indulgentias plenarias, quas Diaconus a dextris pronunciat in latino, & alius a ſiniſtris in vulgari. Omnes Cardinales & Prælati exuunt ſe, & aſſociant Papam uſque ad principium ſcalarum, ubi Papa eos dimittit, & vadit ad comedendum: & non fit ſermo.

CAPUT II.

De communione Imperatoris, aut Regis.

SI autem IMPERATOR, aut REX aliquis, eſſet a Papa communicandus, tunc, poſtquam Papa communicavit ſe, & Diaconum, ac Subdiaconum, Diaconus, dicto ante Pontificem *Confiteor Deo, &c.* vadit ad Altare, & unam tantum hoſtiam ponit ſuper patenam pro IMPERATORE vel REGE: factiſque circulis conſuetis, illam dat Subdiacono ad Pontificem deferendam. Imperator, vel Rex, deducitur a Priore Epiſcoporum Cardinalium ad pedes Pontificis, & recipitur ad oſculum oris, poſtremo ab eodem Cardinali ducitur ad Altare, & per manus Diaconi purificat; & reducitur ad ſedem ſuam ab eodem Cardinali. Deinde portantur aliæ hoſtiæ, ut ſupra, pro Diaconis Cardinalibus & aliis. Hoc ſervatum fuit tempore INNOCENTII, SIXTI, cum PETRUS, Rex Arragonum, venit ad Romanam curiam. Anno M. CCC. LXXXVI. Quod ſi plures eſſent Reges, ſimul portentur tot hoſtiæ, & totidem Cardinales, primi deducunt Reges.

CAPUT III.

De feſto Paſchalis, Papa non celebrante.

SI vero Papa non celebret, cantatur Miſſa per Epiſcopum Cardinalem more conſueto, qui communicat, ſi voluerit, Diaconos Cardinales & alios curiales, ſi ad hoc erunt diſpoſiti:

Sed incepta præfatione, nemo ad cornua Altaris accedit, ut ſupra dictum eſt. Sed omnia ſupra dicta, omittuntur, & fit Miſſa eo ordine, prout alias fieri ſolitum eſt. Et non fit ſermo.

CAPUT IV.

De ſecunda feria poſt Paſcha.

FEria ſecunda poſt Paſcha, unus ex reverendiſſimis Dominis Presbyteris Cardinalibus celebrat Miſſam in paramentis albis: dicitur tantum una Oratio, & non fit ſermo, alia omnia fiunt more ſolito.

CAPUT V.

De tertia feria poſt Paſcha.

FEria tertia poſt Paſchæ feſtum, unus ex Reverendiſſimis Dominis Presbyteris Cardinalibus celebrat Miſſam in paramentis albis. Dicitur tantum una oratio, & non fit ſermo: alia omnia fiunt more ſolito.

CAPUT VI.

De ſabbatho in albis, cum dantur Agnus Dei.

COnſueverunt Summi Pontifices annis primo, ſeptimo, & & deinceps ſingulis ſeptenis, benedicere *Agnus Dei*, poſt feſta paſchalia in camera ſua: quorum confectionem, & benedictionem ſatis expoſuimus in *prima parte*, * & deinde in Sabbatho in albis, in capella publice diſtribuunt hoc ordine. Conſueverunt tamen antiquitus Romani Pontifices in primo anno ipſimet celebrare hac die, ut legimus de URBANO V. GREGORIO XI. AVINIONI, & URBANO VI. Romæ, die ſabbathi in albis, quando *Agnus Dei* diſtribui debent, celebrat Miſſam aliquis Presbyterorum Cardinalium in paramentis albis.

* Lib. I. Sect. 7. cap. 8.

albis more conſueto: poſt orationem diei, dicitur oratio contra Paganos, & alia pro Pontifice, & non fit ſermo. Alia omnia fiunt more conſueto usque ad *Agnus Dei*; quo dicto, Cardinalis aſſiſtens accedit ſolito more ad Altare, accipit pacem, & eam defert ad Pontificem, & diſtribuitur ut alias, poſt acceptam pacem. Cardinales & Prælati omnes capiunt paramenta alba, ordinibus ſuis convenientia: Cardinales in locis ſuis, Prælati vero & officiales extra cancellum capellæ. Celebrans, facta communione, lavat manus, & dicit poſt communionem more ſolito, deinde vadit ad faldiſtorium, ſedensque accipit mitram, incepta per cantores poſt communionem, miniſtranteque Presbytero Cardinali naviculam, Papa ponit incenſum more conſueto: tum præcedente Subdiacono capellæ cum cruce inter ceroferarios, ante quos thuriferarios incedit cum thuribulo fumigante Subdiaconus Apoſtolicus, indutus ſacris veſtibus, ac ſi epiſtolam ſolenniter lecturus eſſet, una cum Clerico cerimoniarum, ſequentibus ipſum duobus aliis Capellanis celebrantis, ſuperpelliciis indutus vadit ad locum paratum, ubi Sacriſta lancem unam magnam, *Agnus Dei* in bombice indutus, plenam mappula pulchra ſericea coopertam ornavit; & lancem cum *Agnus Dei* accipiens, præcedente thuriferario, ordine, quo iverat, revertitur ad Pontificem. Cum fuerint intra oſtium capellæ, genufleɛtunt omnes, & Subdiaconus cantat competenti voce, ita, ut ab omnibus audiatur, dicens: *Pater ſancte, iſti ſunt Agni novelli, qui annunciaverunt vobis Alleluja*, modo veniunt ad fontes, repleti ſunt claritate, *Alleluja*: cantores reſpondent ea voce: *Deo gratias, Alleluja*: quod ſecundo facit Subdiaconus, dum fuerit ante oſtium cancelli, & tertio ante ſolium Pontificis genuflexus; Pontifex interim ſemper cum mitra ſedente, niſi quod intrante cruce a principio omnes ſurgunt, & ſtatim ſedent. Deinde aſcendit ad dextram Pontificis, ubi genuflexus dictam lancem tenet usque

ad finem diſtributionis. Thuriferarius autem cum aliis omnibus ad ſua loca divertit: accedunt autem ad Pontificem duo auditores cum mantili, quod Diaconi Cardinales aſſiſtentes gremio Pontificis ſuperponunt, ipſis auditoribus illud hinc & inde genuflexis tenentibus. Tum veniunt ante Pontificem per ordinem omnes Cardinales, unus poſt alium, a ſeniore ad juniorem, & factis debitis ac conſuetis reverentiis, porrigunt mitras ſuas, cornua mitræ deorſum vertentes, & Papa imponit eis tot *Agnus Dei*, quot ei placet. Antiquitus dabant cuilibet Cardinali tres *Agnus Dei*, Prælatis duos, aliis unum tantum. Cardinales oſculantur ejus manum primo, deinde genu dextrum, Cardinalis celebrans venit de faldiſtorio ſolus ſuo tempore, & in ordine ſuo juxta ſcamnum capit *Agnus Dei*, ut alii, & revertitur ad faldiſtorium, ubi ſedet cum mitra usque ad finem diſtributionis; Prælati ſimili modo ſicut Cardinales: ſed genuflexi *Agnus Dei* in mitras accipiunt, & oſculantur genu dextrum Papæ, non manum: Protonotarii, & omnes alii, capiunt *Agnus Dei* in manus genuflexi, oſculantur pedem Papæ. Finita diſtributione, Papa lavat manus more conſueto, Cardinales & omnes alii deponunt paramenta: celebrans revertitur ad Altare, dicit in medio, *Dominus vobiſcum*, & apud librum, *Oremus*, & orationes more conſueto. *Ite, Miſſa eſt*, dicitur, cum duplici *Alleluja*, & deinde non dicitur cum *Alleluja*; Papa dat benedictionem & indulgentias, quas pronunciat celebrans. Servatum legimus apud antiquos, quod circa finem prandii portabatur in menſam magnum vas, plenum *Agnus Dei* cum bombice, quos Pontifex diſtribuebat omnibus ſuis familiaribus. PAULUS autem II. noſtro tempore per totum illum diem, & etiam ſequentem, poſt prandium diſtribuit *Agnus Dei* populo Romano, & omnibus utriusque ſexus ad palatium venientibus.

CAPUT

CAPUT VII.

De eodem die, quando non ſunt diſtribuendi Agnus Dei.

ANnis vero, quibus hac die *Agnus Dei* non ſunt diſtribuendi, celebrat aliquis Prælatus in paramentis albis: dicitur in miſſa: *Gloria in excelſis, Pax vobis,* & poſt orationem diei duæ aliæ, videlicet contra Paganos, & pro Papa: in fine Miſſæ: *Ite, Miſſa eſt,* cum duplici *Alleluja,* & omnia alia ordine conſueto: & non fit ſermo.

CAPUT VIII.

De feſto annunciationis B. M. Virginis, & Veſperis Papalibus in Quadrageſima.

FEſtum annunciationis Beatæ Mariæ virginis, plerumque cadit intra Quadrageſimam, & de feſto fit die quo cadit, niſi venerit in Dominica: quia tunc transfertur ad ſecundam feriam poſtmodum ſequentem, & ſi cadit in quinta feria majoris hebdomadæ, & deinceps uſque per totam Octavam Paſchatis, transfertur ad ſecundam feriam poſt Octavam: fit officium Miſſæ in capella Papæ ordinarie, & per unum ex Presbyteris Cardinalibus: & fit ſermo. Solent tamen aliquando Pontifices celebrare hoc feſtum in aliqua Eccleſia beatæ Mariæ in urbe. Conſueverunt antiqui Pontifices celebrare hoc die: & tunc, ſi feſtum fuiſſet die Lunæ in quadrageſima, in præcedenti Dominico die fiebant Veſperæ Papales cum paramentis. Idem fiebat, ſi feſtum celebrabatur poſt Paſcha: In aliis autem temporibus, quia in Quadrageſima Veſperæ dicuntur ante prandium, non fiebant Veſperæ ſolennes: ſed ne iſta ſolennitas remaneret ſine Veſperis ſolennibus, poſt Miſſam, in qua una tantum oratio dicitur, ſcilicet *de beata Virgine,* Papa, depoſitis miſſalibus indumentis, accipiebat

piebat pluviale album, & incipiebat: *Deus in adjutorium &c. pro Veſperis,* ſtans in ſede ſua eminenti, & Cardinales atque Prælati omnes permanebant cum ſuis paramentis, & incipiebantur Antiphonæ per Papam & Cardinales more ſolito. Si autem Papa non celebraſſet, ſed aliquis Cardinalis, aut Prælatus in ſua præſentia, tunc finita Miſſa, Papa incipiebat pro Veſperis: *Deus in adjutorium:* incenſabat, & cantabat orationes, ſicut conſuevit facere, quando non eſt celebraturus. Hodie non facimus Veſperas, neque ante, neque poſt. Et nota, quod in Veſperis dicuntur duæ orationes de feſto, & de feria: In Miſſa autem dicitur una tantum, quia dicitur ad partem Miſſa de feria. Et quotieſcunque Papa celebrat ſolenniter per totam Quadrageſimam, dicit unam orationem tantum.

CAPUT IX.

De feſto Sancti Marci.

HAc die ordinarie non fit Miſſa ſolennis publica: conſuevit tamen aliquando Romanus Pontifex equitare ad Eccleſiam *Sancti Marci* de urbe, Miſſamque celebrare aliquis Epiſcopus in paramentis rubris: & non fit ſermo. Papa cum pluviali rubro, & mitra precioſa, accedit ad Altare, deponit mitram, orat ſuper faldiſtorium procumbens, reaſſumit dictam mitram. Et iterum procumbit, dum Litania cantatur, quam duo ex cantoribus, convenienti loco poſt Pontificem coram ſe habentibus librum, ſupra ſcabellum, genuflexi dicunt, prout in ordinario, uſque ad finem, aliis cantoribus ipſis reſpondentibus. Finita Litania, ſurgunt omnes, Papa facit confeſſionem cum Epiſcopo celebrante, ut moris eſt. Cum autem aſcendit ad ſolium, Cardinales veniunt ad circulum, ſed tantum aſſurgunt. Prior Epiſcoporum non aſſiſtit propter anguſtiam loci, ſed tempore opportuno de loco ſuo accedit ad Pontificem,

cem, & miniſtrat naviculam: dicitur *Gloria in excelſis*, *Pax vobis*, una oratio tantum, *Credo*, *Præfatio de Apoſtolis*, & alia more conſueto. Facta communione per celebrantem, religioſi & clerus urbis ſuo ordine circumeunt Altare, & proſequuntur ſupplicationem ſuam more ſolito. Interim perficitur Miſſa, & in fine Papa dat benedictionem, ſupplicatione ſuo ordine tranſeunte: cujus tranſitum Papa conſuevit expectare: & ea finita, ſurgit Pontifex, & aſcendit ad palatium, vel aliò, ſi placet, revertitur.

CAPUT X.

De Vigilia & feſto Aſcenſionis Domini.

IN Vigilia Aſcenſionis Domini fiunt Veſperæ Papales, & in die Miſſa ſolennis in paramentis albis, quam celebrare ſolet Epiſcopus Cardinalis. Dicitur tantum una oratio, & fit ſermo, quem facturus, oſculetur pedem Papæ, vel genu: ſi ſit Prælatus, petat benedictionem, & non indulgentias. Finito ſermone, fit confeſſio: ſed non denunciantur indulgentiæ, cum Papa ſit poſt ſolennem benedictionem daturus publicas. Igitur, cum dicitur confeſſio, accedit Subdiaconus cum Cruce, & confeſſione finita, Papa dicit: *Precibus, & cætera*, alia omnia fiunt more conſueto. Finita Miſſa, Papa dat benedictionem: qua data, Papa eo ordine, quo de camera venit, vadit ad locum, ubi benedictionem publicam eſt daturus, quem Cardinales, Prælati, & alii officiales aſſociant in cappis ſuis ſine paramentis. Pontifex in loco prædicto dat benedictionem ſolennem populo, & in fine plenarias indulgentias, ſi placet, quas publicant duo Diaconi Cardinales: Senior primo in latino, deinde alius in vulgari, quibus publicatis, Papa redit ad cameram ordine conſueto.

CAPUT XI.

De Vigilia Pentecoſtes, & mutatione capparum.

IN Vigilia Pentecoſtes, Cardinales & Prælati Romanæ curiæ, depoſitis cappis, & cappuciis pellibus ſubduplicatis, accipiunt alias cum ſerico rubro, ſive carmeſino, in quibus veniunt ad Veſperas ſolennes, quæ fiunt more conſueto. Conſuevit etiam Pontifex hymnum Veſperorum, videlicet, *Veni creator Spiritus*, in ſede ſolii ſtans detecto capite, inchoare, deinde deſcendere ad faldiſtorium, ubi, poſtquam genuflexit, & non prius, cantores proſequuntur Hymnum. Finito primo verſu, ſurgit Pontifex, & aſſumpta mitra, redit ad faldiſtorium, ubi depoſita mitra ſtat uſque ad finem Hymni: alia omnia fiunt more ſolito, ſed ad primum verſum Hymni Pontifex ſemper genuflectit hac die, ſive ipſe incipiat, ſive non. Hæc mutatio capparum fit hodie in die feſto reſurrectionis Dominicæ, decreto LEONIS Papæ X. in Concilio Lateranenſi: quia ita fiebat antiquitus.

CAPUT XII.

De Die Pentecoſtes.

IN die Pentecoſtes Pontifex, indutus paramentis purpureis precioſis, venit ad Eccleſiam, & conſuevit ſolenniter celebrare in tali die cerimoniis conſuetis. Quod ſi non eſt diſpoſitus ad celebrandum, ſacra facit unus ex reverendiſſimis Dominis Epiſcopis Cardinalibus, ornamentis rubris paratus: & tunc Papa orat in faldiſtorio, facit confeſſionem cum celebraturo, & alia more conſueto: dicitur tantum una oratio circa finem *Alleluja*. Ante verſum Papa venit ad faldiſtorium, ubi genuflectit, & cantores incipiunt, & proſequuntur verſum: *Veni Sancte Spiritus*, uſque ad finem. Finito verſu, ſurgit Pontifex, & accepta mitra, venit ad ſolium: & fit

ſermo,

ſermo, ſi Papa non celebrat: omnia alia obſervabuntur more conſueto. Sed ſi Pontifex celebrat, obſervabuntur omnia, prout in Miſſa majori, in die Nativitatis Chriſti ordinatum eſt: & non fit ſermo.

Feriis ſecunda & tertia poſt Pentecoſten, nihil fit in capella hodie: quamvis tempore PII & PAULI, & aliorum ſuperiorum Pontificum, conſuetum fuerit celebrari, ſicut in ſecunda & tertia feria in Paſchate.

CAPUT XIII.

De Vigilia & feſto Sanctæ Trinitatis.

IN Vigilia Sanctæ Trinitatis fiunt Veſperæ Papales, ad quas venit Pontifex, ornatus albis ornamentis. In die fit Miſſa ſolemnis, quam celebrat Presbyter Cardinalis, ornamentis albis paratus. Dicitur tantum una oratio: alia omnia obſervantur more conſueto: & fit ſermo.

CAPUT XIV.

De Vigilia Corporis Chriſti.

IN Vigilia Corporis Chriſti fiunt Veſperæ Papales, ad quas venit Pontifex ornamentis albis paratus. Quibus finitis, Vicarius Papæ de mandato Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, mandat clero urbis, quod in tempore adſit in ſupplicatione, & proficiſcantur ante ordines Curiæ. Mandetur etiam per Vicarium Sancti Petri Canonicis, & aliis beneficiatis Eccleſiaſticis baſilicæ prædictæ, ſub aliqua gravi pœna, quod non interrumpant, neque ſe immiſceant ordinibus & Prælatis Romanæ curiæ, ſed illos præcedant, & per ſe, aut cum clero urbis, ſupplicationem faciant. Et Reverendiſſimus Dominus Camerarius committat curſoribus, quod mandent Romanæ curiæ officialibus, quod ſinguli ſub aliqua gravi pœna interſint ſupplicationi, hora competenti, cum ſingulis intorticiis.

CAPUT XV.

De feſto Corporis Chriſti, Papa præſente.

IN die ſummo mane Sacriſta paret Sacramentum in tabernaculo decenti ſuper Altare capellæ, forerii etiam portent baldachinum in loco congruo, intorticia ſingulis ſcutiferis Papæ portanda dentur ante Sacramentum: deinde hora competenti Cardinales, & Prælati omnes in locis ſuis capiunt paramenta alba, ordini ſuo convenientia, ut alias. Et Pontifex, acceptis paramentis albis in camera papagalli, vadit ad capellam, ubi eſt Sacramentum ante Altare, depoſita mitra, genuflexus orat: tum ſurgit, & ſtans ſine mitra, miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, naviculam imponit incenſum in duo thuribula, deinde genuflexus cum uno ex thuribulis prædictis incenſat Sacramentum, ter illi thuribulum ducens. Quo facto, imponitur collo Pontificis mappa ſericea per Cardinalem aſſiſtentem: deinde porrigitur Sacramentum, ipſum Pontifici per Diaconum a dextris aſſiſtentem, Pontifice adhuc genuflexo. Qui accepto Sacramento ſurgit, & ſine mitra illud portat aliquantulum: tum, accepto bireto, deſcendat ſub baldachino. Cardinalis celebraturus interea tempore congruo vadit ad Eccleſiam, ubi celebraturus, & ibi capit paramenta ordine conſueto. Cum Papa deſcenderit per ſcalas palatii, accipit mitram, quam retinet per totam ſupplicationem: quæ per priorem Diaconorum Cardinalium in prima porta palatii interim ordinetur, & per Vice-Camerarium conſervetur ordo a Priore Diaconorum datus. Non enim ad Camerarium, ſed ad Priorem prædictum ſpectat ordinare ſupplicationes Papales, tam equeſtres, quam pedeſtres: quamvis a paucis annis citra Camerarii aſſumpſerint ſibi hoc onus. In primis præcedent officiales Romanæ curiæ inferiores, ſeu minores, gradatim, deinde majores hoc ordine: Collectores plumbi, Solicitatores literarum Apoſtolicarum,

Notarii,

Notarii Auditorum rotæ, Procuratores pœnitentiariæ, Procuratores contradictarum, Abbreviatores de prima viſione, de Parco minori, Scriptores pœnitentiariæ, Scriptores Apoſtolici, Magiſtri utriuſque regiſtri, Abbreviatores de Parco majori, Bullatores, Magiſtri plumbi, Procuratores ordinum, Procuratores Principum, & Barones, Cantores, Acoluthi ſine cereis, Clerici cameræ, Auditores rotæ, quinque Acoluthi cum candelabris, Subdiaconi, quorum unus inter duos medius Crucem portet, Pœnitentiarii, Abbates, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Oratores, Prælati parati, Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi Cardinales, duo Diaconi Cardinales Pontifici aſſiſtentes, ſi Papa portatur in ſede: ſi vero Papa ſuis pedibus incedit, Diaconi hinc inde portant fimbrias pluvialis, & ſcutiferi Papæ ſinguli ſingula intorticia portantes: duo Acoluthi cum candelabris, duo alii Acoluthi cum thuribulis, continue incenſantes ante Sacramentum, & unus alius Acoluthus, qui naviculam portat cum thure: quod, cum opus ſit, imponit thuribulo: Papa ſub baldachino, auditor de mitra ſerviens, medius inter duos cubicularios ſecretos: Secretarius Papæ, ſi non eſt Prælatus, cum Medico Papæ, Protonotarii, Prælati, ſi qui ſunt non parati, Generales ordinum: quos tandem ſequantur togati omnes. Hoc ordine itur per viam rectam, uſque ad caſtrum ſancti Angeli, & per aliam viam, quæ ſancta dicitur, revertitur ad baſilicam Sancti Petri, ſi ſit Romæ apud Sanctum Petrum: ſi autem alibi ſit Papa, ordinabit, quouſque progredi placuerit, & ita ſervabitur. Advertendum tamen eſt, quod digniores nobiles, ſeu Oratores laici, portare debent baldachinum a principio, & dum intrat Eccleſiam in fine. Interim autem medio itinere illud portant inferiores nobiles, qui imitari ſolent ſuperiores per viam. Hæc autem ſupplicatio fit longior, & brevior, pro voluntate & diſpoſitione ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, & aliquando pro qualitate temporis. Vidi aliquando tempore pluvioſo, quod

quod ex palatio tantum deſcendimus ad Eccleſiam Sancti Petri: & ſi Pontifex eſt debilis pedibus, portatur in ſede, & portat Sacramentum. Cum Pontifex fuerit ante Altare, ubi Miſſa celebranda erit, genuflectit coram illo, & Diaconus a dextris aſſiſtens, accipit reverenter Sacramentum de manu illius, & in medio Altaris in loco ad id ordinato reponit. Tum Pontifex, ſtans ſine mitra, miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, imponit incenſum: deinde genuflexus, incenſat Sacramentum. Tum ſurgit, & cum celebrante facit confeſſionem, more ſolito primum. Ut autem officiales & Prælati pervenerint ſupplicabundi ad capellam extra cancellum Altaris majoris, depoſitis ſuperpelliciis, ſive paramentis, accipiunt cappas ſuas, in quibus intrant capellam prædictam: Cardinales vero parati, & in locis ſuis, antequam adveniat Pontifex, depoſitis paramentis accipiunt cappas ſuas. Finita confeſſione, Pontifex aſcendit ad ſolium: fitque ei reverentia a Cardinalibus, & alia fiunt more ſolito. Cardinalis celebrans non capit mitram, quando incenſandus erit, neque cum manus lavare debet in Altari, ſed ſtans in cornu Epiſtolæ ſine mitra, illas lavet ob reverentiam Sacramenti. Dicitur tantum una oratio, non fit ſermo. Finita Miſſa, Papa dat benedictionem, & indulgentias, quas pronunciat celebrans. Alia omnia fiunt more conſueto. Deſcendit deinde Pontifex de ſolio: orat in faldiſtorio ſine mitra, &, illa reaſſumpta, recedit, dimiſſo in Altari Sacramento, quod in ſero Sacriſta diſpenſat, ut decet.

CAPUT XVI.

De ſupplicatione hujus diei, Papa abſente.

SI Pontifex hujus diei officio non intereſſet, parentur omnia, ut dictum eſt. Cardinales, Prælati, & officiales in locis ſuis, in palatio paramenta recipiunt: celebrans vero in capella, prope Altare, accipit ſandalia cum Pſalmis conſuetis, deinde

deinde amictum, albam, cingulum, ſtolam, Crucem, pectorale, tunicellam, & dalmaticam cum orationibus ſolitis, & deſuper pluviale, vel ſi magis placet, dimiſſis tunicella & dalmatica, capiat pluviale. Hora deinde opportuna, miniſtrante Diacono capellæ naviculam, celebraturus ponit incenſum in duo thuribula. Tum genuflexus ante Altare incenſat Sacramentum: ordinatur deinde ſupplicatio, quæ fit ordine ſupra dicto. Subdiaconus capellæ portat Crucem, ita quod imago crucifixi ante reſpiciat, non retro: candelabra juxta Crucem ſupplicationis portant duo ex Capellanis aſſiſtentis, ſimiliter & thuribula ante Sacramentum: intorticia vero deferant ſcutiferi Papæ: Capellanus pluviali indutus a dextris, & Diaconus capellæ omnibus paramentis indutus a ſiniſtris auriphrygium pluvialis celebrantis elevet, baldachinum autem digniores nobiles, ut ſupra dictum eſt. Facta ſupplicatione, cum celebraturus repoſuerit Sacramentum ſuper Altare, imponit incenſum, miniſtrante Diacono capellæ naviculam. Tum genuflexus ante Altare, incenſat Sacramentum, deinde accedat ad faldiſtorium, ubi, depoſito pluviali, accipiat tunicellam, & dalmaticam, ſi illas prius non accepit: tum chirothecas, planetam, mitram, annulum Pontificalem: accedit ad confeſſionem, & omnia fiunt ordine ſupra dicto. In fine Miſſæ celebrans dat benedictionem ſine mitra, & publicat indulgentias, per Papam conceſſas.

CAPUT XVII.

De Vigilia & feſto Sancti Joannis Baptiſtæ.

IN Vigilia Sancti Joannis Baptiſtæ, ordinarie fiunt Veſperæ Papales, & in die Miſſa publica ſolennis per Presbyterum Cardinalem in paramentis albis: & fit ſermo, & non dicitur *Credo*, niſi veniat in die Dominico: alia fiunt ut in aliis Veſperis, & Miſſis ſolennibus.

CAPUT

CAPUT XVIII.

De Vigilia & feſto Apoſtolorum Petri & Pauli.

IN Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, ſi ſanctiſſimus Dominus noſter in craſtinum ſolenniter eſt celebraturus, accipit paramenta rubri coloris precioſa conſueta in camera papagalli, & deſcendit ad Eccleſiam nulla ſupplicatione præeunte: ſed facta reverentia, Domini Cardinales accipiunt paramenta, & obſervantur omnia, prout ſupra in Vigilia Nativitatis Chriſti notatum eſt. Si vero non eſt celebraturus, accipit eadem paramenta, & fiunt Veſperæ more conſueto. Et antiquitus erat potus in aula.

In die Apoſtolorum Petri & Pauli, ſi Sanctiſſimus Dominus noſter eſt celebraturus, ut conſuevit, cum poteſt, accipit in camera papagalli amictum, albam, cingulum, ſtolam, pluviale rubrum, & mitram precioſam: & miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, imponit incenſum. Interim Cardinales & Prælati capiunt paramenta, & officiales ſuperpellicia more ſolito. Et Pontifex ſupplicabundus venit ad Eccleſiam ſub baldachino, eo ordine, ut ſupra in Miſſa majori Nativitatis Chriſti eſt notatum. In Miſſa etiam obſervantur omnia, quæ ibidem ſunt ordinata. Poſt Miſſam Pontifex, data in Altari benedictione, & indulgentiis, per Cardinalem aſſiſtentem publicatis, dimiſſo in Altari pallio, redit ad cameram, non habita ſupplicatione, ſed ſine baldachino more conſeto: & etiam non fit ſermo.

CAPUT XIX.

De feſto Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis.

IN die Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, ſolet fieri Miſſa ſolennis, quam celebrare conſueverat Presbyter Cardinalis in paramentis albis, & ſolebat fieri ſermo. Sed hodiernis tempo-

temporibus hujuſmodi ſolennitas non obſervatur: ſed capella hujus diei prætermittitur, quæ non habet, neque habuit, Veſperas præcedentes.

CAPUT XX.

De Vigilia & feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

IN Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ſolebant eſſe Veſperæ Papales, & in die Miſſa ſolennis, quam ſolebat Presbyter Cardinalis paramentis albis indutus, celebrare, & ſermo fieri: ſed Romæ hodie non fit propter feſtum ſolenne Romanorum, quod ipſi celebrant in ſancta Maria majori. Si Papa eſt alibi, ſervatur ut ſupra.

CAPUT XXI.

De Vigilia & feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.

IN Vigilia Nativitatis B. Mariæ Virginis, ordinariæ fiunt Veſperæ ſolennes, & in die Miſſa ſolennis in capella Papæ per Presbyterum Cardinalem, paramentis albis paratum. Et fit ſermo.

CAPUT XXII.

De Vigilia omnium ſanctorum, & mutatione capparum.

IN Vigilia omnium ſanctorum, Cardinales & Prælati dimiſſis cappis cum ſerico rubro, accipiunt cappas cum pellibus albis. Et ſanctiſſimus Dominus noſter indutus paramentis albis ſolitis, venit ad Eccleſiam more ſolito. Et ſi eſt die craſtina celebraturus, Cardinalis facta reverentia conſueta, in cappis capiunt paramenta ſibi convenientia albi coloris: idem faciunt Prælati. Officiales vero accipiunt ſuperpellicia, ſi illa prius non acceperunt. Alia omnia fiunt, prout ſupra in Vigilia Nativitatis Domini dictum eſt.

CAPUT XXIII.

De feſto omnium Sanctorum.

IN die omnium Sanctorum, ſi ſanctiſſimus Dominus noſter eſt celebraturus, accipit in camera papagalli paramenta conſueta albi coloris ſimpliciter, & Cardinales in camera paramenti, & Prælati ac Officiales in aula, paramenta ſibi convenientia recipiunt, & Officiales ſuperpellicia: deinde, miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium, Papa imponit incenſum, & ſupplicatione præeunte venit ad Eccleſiam ſub baldachino: ac omnia alia fiunt, prout ſupra in Miſſa majori diei Nativitatis Domini noſtri, Papa celebrante, ordinatum eſt. Et non fit ſermo, niſi aliquis Cardinalis illum faceret. Si vero Papa non ſit celebraturus, celebrabit Epiſcopus Cardinalis in paramentis albis, ordine conſueto: & fit ſermo.

CAPUT XXIV.

In veſperis & matutinis defunctorum, Papa præſente.

IN ſero in capella majori palatii cantantur Veſperæ & matutinæ mortuorum, hoc ordine: Papa induitur amictu, alba, cingulo, ſtola violacea, & cappa de roſato ſine mitra, vel, ſi placet, loco cappæ accipit mantum de roſato, & caputium magnum, quod inverſatur, ita, quod pelles in capite ab extra ſint, & ſupra faciem habeat quaſi duo cornua. Et cum Pontifex manto, aut hujuſmodi caputio utitur, Prælati aſſiſtentes non debent habere cappas, ſed mantellos, quos aſſiſtentium crocias vocant, & caputia in modum cubiculariorum ſupra collum, & non ſupra caput. Hoc modo paratus Pontifex, venit ad capellam Cruce præcedente, & Cardinalibus Papam ſequentibus: duo Diaconi Cardinales, qui aſſiſtere conſueverunt, vadunt in locis ſuis poſt Presbyteros Cardi-

Cardinales: cum Papæ non aſſiſtant, fimbrias omnes cum cauda ſimul collectas portat dignior ex Prælatis aſſiſtentibus in capella. Papa facit orationem in faldiſtorio, capite ſemicooperto aſcendit ad ſolium, & ſedet, & duo primi ex aſſiſtentibus Epiſcopis extendunt fimbrias cappæ ante Pontificem: Cardinales omnes ſedent in locis ſuis, & non fit Papæ reverentia, neque Presbyter, aut Diaconi Cardinales ei aſſiſtunt. Poſtquam Papa aliquantulum quievit, ſurgit, & ſtans capite ſemicooperto verſus ad Altare, dicit ſecrete *Pater noſter:* quo ad finem completo, ſibi ipſi caput cooperiet: tum cantores incipiunt pro Veſperis Antiphonam: *Placebo Domino.* Qua dicta, & incepto Pſalmo, Papa ſedet, ſic manens, quouſque incipiatur *Magnificat.* Tunc ſurgit Papa a ſeipſo, ſemi, vel totaliter capite diſcooperto, prout ſibi placet. Finito *Magnificat,* Papa ſedet cooperto ſibi capite, ſic manens uſque ad finem repetitionis Antiphonæ. Tunc accedunt duo Acoluthi in eorum cappis, cum duobus candelabris, more ſolito: ſurgit Pontifex diſcooperto capite, & ſtans verſus ad Altare, dicit competenti voce: *Pater noſter,* quod ſecrete complet. Interim accedunt duo Epiſcopi aſſiſtentes cum libro & candela, & Papa completo *Pater noſter,* dicit Verſiculum: *Et ne nos inducas in tentationem.* Reſp. *Sed libera nos a malo.* Verſ. *A porta inferi.* Reſp. *Erue, Domine, animas eorum.* Verſ. *Requieſcant in pace.* Reſp. *Amen.* *Domine, exaudi orationem meam.* Reſp. *Et clamor meus ad te veniat.* Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oremus: *Fidelium Deus, omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt piis ſupplicationibus, conſequantur. Qui vivis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum.* Reſp. *Amen.* Verſ. *Requiem æternam dona eis, Domine.* Reſp. *Et lux perpetua luceat eis.* Tum duo ex cantoribus dicunt Verſ. *Requieſcant in pace.* Reſp. *Amen;* deinde

ſedeat Pontifex cooperto capite, & aliquantulum quieſcat: ſurgat, & capite ſemicooperto ſtans verſus Altare, dicit ſecrete *Pater noſter.* Quo completo, caput ſibi ipſi cooperiat, & cantores incipiant pro Matutinis Invitatorium: *Regem, cui omnia vivunt &c.* Incepto Pſalmo primi Nocturni, videlicet *Verba mea,* Papa ſedet, ſic manens, quouſque ad reſponſionem verſiculi ante primam lectionem. Tunc ſurgit, & capite ſemidiſcooperto ſtans verſus ad Altare, dicit ſecrete *Pater noſter,* & illud ſecrete complet: quo completo, caput ſibi ipſi cooperiens ſedet. Tunc unus ex cantoribus ſtans in eorum loco verſus ad Altare, facta prius Altari & Papæ reverentia, ex libro dicat primam lectionem: & alia dicuntur, prout in ordinario. Poſt verſiculos ſecundi & tertii Nocturni ſurgit Pontifex, & dicit *Pater noſter:* deinde ſedet, prout ſupra in primo Nocturno dictum eſt. Incepto Pſalmo *Benedictus,* Papa ſurgit ſtans verſus ad Altare, capite ſemi vel totaliter diſcooperto, uſque ad finem Pſalmi: quo finito, ſedet cooperto capite. Repetita Antiphona poſt *Benedictus,* accedunt duo Acoluthi in eorum cappis cum luminaribus ad locum conſuetum: ſurgit Pontifex, & ſtans verſus ad Altare, dicit: *Pater noſter,* & alia omnia, prout ſupra in Veſperis ordinatum eſt. Dicto a cantoribus: *Requieſcant in pace, Amen,* Papa ſedet cooperto capite, & aliquantulum quieſcit: deinde vadit ad faldiſtorium, orat, ſurgit, & redit in cameram eo ordine, quo venit; digniores ex Epiſcopis aſſiſtentibus fimbrias, ut ſuperius, portant.

CAPUT XXV.

De Veſperis & Matutinis mortuorum, Papa abſente.

SI autem Pontifex Veſperis & Matutinis defunctorum non intereſſet, Cardinalis die craſtina celebraturus, pervenit ad capellam, & facta oratione ante Altare, ſedet in faldiſtorio

in loco

in loco conſueto ſibi parato: Capellani ad numerum novem ſunt parati cottis, quorum duo hinc & inde ſtant juxta Cardinalem, depoſita cappa per ſcutiferos, miniſtrantibus aliis Capellanis paramenta de Altari. Cardinales ipſum induunt amictu, alba, cingulo, ſtola, qua ſpatulis pendeat, pluviali nigro, & mitra alba plana. Qui ſic paratus in faldiſtorio ſedens, tempus expectat: depoſita deinde mitra ſurgit, & ſtans verſus ad Altare, ſecrete dicit: *Pater noſter*, & cantores dicant Antiphonam: *Placebo*, pro Veſperis, deinde *Pſalmum;* quo incepto, ſedeat Cardinalis accepta mitra ſic manens, quouſque *Magnificat* incipiant. Tum ſurgit, depoſita mitra ſtans ad finem illius ad Altare verſus. Incepta Antiphona, ſedet cum mitra uſque ad finem Antiphonæ: deinde ſurgit depoſita mitra, & ſtans verſus ad Altare, dicit: *Pater noſter*, & alia, ut ſupra in Veſperis Pontifice præſente dictum eſt, duobus ex Capellanis ſuis duo candelabra tenentibus cum luminaribus, unum Capellanum, qui librum coram celebraturo tenet, medium inter ſe habentibus. Dicto a cantoribus *Requieſcant in pace, Amen*, Cardinalis ſedet accepta mitra, & aliquantulum quieſcit: deinde depoſita mitra ſurgit, & ſtans verſus ad Altare, ſecrete dicit: *Pater noſter*, & cantores incipiunt Invitatorium, *Regem cui omnia vivunt*, pro Matutinis, & alia, prout in Ordinario. Incepto Pſalmo, Cardinalis accepta mitra ſedet dicto verſiculo primi Nocturni cum ſuo Reſponſorio: ſurgit depoſita mitra, ſtans verſus ad Altare, ſecrete dicit: *Pater noſter*, quo completo, ſedet cum mitra, & cantores dicunt lectiones, & alia, ut in ordinario: idem faciat Cardinalis poſt verſiculos ſecundi & tertii Nocturni: Incepto *Benedictus*, ſurgit ſine mitra, ſtans verſus ad Altare: quo finito, ſedet cum mitra; repetita deinde Antiphona, ſurgit ſine mitra, & ſtans verſus ad Altare, dicit voce competenti: *Pater noſter*. Quo ſecrete completo, unus ex aſſiſtentibus ſuis Capellanis librum, cum duobus aliis duo luminaria

coram eo tenentibus, dicit ex libro verſiculum: *Et ne nos*, cum aliis, & orationem: *Fidelium Deus omnium, &c.* ac aliis, prout ſupra in Veſperis dictum eſt.

CAPUT XXVI.

De commemoratione animarum, Papa præſente.

IN die commemorationis animarum, ſuper credentiam ponuntur vaſa conſueta, exceptis duobus magnis bocalibus argenteis, quibus in Miſſis defunctorum non utuntur. Paretur etiam ſuper eam thuribulum cum navicella, & vas aquæ benedictæ cum aſperſorio. Deinde hora competenti Presbyter Cardinalis celebraturus, venit ad capellam, & capit omnia paramenta conſueta nigri coloris, exceptis ſandaliis & chirotecis, quibus in hujusmodi Miſſa uti non debet: nec conſuevit dicere Pſalmum: *Quam dilecta*, cum aliis. Subdiaconus & Diaconus utuntur tunicella & dalmatica: Deinde Pontifex, indutus amictu, alba, cingulo, ſtola violacea, & cappa rubea, cujus cucullum ſuper ſcapulis duobus ſpaletis aptatur, ne deorſum cadere poſſit, & mitra ſimplici: vel ſi Pontifici placet, loco cappæ habeat pluviale rubeum ſimplex, & mitram ſimplicem, præcedentibus Cruce & Cardinalibus venit ad capellam, orat in faldiſtorio, & facit confeſſionem cum celebraturo, aſcendit ad ſolium: & non fit ei reverentia a Cardinalibus, ſed duo Diaconi & Prior Presbyterorum Cardinalium aſſiſtunt ei more conſueto. Papa dicit Introitum cum aſſiſtentibus tantum; Altare non incenſatur, Cardinales non veniunt ad circulum, neque celebrans oſculatur librum, ſed Altare tantum. Cum celebrans dicit: *Dominus vobiſcum*, Papa venit ad faldiſtorium, & genuflectit ſine mitra, ſic manens, uſque ad finem orationis: & ſimiliter omnes genuflectunt præter celebrantem, & miniſtros, id eſt, aſſiſtentem Diaconum, & Subdiaconum. Pontifex oratione finita, & accepta mitra,

mitra, redit ad ſedem. Dicitur tantum una oratio, videlicet: *Fidelium Deus omnium &c.* Subdiaconus, dicta epiſtola, non oſculatur pedem Papæ, neque Diaconus pro Evangelio illum oſculatur: ad Evangelium non portantur luminaria, neque incenſum, neque Diaconus accipit benedictionem. Finito Evangelio, Papa non oſculatur librum, neque benedicit aquam pro ſacrificio in calice imponendam. Poſt Offertorium Papa imponit incenſum more conſueto, (& incenſantur oblata, Altare, celebrans, & Papa tantum, & non alii: Subdiaconus non tenet patenam, ut in aliis Miſſis, ſed ad elevationem in cornu epiſtolæ genuflexus, incenſat Sacramentum. Papa, dicto *Sanctus*, cum aſſiſtentibus venit ad faldiſtorium, ubi depoſita mitra genuflectit, quouſque celebrans dicat: *Per omnia ſecula ſeculorum*, ante *Pax Domini*. Tum ſurgit Pontifex, & accepta mitra, redit ad ſolium: ubi depoſita mitra dicit cum aſſiſtentibus, *Agnus Dei*. Celebrans non dicit Orationem: *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis:* neque *pax tecum*, ſed ſequentes. Oſculum pacis non datur, celebrans procedit in Miſſa more conſueto. Et Pontifex ad orationem in fine venit ad faldiſtorium, & genuflectit: deinde illa finita, redit ad ſedem. Et celebrans, dicto in Altari *Placeat &c.* vadit ad faldiſtorium, deponit veſtes ſacras, & demum vadit ad locum ſuum inter Cardinales: non datur benedictio, neque indulgentiæ. Deinde, ſi Pontifex velit poſt Miſſam abſolvere, incepto a cantoribus Reſponſorio: *Libera me, Domine*, apud ſedem deponit cappam, & accipit pluviale rubrum ſimplex, *ſi placet:* & ponitur ante eum pannus niger ad hoc paratus, & extenditur a ſcabello ſedis per planum & gradus ſolii ſui, & quatuor Acoluthi ſuperpelliciis induuntur: & dum cantores replicant Reſponſorium, *Libera me*, *Domine*, accedunt ad Pontificem duo Acoluthi, unus cum thuribulo & navicella, alius cum vaſe aquæ benedictæ & aſperſorio: & Pontifex, miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium navicellam, impo-

imponit incenſum, Presbyter Cardinalis remanet illic apud Papam. Cum incipitur *Kyrieeleiſon* a cantoribus, ſurgit Pontifex depoſita mitra, & dicto ultimo *Kyrieeleiſon*, ſtans verſus ad Altare, dicit intelligibili voce *Pater noſter:* quod ſecrete complendo, miniſtrante Priore Presbyterorum Cardinalium aſperſorium, Papa aſpergit tertiò ſupra pannum nigrum ante ſe jacentem, & reddit aſperſorium Presbytero Cardinali; quo miniſtrante thuribulum, Papa incenſat eodem modo, ſupra pannum tertiò thuribulum ducens; & reddito thuribulo Presbytero Cardinali, recedunt illi duo Acoluthi cum aqua benedicta & thuribulo, & Presbyter Cardinalis ad ſcabellum ſuum revertitur: accedunt duo Acoluthi cum luminaribus ad locum conſuetum, & duo Epiſcopi aſſiſtentes cum libro & candela. Et Papa dicit Verſ. *Et ne nos inducas &c.* cum aliis & oratione: *Fidelium Deus omnium*, ſub ſua concluſione, ut in Veſperis ordinatum eſt. Poſt orationem Papa dicit, *Requiem æternam &c.* Et cantores: *Requieſcant in pace.* Tum ſedet Pontifex cum mitra, orat deinde in faldiſtorio, & redit ad cameram.

CAPUT XXVII.

Quando Pontifex nollet abſolvere.

Si vero Pontifex abſolutionem, finita Miſſa, facere noluerit, celebrans, dicto *placeat*, accedit ad cornu epiſtolæ Altaris, ubi, depoſita planeta, accipiat pluviale nigrum, & mitram ſimplicem: & ſtans in dicto cornu verſus ad Altare, expectat finem Reſponſorii. Interim Clerici capellæ extendant ante medium Altaris a plano illius per gradus deorſum pannum nigrum ad hoc ordinatum. Cum reſponſorium poſt verſum, *Requiem æternam*, repetitur, Pontifex, miniſtrante Presbytero Cardinali naviculam, ponit incenſum. Duo ex Capellanis celebrantis, ſtantes juxta cornu epiſtolæ Altaris, tenent unus vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, alius thuribulum cum incenſo:

incepto *Kyrieeleiſon,* ſurgit Pontifex ſine mitra, & mitra celebranti deponitur: qui dicto ultimo *Kyrieeleiſon,* ſtans detecto capite in dicto cornu, verſus ad Altare dicit intelligibili voce, *Pater noſter,* quod ſecrete complet; interim accedit ad medium Altaris, & verſus ad dictum pannum, miniſtrante Diacono capellæ, aſperſorio aſpergit tertiò ſuper eundem pannum: tum, miniſtrante eodem, thuribulum eodem modo incenſat. Deinde converſus ad Altare, ex libro ſupra illud poſito dicit verſum, *Et ne nos,* & alios cum oratione: & in fine *Requiem æternam,* ut ſupra dicitur: & dicto per cantores *Requieſcant in pace, Amen,* dicit *Dominus vobiſcum,* ſignat Altare, per ſe ipſum dicens Evangelium ſancti Joannis: redit ad faldiſtorium, ubi deponit ſacras veſtes, more conſueto.

CAPUT XXVIII.

De commemoratione omnium fidelium defunctorum, Papa abſente.

SI vero Pontifex hujus diei officio non interſit, Presbyter Cardinalis celebraturus prævenit ad capellam, oransque ante Altare, ſedet in faldiſtorio, lavat manus, ſurgit, & capit paramenta omnia more conſueto, exceptis ſandaliis, & chirothecis, quibus non utuntur in hac Miſſa: nec dicit Pſalmos, *Quam dilecta, &c.* In credentia non debent eſſe illa duo bocalia magna argentea, quibus Cardinales celebrantes uti conſueverunt: ſed omnia alia conſueta, & præter illa, vas aquæ benedictæ cum aſperſorio, & pannus pro abſolutione. Subdiaconus & Diaconus utuntur tunicella, & dalmatica in Miſſa, celebrans poſt confeſſionem, & Altaris oſculum: non oſculatur librum, nec incenſatur Altare. Dicitur tantum una oratio, videlicet: *Fidelium Deus omnium, &c.* ad quam omnes genu flectunt, exceptis Capellano, aſſiſtente Diacono, & Subdiacono. Dicta epiſtola, Subdiaconus non oſculatur manum celebrantis: ad Evangelium Diaconus non petit benedictionem,

nem, nec oſculatur celebrantis manum, nec portantur luminaria, neque thuribulum: duo tamen ex Capellanis aſſiſtentis Diaconum aſſociant, & Subdiacono librum tenente, hinc inde aſtant. Poſt Evangelium celebrans non oſculatur librum, neque benedicit aquam, pro oblatione in Calice ponendam. Subdiaconus non tenet patenam poſt celebrantem, ſed genuflexus ad cornu epiſtolæ, tempore congruo ad elevationem incenſat Sacramentum: celebrans, miniſtrante Diacono naviculam, imponit incenſum, incenſat oblata, Altare, & incenſatur ipſe ſolus a Diacono, & non alii. Incepto *Sanctus* a cantoribus, omnes genuflectunt, exceptis prædictis; quouſque celebrans dicat: *Per omnia ſecula ſeculorum,* ante *Pax Domini.* Oratio: *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis, &c.* *Pax tecum,* non dicitur, oſculum pacis non datur, ac poſt communionem omnes genuflectunt uſque ad finem orationis, exceptis prædictis. Non datur benedictio, neque indulgentiæ, ſed dicto per Diaconum, *Requieſcant in pace*, celebrans dicit *Placeat*, & cantores incipiunt reſponſorium, *Libera me, Domine:* celebrans retrahit ſe ad cornu epiſtolæ, ubi depoſita planeta, accipit pluviale nigrum & mitram planam: interim extenditur pannus niger ante medium Altaris. Et cum repetitur reſponſorium, *Libera me Domine*, miniſtrante Diacono naviculam, celebrans imponit incenſum. Alia fiunt, prout ſupra, Papa non abſolvente, dictum eſt.

CAPUT XXIX.

De Vigilia, & feſto dedicationis Baſilicæ Salvatoris.

IN Vigilia dedicationis Baſilicæ Salvatoris, ordinariæ ſunt Veſperæ papales, & in die unus ex reverendiſſimis Presbyteris Cardinalibus celebrat in paramentis albis, non fit ſermo: & antiquitus erat potus in aula.

CAPUT

CAPUT XXX.

De Vigilia & feſto dedicationis Baſilicæ principis Apoſtolorum.

IN Vigilia, & feſto dedicationis Baſilicæ principis Apoſtolorum, fit eodem modo, ut in dedicatione Salvatoris. Et ſimiliter erat potus in aula.

CAPUT XXXI.

De anniverſario Pontificis proxime defuncti.

SOlent Summi Pontifices immediatis prædeceſſoribus ſuis, in die annuo obitus anniverſarium peragere in capella majori, in qua Epiſcopus celebrat omnibus Pontificalibus ornamentis nigris paratus. Papa venit paratus in cappa rubra, & mitra ſimplici, ut ſupra in die commemorationis defunctorum dictum eſt: celebrans non utitur ſandaliis, neque chirothecis: & in ornamentis atque in Miſſa omnia obſervantur, etiam quoad genuflexiones, & abſolutionem poſt Miſſam, ut ſupra in die commemorationis omnium fidelium defunctorum eſt ordinatum, exceptis oratione, ſecreta, & poſtcommunione, quæ dicuntur ut infra.

Oratio.

DEus, qui inter ſummos ſacerdotes famulum tuum, N. ineffabili tua diſpoſitione connumerari voluiſti: præſta, quæſumus, ut qui unigeniti filii tui vices in terris gerebat, ſanctorum tuorum Pontificum conſortio perpetuo aggregetur per eundem Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.

Secreta.

SUſcipe quæſumus, Domine, pro anima famuli tui, N. Summi Pontificis, quas offerimus, hoſtias, ut cui in hoc ſeculo Pontificale donaſti meritum, in cœleſti regno ſanctorum tuorum jubeas jungi conſortio. Per Dominum &c.

CAPUT XXXV.

De Miſſa, quæ pro animabus Imperatoris, Cardinalium & Regum noviter defunctorum in capella dici conſuevit.

CONſueverunt Romani Pontifices, quotieſcunque IMPERATOR, aut aliquis CARDINALIUM, vel REX moritur, in Romana curia, vel extra eam, etiam ſi exequiæ publicæ in Eccleſia, in qua ſunt ſepulti, aut alibi ſint habitæ, unam Miſſam publicam in capella palatii celebrare: & illi etiam intereſt Pontifex paratus, ut ſupra in die commemorationis omnium fidelium defunctorum dictum eſt. Celebrat aliquis Epiſcopus in paramentis nigris, ſine ſandaliis, & chirothecis, & miniſtri utuntur dalmatica, & tunicella: ac omnia alia fiunt quoad abſolutionem poſt Miſſam, ut ſupra in dicto die commemorationis animarum ordinatum eſt, exceptis oratione, ſecreta, & poſtcommunione, quæ dicuntur, prout infra ordinatur.

Oratio pro Imperatore defuncto.

ORatio hæc plenius, cum aliis orationibus, continetur in ORDINARIO, *ubi vide, ſi placet.*

Oratio pro Epiſcopo Cardinali defuncto.

DEus, qui inter Apoſtolicos ſacerdotes famulum tuum, N. Epiſcopum Cardinalem, Pontificali feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio.

Secreta.

SUſcipe, Domine, pro anima famuli tui, N. Epiſcopi Cardinalis, quas offerimus, hoſtias, ut cui in hoc ſeculo Pontificale donaſti meritum, in cœleſti regno ſanctorum tuorum jubeas jungi conſortio. Per D. &c.

Poſt-Communio.

PRoſit, quæſumus Domine, animæ famuli tui, N. Epiſcopi Cardinalis, miſericordiæ tuæ implorata clementia, ut ejus, in quo ſperavit & credidit, æternum capiat te miſerante conſortium.

Ad

Ad abſolutionem poſt Miſſam.

ABſolve, quæſumus Domine, animam famuli tui, N. Epiſcopi Cardinalis, ab omni vinculo delictorum; ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos tuos reſuſcitatus reſpiret. Per Chriſtum. &c.

Oratio pro Rege defuncto.

INclina, Domine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, ut animam famuli tui, N. Regis, quem de hoc ſeculo migrare juſſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas, & ſanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem. Per Dominum &c.

Secreta.

ANnue nobis, quæſumus Domine, ut animæ famuli tui, N. Regis, hæc proſit oblatio, quam immolando totius mundi tribuiſti relaxari delicta. Per Dominum &c.

Poſt-Communio.

ABſolve, quæſumus Domine, animam famuli tui, N. Regis, ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos, & electos tuos reſuſcitatus reſpiret. Per Dominum &c.

Ad abſolutionem poſt Miſſam.

ABſolve, quæſumus Domine, animam famuli tui, N. Regis, ut defunctus ſeculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humana converſatione commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Oratio pro Presbytero Cardinale defuncto.

DEus, qui inter Apoſtolicos ſacerdotes famulum tuum, N. Presbyterum Cardinalem ſacerdotali feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio. Per Dominum. &c.

Secreta.

SUſcipe, Domine quæſumus, pro anima famuli tui, N. Presbyteri Cardinalis, quas offerimus hoſtias, ut cui in hoc ſeculo ſacerdotale dediſti meritum, in cœleſti regno ſanctorum tuorum jubeas jungi conſortio. Per Dominum &c.

Poſt-

Poſt-Communio.

PRoſit, quæſumus Domine, animæ famuli tui, N. Presbyteri Cardinalis, miſericordiæ tuæ implorata clementia, ut ejus, in quo ſperavit & credidit, te miſerante æternum capiat conſortium; per Dominum &c.

Ad abſolutionem poſt Miſſam.

ABſolve, quæſumus Domine, animam famuli tui, N. Presbyteri Cardinalis, ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos & electos tuos reſuſcitatus reſpiret.

Pro Diacono Cardinali defuncto.

INclina, Domine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, ut animam famuli tui, N. Diaconi Cardinalis, quam de hoc ſeculo migrare juſſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas, & ſanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem. Per Dominum &c.

Secreta.

ANnue nobis, Domine, ut animæ famuli tui, N. Diaconi Cardinalis, hæc proſit oblatio, quam immolando totius mundi tribuiſti relaxare delicta. Per Dominum &c.

Poſt-Communio.

ABſolve, quæſumus Domine, animam famuli tui, N. Diaconi Cardinalis, ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter ſanctos & electos tuos reſuſcitatus reſpiret. Per Chriſtum.

Ad abſolutionem poſt Miſſam.

ABſolve, quæſumus Domine, animam famuli tui, N. Diaconi Cardinalis, ut defunctus ſeculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem carnis humana converſatione commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum, Dominum noſtrum. Amen.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER III.

PRÆFATIO
IN TERTIUM CERIMONIARUM ROMANÆ ECCLESIÆ LIBRUM.

TErtius hic mihi ac ultimus liber abſolvitur, ut nihil etiam curioſo deſit. Perſecuti autem ſumus, cum alia, tum vero & minima quæque, quæ neglecta, aut imperitiæ, aut negligentiæ notam inurant. Tametſi in his, quæ ad pietatem ſpectant, quidnam ſit minimum, quod omitti jure poſſit, non video, gravius certo offendunt ea neglecta, quæ majora ſunt, quæque ſummam ipſam pietatem attingant: & hæc ubi conniveas, non parvum etiam momentum ad caſum lapſumque faciunt, utinam hæc ætas tam conſtanter illa retineret, quam diligenter a majoribus noſtris & obſervata ſunt, & nobis etiam veluti per manus tradita. Illud certe hac in parte diſſimulare non poſſum, quod, quanto minore ambitione veteres Deum Optimum Maximum coluere: tanto fortaſſe Deo gratiores, acceptioresque fuerunt

eorum preces: nec enim ſuperi aliud a nobis exigunt, quam mentem, animamque puram: quam quandocunque offeras, illi vero veniam facillime tribuant. Nec tamen cultus hic noſter, quod ad nos attinet, aſpernandus ſit, qui nihil tale tantumque præſtare Deo poſſumus, quod parem illi meritorum in nos gratiam referat. Quare, meo judicio, qui & impenſiorem ornatum, & magnificentiorem apparatum impolluta animi pietate, ac Chriſtiana ſimplicitate Deo exhibet, illi plane nihil deeſſe poteſt, quod ad abſolutam, perfectamque religionem attineat. Quod, ut plane præſtet, hi etiam libri inprimis faciunt. Quos eo libentius edendos, publicandosque curavi, quod exiſtimarem ſummum illud religionis, ac pietatis noſtræ faſtigium, quod Romæ tantum obſervari ſoleat, hactenusque uni aut alteri cognitum erat, intellectum nunc demum ab omnibus, admirationem primum, tum vero etiam ingentem voluptatem legentibus allaturum.

SACRA-

SACRARUM CERIMONIARUM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ LIBER TERTIUS.

SECTIO I.

CAPUT I.

De reverentiis, & primo de reverentia Altaris.

ACCEDENS primum ad Eccleſiam, ſive capellam, Pontifex genuflectit ante Altare ſuper faldiſtorium, & capite detecto orat. Cardinales, Prælati, & alii omnes, tam Clerici, quam laici, ſimiliter primum intrantes, genuflectunt in terram, orantque: Pontifex ſurgens ab oratione cum mitra, veneratur Altare caput inclinando, antequam inde diſcedat. Cardinales, quotiens vadunt verſus Altare, vel ante illud tranſeunt, profunde caput inclinant Altari: alii omnes, tam Epiſcopi, quam Clerici, ſive laici tranſeuntes, ante Altare genuflectunt.

CAPUT II.

Quod Romanus Pontifex nemini reverentiam facit.

ROmanus Pontifex nemini omnino mortalium reverentiam facit aſſurgendo manifeſte, aut caput inclinando,

 ſeu

ſeu detegendo. ROMANORUM vero IMPERATORI, poſtquam illum ſedens ad oſculum pedis & manus ſuſcepit, aliquantulum aſſurgit, ad oris oſculum mutuo charitatis amplexu illum benigne recipiens: idem aliquando facit & MAGNIS REGIBUS. Cæteros omnes, tam Principes quam Prælatos, cujuscunque dignitatis ſint, cum ad oris oſculum eos recipit, non aſſurgit, ſed ſedens recipit. Conſueverunt tamen Pontifices Cardinalibus, & maximis Principibus privatim adventantibus, & reverentiam facientibus, *cum non ſint in Pontificalibus*, aliquantulum caput inclinare, tanquam reverentiam reddentes. Et hoc non ex officio, ſed ex laudabili humanitate.

CAPUT III.

De reverentiis, quæ Romano Pontifici exhibentur.

OMnes mortales, & præſertim Chriſti fideles, cujuscunque ſint dignitatis & præeminentiæ, cum primum in conſpectum Pontificis adveniunt, diſtantibus ſpaciis ter debent ante illum genuflectere, & in honorem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cujus vices in terris gerit, ejus Pedes oſculari. IMPERATOR, REGES, MAXIMI PRINCIPES, PRINCIPUM, ſeu POTENTATUUM ORATORES, prima vice, & ad oſculum manus & oris recipiuntur, alii ad pedes tantum. Cardinales vero profunde ſe inclinant bis, & tertio flectunt genu noviter venientes, & oſculantur pedem Pontifici, ſacra tractanti. Cardinales dextram manum ſub auriphrygio pluvialis oſculantur, Epiſcopi parati genu tantum: IMPERATORES, REGES, & MAXIMI PRINCIPES manum & pedem.

CAPUT IV.

De ſolenni reverentia Cardinalium, quomodo & quando fiat.

QUotienscunque Pontifex paratus, & mitratus in publicum exit, ſive ad divinum officium, ſive ad Conſiſtorium, exhibetur ei ſolennis reverentia a Cardinalibus in hunc modum: Poſtquam Pontifex in ſede ſua aliquantulum quieverit, ſive in publico Conſiſtorio, aſſiſtentibus ſibi duobus Diaconibus hinc inde, Prior Epiſcoporum Cardinalium incipiens, anteriorem cappæ ſuæ partem manibus elevans, & caudam illius per terram trahens, verſus Pontificem proficiſcitur. Cum ante illius faciem ex oppoſito venit, firmans ſe, & manibus extenſis ab anteriori parte cappam capiens, manus ſic cappa involutas elevans ſimul jungit ante pectus, & profunde ante Pontificem caput & humeros inclinat. Idem prius facit ante Altare, ſi eſt in capella: tum recte procedens ad Pontificem, manus ad pectus cum cappa tenens, ne illa greſſum impediat, gradus ſolii Pontificalis aſcendit, & Pontificis manum dextram ſub auriphrygio pluvialis protenſam oſculatur: deinde aliquantulum retrograde a ſede diſcedens, profunde iterum Pontifici ſe inclinat, & ad ſiniſtram ſuam ſe vertens, ad locum ſuum revertitur. Idem omnes faciunt ſuo ordine. Prior Presbyterorum Cardinalium, ſi Miſſa tunc eſt celebranda, cum fecit reverentiam, firmat ſe ad dextram Pontificis, & miniſtrat incenſum, ut inferius dicemus, cum de incenſatione tractabimus: inde ad locum ſuum revertitur. Duo Diaconi aſſiſtentes, ſi non fecerunt reverentiam in camera Pontificis, cum illum ſacris induerunt, quod facere plerumque ſolent, faciunt nunc in loco ſuo poſt Presbyteros Cardinales. Hujusmodi reverentia a Cardinalibus non fit, niſi ſemel in die, quocunque tempore: neque unquam eodem die reiteratur, etiamſi bis eodem die convenirent, videlicet ad Miſ-

ſam, & ad veſperas: & nunquam fit, niſi Pontifex ſit cum pluviali & mitra: neque unquam fit in officio defunctorum, aut in die veneris Sancti, etiam ſi Papa haberet pluviale & mitram.

CAPUT V.

De reverentia Cardinalium ordinaria erga Pontificem.

ITem Cardinales, quotienscunque Papa ſurgit in capella, & ipſi ſurgunt, tranſeunte ante eos Pontifice, diſcooperiunt caput, & ſe inclinant: cum loquuntur cum Pontifice in circulis, aut in publico, detecto capite inclinati loquuntur: clam vero, & in Conſiſtorio ſecreto, juſſi ſedent, & cooperiunt. Similiter cum Papa vertit ad quemlibet eorum ſermonem, ille talis ſurgit, & caput detegit, & ſic permanet, niſi jubeatur a Papa ſedere: ſimiliter cum reſpondet. Item, cum Papa nominat venerabiles fratres noſtros ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, omnes aſſurgunt aliquantulum, & caput detegunt. Cardinales diſcedentes de curia, vel de novo redeuntes, *ſive* publice, ſive privatim recedant, vel recipiantur a Pontifice, oſculantur pedem ejus, & elevati manum, & os, ſi invitentur: maxime cum revertuntur.

CAPUT VI.

De reverentia Cardinalium inter ſe.

CArdinales inter ſeſe & geſtis, & verbis, & nutu ſummam exhibent reverentiam, ſtando, ſedendo, eundo, equitando, & in rebus omnibus alter alteri deferendo. Quando aliquis Cardinalium in præſentia Pontificis publice celebravit, ſi Papa diſcedat e capella, antequam Cardinalis deponit ſacras veſtes, tunc duo ſui ordinis Cardinales remanent in ſcamno ſuo illum expectantes: & cum ille, reaſſumpta cappa ſua, a faldiſtorio diſceſſerit, vadunt illi obviam, congratulantur de cele-

celebratione devote peracta, & deducunt illum, ubi ſunt alii Cardinales. Si autem Papa eſt adhuc in capella, ille, reaſſumpta cappa, vadit ad locum ſuum, & nullus Cardinalis illum expectat, aut obviam vadit: neque per illos fit ei aſſiſtentia præſente Pontifice. Fit autem ex eis aſſiſtentia, abſente Pontifice, in principio, & in fine, ab aliis Prælatis domeſticis ſuis, aut particularibus amicis ſuis: & cum Cardinalis, abſente Pontifice, eſt facturus officium, ſemper, antequam incipiat, petit licentiam per cerimoniarium ab aliis Cardinalibus: & quoties ex faldiſtorio vadit ad Altare, facit eis reverentiam, & illi aliquantulum etiam tunc aſſurgere debent.

CAPUT VII.

Quando aſſurgunt Cardinales & Prælati in capella.

INter ſacra, ſi Epiſcopus, aut Presbyter Cardinalis aſſiſtens, aſſurgit aliquid acturus aut dicturus, duo Diaconi aſſiſtentes, & ſimiliter Epiſcopi aſſiſtentes aſſurgunt: alii autem Cardinales & Prælati non ſurgunt. Si vero aliquis ex aliis Cardinalibus ſurgit, omnes alii Cardinales & Prælati, qui ſunt in capella, ſurgunt, præter aſſiſtentes.

CAPUT VIII.

De reverentia Cardinalis, quando venit officio jam inchoato.

SI quis Cardinalium, incepto jam officio, Pontifice in ſolio ſuo reſidente, ad capellam venerit, primum, ut cancellos ingreſſus eſt, paululum progreſſus genuflectit verſus Altare, & orat: tum ſurgens procedit, & facta, ut alii, reverentia, caput inclinando Altari & Papæ, aſcendit ad ſedem, & oſculatur manum Pontificis ſub auriphrygio, & cum inde diſcedit iturus ad locum ſuum, aſſurgent omnes Cardinales, & omnes Prælati,

Prælati, & antequam ipſe a Pontifice, facta reverentia, diſcedat, nemo illi, neque Prælatus, neque Cardinalis aſſurgit. Quod ſi forte, dum ille venit, Papa ſtaret, orationes, Evangelium, ſive tale quippiam audiens, tunc Cardinalis, cum ſurgit ab oratione, ſtet, & expectet, quoad Papa ſedeat, & tunc vadit ad reverentiam exhibendam. Quod ſi venerit, dum fit per alios reverentia, vadat in locum ſuum procedens, ſedeat ſecundum ſuum ordinem. Quando autem in abſentia Papæ fit officium, & aliquis Cardinalium ad capellam venerit, incepto jam officio, primo genuflexus orat verſus ad Altare, ut ſupra: tum ſurgens capite detecto vertit faciem ad ſedes Prælatorum, caput inclinando, quaſi eos ſalutans: qui omnes, ut primum ille ſurrexit ab oratione, ei aſſurgunt, & detecto capite, & ſalutatis Prælatis, ille pergit verſus Cardinales ſui ordinis: & non vadit ad locum ſuum directe, niſi eſſet ultimus, ſed ab ultimo incipiens, quaſi ibi remanere velit, invitatur a ſingulis, ut aſcendat, quouſque veniat ad locum ſuum directe, niſi eſſet ultimus, & ipſe modeſte ſemel atque iterum invitat ſubſequentem, ut præcedere velit: & tandem in locum ſuum reſidet. Hoc idem facit, quotieſcunque aliquis venit poſt alios, præſente vel abſente Pontifice, ſemper incipit ab ultimo loco Presbyterorum, ſi eſt Epiſcopus, ſive Presbyter: Diaconorum, ſi eſt Diaconus. Et *nota*, quod, quamdiu unus ex Cardinalibus ſtat, omnes Cardinales & omnes Prælati ſtare debent, præterquam in præſentia Papæ aſſiſtentes, ut ſupra diximus.

CAPUT IX.

De reverentia erga Cardinales.

Reverendiſſimi Domini Cardinales, qui baſes & columnæ ſunt Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & membra nobiliſſima myſtici corporis, merito ab omnibus, & ubique venerandi ſunt, & maxime honorandi: ita tamen, quod ſit differentia inter ipſorum & Summi Pontificis reverentiam.

CAPUT

CAPUT X.

De reverentiis, quæ fiunt Cardinali, divina celebranti.

CArdinali igitur, celebranti in præſentia Papæ, neque fiunt genuflexiones ab aliquo, neque fit ei prægustatio, ſive credentia. Et ſimiliter in omnibus aliis actibus, publice aut privatim, coram Pontifice nemini iſti duo actus reverentiales exhibentur, niſi tantum Romanorum IMPERATORI, ſi adeſſet in convivio cum Papa: non REGI, non CARDINALI, non PRINCIPI, quantumcunque maximo. In abſentia vero Pontificis, Cardinali celebranti fiunt genuflexiones a ſcutiferis, cum lavat manus, & Capellanis, dum accipit, & dum dimittit ſandalia, dum fimbrias tenet: & fit prægustatio. Et quoniam Cardinalis celebrans, abſente Pontifice, cum e faldiſtorio vadit ad Altare cum mitra, facit reverentiam Cardinalibus, caput illis inclinando: videtur valde conſentaneum, ut tunc Cardinales alii ei aſſurgant, & in reverentia correſpondeant.

CAPUT XI.

De Bulla pro celebrando ſuper Altare Sancti Petri.

ADvertendum tamen, quod nemini, neque Cardinali, liceat celebrare ſupra Altare Sancti Petri, aut aliarum Eccleſiarum patriarchalium urbis, niſi diſpenſatione Papæ; de qua debet conſtare per literas Apoſtolicas bullatas, affigendas prope Altare. Curet igitur Cardinalis, qui eſt celebraturus, ut in tempore expediatur Bulla.

CAPUT XII.

De reverentiis, quæ privatim fiunt Cardinalibus.

IN aliis autem actibus, tam domi, quam alibi, & ſi nonnulli dicant, in curia Romana genuflexiones Pontifici tantummodo deberi, ego tamen arbitror, non eſſe abſurdum, ſed ſatis honeſtum, ſimplices laicos, & Clericos non Prælatos, in primo congreſſu ante Cardinales genuflectere: non tamen in palatio Apoſtolico, & minus præſente Pontifice. Sed ad modeſtiam & benignitatem Cardinalis pertinet: & cenſeo, quod non dimittant illos diutius permanere genuflexos, & clericos, præſertim in ſacerdotio, aut aliqua dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos: ſed ut primum ante ſe genua flexerint, ſtare jubeant, neque aliter eos audiant: quod a pluribus Reverendiſſimis patribus ſervari vidi. Cum Cardinales lavantur ante comeſtionem, vel poſt, conſueverunt omnes laici domeſtici genuflectere, alii caput detegere.

CAPUT XIII.

De reverentia Epiſcoporum erga Cardinales.

QUod autem aliqui ex Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus permitttant, ut audivi, Epiſcopos ante ſe loqui genuflexos, & in menſa, dum manus lavant, ſimiliter mantile miniſtrare, valde abſurdum videtur. Et quamvis ſæpe apud pleroſque Reverendiſſimos Dominos in conviviis fuerim, & ante & poſtquam inter Epiſcopos indignus adſcriptus ſum, nunquam tamen id ſervari vidi; adſcribendum eſt hoc (pace illorum dixerim) ignaviæ ac vecordiæ Prælatorum, qui talia faciunt, qui ſupremam in Eccleſia Epiſcopalem dignitatem non cognoſcunt, ſive eorundem ambitioni atque adulationi, qui, ut gratiam Cardinalis aucupentur, dignitatis ſuæ ratio-

nem non habentes, quam ſerviliter deturbant: Cardinales autem, qui talia, ſive ex inadvertentia, ſive alia cauſa patiuntur, in charitate Dei obſecro, ut importunas hujusmodi adulationes rejiciant, & cogitent, Summum Pontificem non alio titulo, quam Epiſcopali, decorari: & cum is publice & in re divina lavat manus, non Epiſcopus aliquis, ſed Capellanus ſuus, auditor Rotæ, mantile ſubminiſtrat. Quod ſi forte aliquos mei ſimiles tanto faſtigio viderint, non perſonam, ſed ſacroſanctam dignitatem in eis venerentur, & opera illorum utantur in his rebus, quæ dignitati utriusque congruunt. Decet tamen Epiſcopos in omnibus publice, & privatim, quantum per dignitatem licet, Reverendiſſimos Dominos Cardinales honorare, ac venerari, & eis pro viribus aſſiſtere, obſequi, & inſervire. Nec minus convenit, Cardinales ipſos benigne ſuſcipere Epiſcopos: & quos Summus Pontifex fratres appellat, non ut ſervos, ſed ut confratres honorare. In capella præſente Pontifice nulla Cardinalibus per tranſeuntes ante illos fit reverentia, niſi per illos, qui dant incenſum, ſive pacem, ut ſuo loco dicemus. Abſente vero Pontifice, fit reverentia per tranſeuntes ante eos caput inclinando, tam per celebrantem, quam per alios miniſtros.

CAPUT XIV.

De reverentia, quæ ſit Epiſcopo celebranti.

EPiſcopo, in Romana curia celebranti, coram Papa, vel coram aliquibus Cardinalibus, nullæ fiunt genuflexiones, & non fit prægustatio. Si vero neque Papa, neque aliquis Cardinalium adſit, fiunt genuflexiones & prægustatio, ut in ſua Eccleſia, ſi voluerit. Epiſcopus cum Papa loquens, genuflexus ſemper permanet, dum loquitur, & dum ei per Papam reſpondetur.

SECTIO II.

CAPUT I.

De ordine ſedendi in capella Papæ.

SUmmus Pontifex in ſolio ſuo Pontificali ſedet, quod ornatum eſſe debet cum ſuo pulvino, aureo panno, cum poſtergali ex colore tempori congruente in capella: in Conſiſtorio autem publico etiam cum panno aureo, pendente ſuper caput, ſcabellum majus, ſimul cum plano ſolii, panno rubro cooperitur, & apud magnum ſcabellum apponitur parvum detectum, quo pro gradu utitur. Hinc inde a dextris & a ſiniſtris ſedent ſuper ſcabella nuda, rubro colore depicta, DIACONI DUO CARDINALES ASSISTENTES, qui Pontifici ſerviunt, & illum ſemper deducunt: Et debent eſſe antiquiores Diaconi, id eſt, primo aſſumpti. A dextris Papæ infra gradus ſolii EPISCOPI & PRESBYTERI CARDINALES ſedent cum ſcamnis longis, cum gradu, & poſtergali, pannis, *quos* vocant Attrebatenſes, ornatæ. Ea ſcamna duas fere partes quadraturæ Conſiſtorii occupant. In alio ſcamno, ſito contra primum ſcamnum Epiſcoporum Cardinalium, pariformiter ornato, ſedent Diaconi Cardinales, & antiquiores in capite. Quod ſi Presbyteri Cardinales in ſuis ſcamnis ob multitudinem ſedere non poſſunt: ſedent in ſede Diaconorum, ordine tamen retrogrado, ut antiquiores ſint in fine ſcamni, & illorum junior ſit poſt juniorem Diaconum. Et hoc modo antiquior Presbyter, qui ultimo ſedet in iſta ſede, videtur continuare poſt ultimo ſedentem in ordine Epiſcoporum & Presbyterorum. Hoc ſæpe accidit in baſilica Sancti Petri, dum in abſide ſive tribuna Eccleſiæ, apud Altare majus, divina celebrantur. Quod ſi forte adeſt aliquis Princeps, qui ſedere ſolet poſt Diaconos Cardinales in eorum ordine, ut hoc

tempore

tempore DESPOTUS PELOPONENSIS, hic ſedebit medius inter ultimum Diaconum, & ultimum Presbyterum: ſi autem ultra duos aſſiſtentes non ſuperſit niſi unus Diaconus, ille ſederet poſt ultimum Presbyterum Cardinalem, in quocunque ſedili Presbyter ille ſedet; quod ſi nullus ſupereſſet Diaconus, & Presbyteri in ſuis ſcamnis ſedere non poſſent, ſederent ordine ſupra dicto. Si IMPERATOR ROMANORUM *adeſſet, ſedet in ſede cum poſtergali, & parvo ſcabello viridi, ornata cum ſuo pulvino & panno aureo viridi, ſita inter ſedem Pontificis & ſcamnum Epiſcoporum Cardinalium.* Et tunc Diaconi aſſiſtentes non ſedent in loco conſueto apud ſedem, ſed apud faciem Pontificis in parvis ſcabellis, poſitis ſupra ſupremum gradum ſolii Pontificalis in cornibus. REGES etiam, inter quos computabatur IMPERATOR GRÆCORUM, ſedent: Primus, ſi plures adſunt, poſt primum Epiſcopum Cardinalem, & alius poſt ſecundum, & ita deinceps: ſic, quod ſemper aliquis Cardinalis, ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, ſit medius inter Principem & Principem. PRIMOGENITUS REGIS ſedet poſt primum Presbyterum Cardinalem, ſi Papa celebrat, & ſi REX adſit, ſedebit ſolus in cathedra nuda inter Cardinalem aſſiſtentem Papæ, & Epiſcoporum Cardinalium ſedem: FRATRES autem, aut alii FILII REGUM, & reliqui MAXIMI PRINCIPES ſedent, vel inter Diaconos mixtim cum eis, ita tamen, ut unus Diaconus primo ſedeat, & poſtea unus Princeps, & ſic deinceps; vel ſedent poſt eos Diaconos in eodem ordine ſecundum qualitatem ipſorum. Si nullus adeſſet Diaconus Cardinalis, ſedent eodem ordine inter & poſt juniores Presbyteros Cardinales. QUATUOR vero PATRIARCHÆ PRINCIPALES, videlicet, CONSTANTINOPOLITANUS, ALEXANDRINUS, ANTIOCHENUS, & HIEROSOLYMITANUS, ſedere conſueverunt inter Epiſcopos Cardinales, ut ſupra diximus de Regibus: & in curia Romana ferebant continuo cappam,

pam, & faciebant ſibi deferre caudas, ut Cardinales. Noſtris autem diebus, & tempore EUGENII IV. neque ſedent inter Cardinales, neque portatur eis cauda. Sedent autem ante aſſiſtentes Papæ Epiſcopos, non Cardinales, & ut aſſiſtentes ſerviunt Papæ de libro & lumine. Alii PRINCIPES NON ITA CLARI, ſedent in ſupremo gradu ſolii Pontificalis. Ad ſiniſtram vero Pontificis in ſedibus humilioribus ſedent Epiſcopi non Cardinales aſſiſtentes Papæ, & inter eos Sacriſta palatii Apoſtolici, in loco ſtatui ſuo condecenti: Et hoc dico, ſi eſt Prælatus, ut ſemper conſuevit eſſe. Reliqui PRÆLATI ſedent in ſedibus pro eis ordinatis, retro ſcamna Diaconorum Cardinalium, ſine gradibus, aut poſtergali. In capella autem Sancti Petri, infra ſedilia ipſorum Diaconorum, primum locum inter Prælatos obtinent Vice-Camerarius, deinde Oratores Regum, ac Principum Prælati, tum Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, Generales ordinum & Pœnitentiarii, ſed Protonotarii & Abbates ſolent habere proprium locum ultimum in ordine: alii ſupradicti ſedent poſt Epiſcopos in fine ſcamnorum. Legi *tamen*, quod PROCURATOR ORDINIS HIEROSOLYMITANORUM, & PROCURATOR ORDINIS THEUTONICORUM, conſueverunt ſedere poſt Abbates. Meo tempore non vidi eos ſedentes ibi, neque alibi, ut Procuratores, ſed aliquando gerentes ſe pro oratoribus, ſederunt cum aliis oratoribus. Si autem Vice-Camerarius eſt Protonotarius, cum Prælati habent ſacra paramenta, debet tenere primum locum in ſedili Protonotariorum, & poſt eum alii oratores Principum, ſi ſint ejusdem ordinis. Senator, conſervatores, & Barones urbis, atque alii Proceres, ſupradictis primis inferiores, ſedebunt in ſecundo & tertio gradu ſolii Pontificalis pro eorum qualitate: primum inter iſtos Senator locum obtinebit. ORATORES CÆSARIS, REGUM, PRINCIPUM & POTENTATUUM,

qui

qui ſunt Prælati, ſedent ordinate poſt ſcamna Epiſcoporum, ſive Presbyterorum Cardinalium, ante faciem Pontificis ſedentis, niſi ibi ſit Altare, ut in Sancto Petro, & ſimilibus locis, fiunt quaſi duæ aulæ officialium, incipientes infra gradus ſolii hinc inde, & ſimul conjunguntur ante faciem Papæ, in capite ſcamni Diaconorum Cardinalium: & hi omnes officiales ſedere debent in terra ſuper pannos virides, qui cooperiunt ſolium capellæ: & ſi noſtro tempore, qui a ſiniſtris ſunt, uſurpaverunt ſibi ſedes ſuper gradus ipſius capellæ in palatio Apoſtolico. Qui vero ſunt a dextris, ſedent in terra ſine aliquo ſedili, ſecundum antiquas, & debitas cerimonias, quamvis ſint digniores: quod profecto rationi non quadrat. Hic ordo ſedendi ſuper terram, confunditur etiam in capella ſancti Petri, poſt tempora PAULI II. Nam tunc nemo ipſorum audebat ſedere, aut in gradibus capellæ palatii, aut in gradibus ſolii Pontificalis in capella Sancti Petri, niſi in ultimo tantum gradu. Ordo autem ſedendi in ipſis, talis eſt: Subdiaconi primum, deinde Auditores rotæ, Clerici cameræ, Acoluthi, cubicularii, Secretarii, & Advocati ſimul, qui alas conjungunt ante faciem Pontificis. Subdiaconorum antiquior primum locum obtinet a dextris, ſecundus primum locum a ſiniſtris, tertius ſecundum locum a dextris, & quartus ſecundum locum a ſiniſtris, & ſic deinceps. Ex Auditoribus Decanus rotæ ſervit de mitra, & ſedet inter cubicularios ſecretos in capella palatii, & locis ſimplicibus. In Eccleſia autem Sancti Petri ſedet ſuper gradum ſecundum, aut tertium, non longe a pedibus Diaconi Cardinalis a dextris, ut commodius miniſtrare poſſit mitram; antiquior ex aliis primum locum tenet a dextris poſt Subdiaconos, tertius primum locum a ſiniſtris poſt eoſdem. A dextris poſt primum auditorem, locum tenet magiſter ſacri palatii: qui, ubicunque ordines curiæ conveniunt, ſi adeſt, ſedet, vel ſtat poſt unum ex auditoribus, etiam ſi unus tantum adeſſet, vel ſi

omnes

omnes adeſſent, unus tantum ex eis præcedit magiſtrum ſacri palatii; & ita vidimus ſemper ſervari. Sequuntur deinde hinc inde alii Auditores, Clerici cameræ & cubicularii in conjunctione alarum, Secretarii & Advocati ſedent. Quod ſi numerus cubiculariorum & aliorum inferiorum eſſet amplior, conduplicantur poſt primos alii: ita tamen, ut in primo circulo ſint ex omni ordine aliqui poſt ipſos. E regione Papæ ſedent Procuratores quatuor ordinum mendicantium, & poſt eos Procuratores aliarum religionum: duo cubicularii ſecreti ſedent in terra ad partem ſiniſtram, haud longe a ſede Papæ ad pedes Epiſcoporum aſſiſtentium, & inter eos medius Decanus Rotæ, ſerviens de mitra, & Secretarius Papæ, ſi non eſt Prælatus. Medicus Papæ ſedet in capite gradus ſcamni Diaconorum Cardinalium ante Pontificis faciem: Caudatarii Reverendiſſimorum Cardinalium ſedent ſuper gradus ſcamnorum ad pedes Dominorum ſuorum, Prælatus celebrans ſedet in ſuo faldiſtorio prope cornu Epiſtolæ: aſſiſtens Capellanus ejus, in gradu Altaris penes Prælatum, & ante eum Diaconus & Subdiaconus miniſtrantes: ſerviens de mitra poſt renes Capellani aſſiſtentis. Reliqui miniſtri celebrantis cum ſuperpelliciis ſedent ſuper terram, facientes alam a ſiniſtra: Prælati & omnes prædicti vertunt faciem ſuam ſedentes, ut vertit celebrans. Cathedra, ſive faldiſtorium celebrantis, ſi locus patitur, ſemper debet eſſe apud ſiniſtrum cornu Altaris, hoc eſt, a latere epiſtolæ. Hoc enim cornu ſiniſtrum voco reſpectu ipſius Altaris, ſicut eſt: dextrum vero, ubi legitur Evangelium. Qui aliter appellant, reſpectum habent ad celebrantem, non ad Altare. Nam unumquodque corpus dextrum latus habet & ſiniſtrum. Sed celebrans, dum cantat, vel legit officium Miſſæ, vertit faciem ad Altare ubicunque. Dum autem ſedet, ſi Altare eſt apud parietem, & tam chorus quam populus ſunt inferius, ut in capella palatii, & commu-

communiter in plerisque Eccleſiis, tunc Prælatus ſedens vertat faciem ad populum; & ſolium Papæ tunc locari ſolet a parte Evangelii, id eſt, dextra: ſi vero Altare ſit in medio, a ſede, id eſt, tribunæ. Papa ſedet in medio contra Altare, & celebrans in cornu Epiſtolæ prædictæ, & vertit faciem ad ſedem Papæ, ut in Sancto Petro & multis Eccleſiis urbis. Alii autem, præter ſupra nominatos, quantumcunque nobiles, aut graduati ſint, non ſedent in capella Apoſtolica: laici ſtant, Clerici togati ſedent in terra ſuper pannos virides: ſed in capella Sancti Petri, & locis ſimilibus, quia extremitates alarum conjungi non poſſunt propter Altare. Cubicularii, & alii inferiores, ſedent ad partem poſt primos in terra, vel inter ſedes Prælatorum ad ſiniſtram, & gradus ſolii Pontificalis. Et *nota*, quod nullus omnino, cujuscunque ordinis ſit, debet ſedere ſolus. Si unus ſupereſſet Diaconus, ſederet cum Presbyteris Cardinalibus. Si unus tantum adeſſet Protonotarius aut Abbas, ſedebit poſt Epiſcopos, & ſic de ſingulis. Capellani curiales, qui aderunt, ſedent in terra inter ſcamnum Cardinalium. Et hic eſt ordo ſedendi in capella Apoſtolica. Alii autem officiales, qui non ſedent, hoc ordine ſtant.

CAPUT II.

De illis, qui ſtant.

MAgiſter ſacri hoſpitii, quæ dignitas, ut alias diximus, eſt in nobili domo Comitum, ſtat ante introitum ſcamnorum Cardinalium, id eſt, apud finem ſcamni Presbyterorum Cardinalium: & poſt eum ſtant magiſtri hoſtiarii cum ſuis virgis, purpura tectis. Scutiferi Papæ & minores nobiles ſtant in ipſo introitu ſcamnorum, & poſt ſcamnum Presbyterorum Cardinalium.

CAPUT III.

De ſervientibus armorum.

SErvientes armorum ſtant circa oſtium cancelli capellæ, intus & extra ſervantes oſtium cancelli. Quamvis antiquis temporibus nullo pacto intrabant capellam, ſed extra cancellum ſtabant omnes. Sed non eſt multum inconveniens, quod duo ex eis ſint intus, dummodo contineant ſe apud oſtium, & non diſcurrant per capellam. Quod ſi aliqua mandata habeant ad extra ad Dominos Cardinales, aut alios, nutu vocent aliquem ex Clericis cerimoniarum, & per illum mandata transmittant. Intra cancellos Papæ non permittant intrare niſi illos, qui debent intrare: multitudinem ſtantium intra cancellos & ſcamna Cardinalium expellant, ita quod non occupent Prælatos, neque conculcent oratores. Dimittantur ibi tantum nobiles ſcutiferi Papæ, & unus vel duo pro quolibet Cardinali: Clerici togati in terra ſedeant, aut extra mittantur. In capella non permittant ſedere ſuper ſcamna, niſi oratores & Prælatos conſuetos: procurent, ut teneatur ſilentium, dum ſacra fiunt, & maxime, dum fit ſermo, & dum cantores ſilent. Quomodo autem ſedere debeant, in ſuis locis poſuimus.

CAPUT IV.

De Clericis cerimoniarum.

RUrſus circa Altare Clerici cerimoniarum circumſtant, & apud credentiam intenti, & ſolliciti ad omnes actus, qui in capella fiunt. Hi præcogitare ſemper & meditari debent, quæ ſunt agenda, & quæ inſtant, ſtrenue, diligenter & memoriter exequi, tractareque omnia ſumma dexteritate & modeſtia. Non eſt mediocre onus Clericorum cerimoniarum, qui pro omnibus vigilant in capella, & quibus omnium defectus adſcribuntur. Hi duo tantum ordinarii eſſe con-

ſueve-

ſueverunt: alter in divinis curam præcipuam gerat circa perſonam Pontificis, ad quam ſemper reſpiciat, ſi quid imperet, & ad omnes, qui ſunt in capella, ut Prælati, ut oratores, ut nobiles, ut alii omnes ſtent ſuo quisque loco: non tamen diſcurrat ſurſum, & deorſum ſine cauſa, ut videatur multa agere, ut quidam faciebat. Ad Summum Pontificem non accedit ſine urgenti cauſa, vel niſi vocatus: & tunc cum ſolitis & debitis reverentiis, ad reverendiſſimos Dominos Cardinales accedat, cum opus eſt, cum gravitate & reverentia. Alter vero Clericus cerimoniarum vacet Altari, & circa perſonam celebrantis, ac aliorum miniſtrorum: uterque tamen omnia proſpiciat, & pariter curet ſuppleatque defectus collegæ, cum illos prævidet. Antequam vadant ad capellam, maxime in ſolennitatibus & actibus non frequentatis, conveniant ſimul, prævideant quæ ſunt agenda, dividant inter ſe onera, & concordent de occurrentibus, ne poſtea in capella oporteat contendere. Junior defert antiquiori, id eſt, in officio priori, & primas partes illi permittat. Prior tractet juniorem & novitium ut fratrem, & bonum collegam; ſi habent tertium, eo utantur ut decet. Quanto plures erunt, ſi erunt concordes, & ordinem inter ſe ſervabunt, facilius & melius ſatisfacient. Si erunt inter ſe contrarii, melius eſſet unus tantum. Cum ducunt aut reducunt Prælatos aut nobiles ad data ſibi loca, vel ad aliquos actus, modeſte, & reverenter incedant, & genuflexiones atque inclinationes doceant; ſimiliter miniſtros Altaris, & quando aliquem actum facere debent, (*nam omnes magni & parvi a Cerimoniario deducuntur*) quiete & modeſte ducant, miniſtrent, & aptent: ac non urgeant, non impellant, non vehant, ſicut aliquando fieri vidi. Cerimonias omnes, & maxime in Miſſa Papali, & quæ ad perſonam Papæ pertinent, graviter, modeſte, & cum congruenti mora peragant, ut reverentiam & devotionem aſpicientibus majorem inducant.

CAPUT V.

De Cardinali aſſiſtente Pontifici in divinis.

SUmmo Pontifici celebranti, ſive audienti divina ſolenniter, ſemper aſſiſtit Prior Epiſcoporum, ſive Prior Presbyterorum Cardinalium in officio capellani, præterquam quando Papa non habet mitram: tunc enim nulla fit aſſiſtentia. Aſſiſtentia etenim fit in Miſſa, in Veſperis, & in benedictionibus. In Matutinis nunquam fit: quia tunc Papa nunquam habet mitram.

CAPUT VI.

Quando Epiſcopus Cardinalis aſſiſtit Papæ celebranti, & de diebus ſupplicationum.

PRior Epiſcoporum Cardinalium aſſiſtit in diebus ſupplicationum, quando Papa vadit ſub baldachino, & cum ſupplicatione ad Altare, videlicet in Nativitate Domini Jeſu Chriſti, in circumciſione, in Epiphaniis, Ramis palmarum, Cœna Domini, Reſurrectione Domini, Aſcenſione, Pentecoſte, Dominica Trinitatis, Corporis Chriſti, Sancti Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & in omnibus glorioſiſſimæ Virginis Mariæ feſtivitatibus: item in feſto omnium Sanctorum, in canonizatione alicujus Sancti, in ſua coronatione, & quotieſcunque ſolennizaret aliquod feſtum. In his omnibus aſſiſtit Epiſcopus Cardinalis, & ſedet ſuper nudam chathedram inter Papam & alios Epiſcopos Cardinales, ſi Papa celebrat in Veſperis, & in Miſſa.

CAPUT VII.

Quando Presbyter Cardinalis aſſiſtit Papæ celebranti.

PRior autem Presbyterorum Cardinalium ſervit in aliis temporibus, videlicet in Dominicis *Adventus Domini*, in

ſecundo

ſecundo & tertio die poſt Natale Domini, in die cinerum, in Dominicis Quadrageſimæ, præterquam in Palmis, in Paraſceve, in Sabbatho ſancto, & albis, in ſecunda & tertia feria Paſchatis & Pentecoſtes, in ordinationibus: & ſi quando Papa in Vigiliis, aut pro defunctis ſolenniter celebraret, quod raro accidit. Papa enim, ſecundum antiquas cerimonias, nunquam conſuevit ſolenniter celebrare pro defunctis. Item in abſolutionibus defunctorum, ſi quando fiunt per Papam, & in omnibus benedictionibus: & quotiescunque Papa intereſt divinis, & non celebrat principaliter.

CAPUT VIII.

De aſſiſtentia in Veſperis cum paramentis.

CArdinalis igitur aſſiſtens Pontifici, ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, in veſperis Papalibus indutus pluviali & alba mitra, ſedet in ſua nuda cathedra, ſi eſt Epiſcopus Cardinalis: ſi vero eſt Presbyter, in ſcabello nudo, inter ſedem Papæ & Epiſcoporum Cardinalium ſedilia. Cum Papa eſt intonaturus primam Antiphonam ad Veſperas, accedit ad eum, & ſuper caput ſuum retinet librum, ex quo Papa intonat Antiphonam, deinde redit ad ſuam cathedram: ſtans deinde in ſuo loco, intonat tertiam Antiphonam. Item, cum Papa eſt intonaturus hymnum, ſimiliter accedit, & tenet librum, & redit ad locum ſuum. Similiter cum intonat Antiphonam ad *Magnificat*, & tunc non diſcedit: ſed poſtquam Pontifex intonata Antiphona ſederit, accipit naviculam incenſi de manu Acoluthi, & miniſtrat Pontifici, dum imponit incenſum more ſolito: deinde reddit naviculam Acolutho, & expectat finem Antiphonæ. Tum, cum incipitur *Magnificat*, ſequitur Pontificem euntem ad Altare, & poſtquam Pontifex oſculatus fuerit Altare, offert illi thuribulum, quod ab acolutho receperat, & catenularum extremitates primo exoſculatus,

ponit ad ſiniſtram manum, partem vero juxta ſummitatem thuribuli ad dextram, oſculando ſemper manum Pontificis: & tunc, & quando aliquid dat, vel recipit ab ejus manibus, retrahit ſe: deinde, dum Pontifex incenſat Altare. Et tandem, finita incenſatione, ſtans in cornu epiſtolæ, accipit thuribulum e manu Pontificis, & illud dat acolutho, qui eum ſervat. Sequitur deinde Pontificem redeuntem ad ſedem ſuam, & firmat ſe ad ultimum gradum ſolii: & cum Papa fuerit in ſede, accipiens thuribulum ab acolutho, ſtans ſine mitra incenſat Pontificem ſtantem cum mitra: demum revertitur ad locum ſuum, dato thuribulo uni ex Subdiaconis, qui incenſat omnes alios. Cum vero Papa eſt dicturus orationem, iterum accedit Cardinalis aſſiſtens, & retinet librum ſupra caput, deinde revertitur ad locum ſuum. Et eſt finis ſervitii ſui pro hac vice.

CAPUT IX.

De aſſiſtentia in Miſſa cum paramentis.

IN Miſſa autem, ſi Papa deſcendit ad Eccleſiam ſupplicatione præeunte, quia ex camera Papæ movetur ſupplicatio, Pontifex paratus cum pluviali & mitra, antequam a lecto paramenti ſe moveat, incenſum ponit in thuribulo, miniſtrante tunc naviculam Priore Presbyterorum Cardinalium, & deinde in Eccleſia Prior Epiſcoporum ſervit diebus ſuis. In Eccleſia autem aſſiſtens Cardinalis ſedet in loco ſui ordinis, a principio, uſque quo Papa ſit dicturus orationem ad tertiam: tunc accedit, & tenet librum in capite, etiam ſi non eſſet paratus: & ſi eſſet dies ferialis, quod oratio eſſet dicenda per Papam genuflexum, ipſe aſſiſtens Cardinalis genuflexus teneret librum ante Pontificem, dum diceret orationem. Et, finita oratione, non diſcedit, ſed expectat, quouſque portetur aqua ad lavandum manus Papæ. Et tunc ſtans ad dextram Pontifi-

Pontificis, apponit manum ad pelvim, in qua eſt aqua, & ſimul cum nobili, illam portante, infundit aquam ſuper manum Pontificis: redit deinde ad locum, ubi prius erat: Et in fine, cum Papa accipit mitram, ipſe Cardinalis accedens immittit ei annulum Pontificalem, & alios, & non diſcedit amplius. Sed cum Papa vult intrare ad Altare, miniſtrat naviculam incenſi, cum Papa illud in thuribulum imponit: deinde procedit immediate ante Papam ſimul cum Diacono Cardinali Evangelii ad dextram. Et cum Papa facit confeſſionem, ſtat ad ejus dextram, & Diaconus ad ſiniſtram. Finita confeſſione, cum Papa oſculatus fuerit Altare, ſimul cum Subdiacono offert ei oſculandum librum Evangeliorum, deinde retrahit ſe ad partem, quoad Papa imponat incenſum, incenſet Altare, & incenſetur. Nam apud Altare non Cardinalis aſſiſtens, ſed Diaconus Evangelii ſemper miniſtrat Papæ: Cardinalis vero id officium facit, cum Papa eſt apud ſedem eminentem, & illic ſtans tenet librum ſupra caput, dum Papa legit introitum: poſtea, ſedente Papa, vadit ad ſuam cathedram nudam, ut in Veſperis. Sed advertendum, quod ſi aſſiſtens eſt Presbyter, & non eſt Epiſcopus Cardinalis, non ſedet ſuper cathedram, ſed ſuper ſcabellum rubro colore pictum, cum pluviali tamen, ut Epiſcopus. Cum Papa eſt dicturus *Gloria in excelſis Deo,* accedit, & tenet librum ſupra caput, & deinde proſequitur cum eo hymnum angelicum, & redit ad ſedem ſuam. Item cum Pontifex eſt dicturus orationes, accedit, & tenet librum ſupra caput, quouſque Papa finiverit orationes: & redit ad locum prædictum, ſi fieret ſermo, & poſt ſermonem Papa faceret abſolutionem, &c. ſimiliter accederet, & tenet librum ſupra caput. Cum Papa eſt dicturus *Credo in unum Deum,* ſimiliter accedit, & tenet librum ſupra caput, & deinde proſequitur cum eo ſymbolum. Item cum Papa eſt lecturus Offertorium, accedit, & tenet

librum:

librum: cum vero Papa legerit ſedens Epiſtolam, Graduale & Evangelium, non ipſe, ſed Epiſcopi aſſiſtentes, non Cardinales, tenent librum. Accedit etiam, cum Papa eſt lavaturus manus, poſt Offertorium, & ſervit, ut ſuperius diximus, in prima lotione: deſcendit deinde cum Pontifice ad Altare, & ponit ſe ad ejus ſiniſtram, ubi eſt liber Miſſalis, & ibi tenet ipſum librum elevatum aliquantulum cum ſiniſtra, & cum dextra vertit folium, & digito oſtendit Pontifici, quæ ſunt dicenda: & cum Papa poſt incenſationem manus tertiò lavat, ſervit ut ſupra. Et nota, quod, quando Cardinalis aſſiſtens ſervițurus eſt de libro, duo primi Epiſcopi non Cardinales aſſiſtentes Papæ, ſubſerviunt ipſi: quorum prior ſervat librum, & apponit manum, cum Cardinalis illum tenet ſupra caput, alter vero tenet candelam accenſam ante librum: & in Altari ille prior tenet manum ſub libro, & præoſtendit dicenda Cardinali: alter ſimiliter tenet candelam, & iſti cum libro præveniunt ad Altare, & ſimiliter ad ſedem: aſſiſtens Cardinalis præfatus intendit deinceps adminiſtrationi libri, diligenter veniendo, & oſtendendo omnia dicenda, uſque dicto *Agnus Dei.* Tunc vero cum Papa dicit orationem, *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti Apoſtolis tuis, Pacem &c.* accedit ad dextram Pontificis, genuflectit, ſurgit, oſculatur Altare: deinde in tempore accipit pacem a Pontifice, & eam defert ad alios Cardinales, incipiendo a primo Epiſcopo Cardinali, & illi primò dat pacem, oſculando ipſum in facie: deinde primo Presbytero, inde primo Diacono: non tantum ex illis qui ſunt apud Altare, ſed ex eis, qui ſunt apud ſedilia Cardinalium in ſuo ordine. Deinde, ſi quis eſt Princeps, qui ſedeat in ſcamnis Cardinalium, illi dat. In fine primo ex Epiſcopis aſſiſtentibus non Cardinalibus, id eſt, illi qui ſeruit de libro: demum dat pacem vni ex Subdiaconis, qui illam diſtribuit omnibus gradibus, & ordinibus capellæ, more conſueto. Redit deinde Cardinalis aſſiſtens

ſtens ad Pontificem, jam apud ſedem eminentem exiſtentem, & accipiens calamum aureum de manu Sacriſtæ, cum quo Papa ſanguinem Chriſti ſugere debet, illum cum ſuo ſtilo ſuper quendam calicem, Sacriſta vinum ex ampulla ſuperfundente, purgat, & de ipſo vino dat ad prægustandum ipſi Sacriſtæ: Tum cum Pontifex Corpus Chriſti ſumpſerit, Cardinalis calamum ipſum prius a ſe deoſculatum, in calice, ubi eſt Sacramentum, immittit, & ponit ad manus Papæ, qui cum illo Chriſti ſanguinem ſugit, & in calice illum ad manus Diaconi Evangelii dimittit. Tum aliquantulum vini, & aquæ, ſi Papæ placet, in calice ſuperius dicto imponens, non tamen in quo eſt Sacramentum, dat Pontifici ad purificandum os. Retrahit ſe deinde ad partem Cardinalis aſſiſtens, quouſque Papa poſt purificationem manus, quartò ſollenniter lavet, cum ſervit, ut ſupra diximus: & deſcendentem deinde Pontificem ad Altare præcedit, illique, dum legit poſt communionem, & cantat, ſervit de libro: & demum, data ſolenni benedictione per Papam, in Altari pronunciat indulgentias ex parte Pontificis; & ſic eſt finis ſui ſervitii in officio Miſſæ. In diebus Supplicationum, in quibus Prior Epiſcoporum Cardinalium aſſiſtit, Prior Presbyterorum indutus ſua planeta, poſt communionem corporis & ſanguinis Domini noſtri, infundit vinum ex ampulla ſuper digitos Pontificis ad eos purificandos dextra ſua manu, & ſiniſtra ſupponit quandam pateram auream cum anſa, & deinde vinum purificationis portat ad Altare, & dat miniſtris, & ad locum ſuum revertitur. Si vero aſſiſtit Papæ, ipſe Prior Presbyterorum in diebus ſupra nominatis erit indutus pluviali, non planeta: & in Veſperis intonabit tertiam antiphonam, & quartam Subprior Presbyterorum. In Miſſa infundet vinum pro purificatione ad digitos Papæ, ſicut ſupra diximus de Priore Presbyterorum.

CAPUT X.

De aſſiſtentia Cardinalis ſine paramentis in Veſperis.

QUando autem Papa non celebrat principaliter, & intereſt publice divinis cum pluviali & mitra, tunc aſſiſtit & Prior Presbyterorum cum cappa lanea, tam in Veſperis, quam in Miſſa, & ſervit in hunc modum: In Veſperis facit reverentiam cum aliis, & ſedet in loco ſuo a principio; deinde cum Papa dixerit: *Deus in adjutorium meum intende, &c.* tum incipitur prima antiphona. Antequam Cardinales alii ſedeant, ducitur ad ſcabellum aſſiſtentiæ, quod ponitur ad ſiniſtram Papæ ante aſſiſtentes Epiſcopos, ſi locus eſt idoneus, ut in capella palatii: in Sancto Petro vero, & aliis locis illius proportionis, ſedet, ut in Miſſis Papalibus. Quando locus eſſet arctior, ſederet in loco ſuo inter alios, niſi alibi eſſet locus magis conveniens. Cum eſt apud ſuum ſcabellum, ſedet cum aliis uſque ad capitulum: tum ſurgit cum aliis, & incepta antiphona ad *Magnificat*, cum acoluthus venit verſus Pontificem cum thuribulo, ipſe Cardinalis primo accedit ad dextram Pontificis, & capiens naviculam de manu acoluthi, miniſtrat Pontifici, ut ſuperius diximus: reddit deinde naviculam acolutho, & ſtans expectat finem antiphonæ. Cum incipitur *Magnificat*, procedit cum Pontifice ad Altare, & accedens ad illius dextram, accipit thuribulum adolens de manu acoluthi, & illud dat ad manus Pontificis. Et cum Papa incenſaverit Altare, recipit ab eo thuribulum in cornu Epiſtolæ, & illud reddit acolutho, & non ſequitur Pontificem redeuntem ad ſedem, ſed expectat ante infimum gradum. Et cum Papa fuerit ante ſedem ſuam, Cardinalis accipiens thuribulum ab acolutho, illum incenſat more ſolito, & mox reverſitur ad ſuum ſcabellum, ubi ſtans incenſatur: ſedet deinde,

cum

cum replicatur antiphona, & in fine poſt benedictionem Pontificis, vadit ad ſedendum cum aliis Dominis Cardinalibus in loco ſuo.

CAPUT XI.

De aſſiſtentia in Miſſa ſine paramentis.

IN Miſſa autem aſſiſtens Cardinalis cum fecerit reverentiam ſolennem Pontifici, firmat ſe ad ejus dextram, & miniſtrat incenſum ponendum in thuribulo: & hoc, ſi tunc cantatur *Introitus*. Quod ſi inter reverentiam Cardinalium, & in introitu Miſſæ fiat intervallum, ut in candelis, cineribus, palmis & ſimilibus, tunc non miniſtrat incenſum, ſed poſtea, cum Papa, facta confeſſione cum celebrante, redierit ad ſedem ſuam, & cum celebrans incenſaverit Altare, & ipſe fuerit incenſatus, Cardinalis aſſiſtens ex circulo vel ſcamno Cardinalium veniens ante infimum gradum ſedis Papæ, finita omnium Cardinalium reverentia, accipiens thuribulum de manu cerimoniarii, genuflexus incenſat Pontificem ſedentem, & reddit thuribulum cerimoniario: deinde ſtat in circulo cum aliis Cardinalibus. Et dicto cum Pontifice *Kyrieeleiſon*, & *Gloria*, ſi dici debet, vadit ad ſcabellum aſſiſtentiæ, & ibi ſtat vel ſedet, pro temporis exigentia, uſque quo cerimoniarius venit cum thuribulo ad Pontificem ante Evangelium: tunc præveniens Cardinalis ponit ſe ad dextram Papæ, & miniſtrat naviculam, & mox revertitur ad ſcabellum, & ibi permanet uſque ad finem Evangelii. Tunc ſtans ante infimum gradum incenſat Pontificem, reddit thuribulum cerimoniario: & ſi eſt habendus ſermo, vadit ad ſcamnum, ad locum ſuum, cum aliis Cardinalibus: ſi vero non ſit ſermo, vadit ad ſcabellum ſuæ aſſiſtentiæ. Finito ſermone, & data benedictione a Papa, vadit ad circulum cum aliis: dum dicitur *Credo*, & illo finito, vadit ad ſcabellum aſſiſtentiæ. Inde cum Papa eſt impoſiturus incenſum poſt offertorium, accedit, & miniſtrat naviculam,

ut ſupra; deinde cum celebrans incenſavit Altare, & eſt incenſatus, accipit thuribulum a cerimoniario, & incenſat Pontificem ſedentem, ipſe genuflexus & reverſus ad ſuum ſcabellum, ſtans incenſatur a Diacono Evangelii, ut dicemus inferius. Et paulo poſt, cum incipitur præfatio, diſcedit a ſcabello, revertitur ad locum ſuum cum aliis Cardinalibus, & amplius non revertitur ad ſcabellum, quod a miniſtris removetur, & ponitur ad partem. Sed cum in circulo cum aliis dixerit *Agnus Dei*, inde ſe movens accedit ad Altare ad dextram celebrantis, & genuflexus oſculatur Altare primum, & mox celebrans, dicta oratione congrua, dat illi oſculum pacis, dicens: *Pax tecum*, & ille reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo.* Deinde diſcedens aſcendit ad Pontificem in ſede ſtantem, & dat ei pacis oſculum, & revertitur ad locum ſuum. Ad quem mox accedens Capellanus aſſiſtens celebrantis, ductus a Cerimoniario accipit pacem ab eo, & illam diſtribuit cæteris, ut dicemus in loco ſuo. Et hic eſt finis ſui miniſterii in Miſſa. Si autem eſſet Miſſa defunctorum, & Papa in fine vellet abſolvere, tunc veniret ad ſcabellum aſſiſtentiæ, & ſederet ibi, dum cantatur reſponſorium, & in tempore miniſtrat, dum Papa imponit incenſum in thuribulo, dum aſpergit aquam ſanctam, & dum incenſat porrigendo aſperſorium, & thuribulum, & ea recipiendo. Idem etiam facit quotieſcunque Papa aliquid publice benedicit: ſervit de aſperſorio, & incenſo, ut dictum eſt. Modus autem, qui ſervari ſolet per aſſiſtentem Cardinalem in ſua miniſtratione, & ſervitio, eſt hujuſmodi generaliter.

CAPUT XII.

Quomodo Cardinalis aſſiſtens ſervit in ſua aſſiſtentia.

QUotieſcunque e ſcamno, aut e circulo Cardinalium vadit ad Pontificem, aut ad ſcabellum aſſiſtentiæ, capite detecto,

tecto, & elevatis ſibi ambabus manibus, a parte anteriori cappæ, capite verſus Cardinales ſuperiores & inferiores aliquantulum inclinato, quaſi licentiam diſcedendi ab eis petens, & caudam cappæ per terram trahens proficiſcitur: & facta reverentia Altari, & Pontifici, vadit ad ſcabellum, ſeu ad Pontificem, cum eſt apud ſcabellum, capite ſalutat Diaconos, & alios aſſiſtentes, & pariter ſedent omnes. Cum autem eſt miniſtraturus incenſum Pontifici, cum videt cerimoniarium cum thuribulo venientem, ſurgit, & vadit ad dextram Pontificis, & dimiſſa manu dextera per aperturam cappæ, & ſiniſtra per oram inferiorem, accipit naviculam a cerimoniario, ſive ab Acolutho, & ambabus manibus offert illam Pontifici, ita ut apertura naviculæ ſit verſus Pontificem, & inclinatus dicit: *Benedicite, Pater ſancte,* & antequam Papa accipiat coclear illud, & deinde ejus manum oſculatur: & ſimiliter cum illud reponit, & tunc reddit naviculam cerimoniario. Cum in Altari porrigit thuribulum Papæ, oſculatur primo catenulas, quas dat ei ad manus, & dans, & recipiens thuribulum, oſculatur ejus manum.

CAPUT XIII.

Quod Papa debent oſculari manus, cum aliquid traditur, ſive ab eo accipitur.

ET nota, quod tam Cardinalis aſſiſtens, quam quivis alius laicus, ſive Clericus, qui aliquid dat ad manus Papæ, ſi eſt Cardinalis Prælatus, aut Princeps, debet oſculari ejus manum; ſi eſt inferior, oſculatur pedem, & ſimiliter cum a Pontifice aliquid accipit, eidem oſculatur manum, & illi pedem. Aſſiſtens igitur partes ſuperiores catenularum, ubi ſunt annuli, tenens ipſe in dextra, ponit ad ſiniſtram Pontificis, & partes inferiores juxta ſummitatem ciborii, in ſiniſtra ſua tenens, ponit ad manum dextram Papæ: cum incenſat Pontificem, ſi Pontifex ſtat, & ipſe ſtans incenſat, ter ducens tractim thuribulum, cum aliqua diſtantia

inter tractum, & tractum: tum ſurgens reddit thuribulum cerimoniario, & facta reverentia Pontifici, revertitur ad ſuum ſcabellum, & antequam incenſetur, invitat Diaconum a dextris Papæ. Cum autem eſt deſcenſurus a ſcabello, inclinat ſe prius verſus Altare, deinde facit reverentiam Pontifici, & diſcedit.

CAPUT XIV.

De aſſiſtentia Diaconorum Cardinalium, & quomodo Papa paratur in camera ordinatie.

DUo Diaconi Cardinales antiquiores in Cardinalatu, debent ſemper aſſiſtere, & miniſtrare, ac ſervire Pontifici in omnibus publicis actibus: cum tamen Papa eſt in Pontificalibus, id eſt, cum pluviali, & mitra, vel cum mitra tantum, ut in Paraſceve, & miſſis defunctorum: aliter non aſſiſtunt. Cum Papa exit ad cameram paramenti, quæ *papagalli* dicitur, duo Diaconi prædicti ſtantes capite detecto hinc inde, apud lectum paramenti induunt Papam ſacris veſtibus, antiquiore Diacono a dextris principaliter operante, qui primum rubrum birretum Pontifici detrahens, album illi imponit, deoſculatur, & imponit illi amictum, & circa collum decenter aptat, ita, ut veſtium collaria cooperiat, & adjuvantibus altero Diacono, & duobus Subdiaconis Apoſtolicis, qui retro ſunt, colligant cordulas: imponit deinde albam, & adjuvantibus ſupradictis, circa collum, & circa manus decenter componit, & aptat: inde cingulo cingit, & albam attollit Acoluthis, qui hæc omnia genuflexi circumcirca ſubminiſtrant, albæ extremitates aptantibus, ut æqualiter fluant: poſtea imponit ſtolam a collo pendentem, & a lateribus colligit: amictum tamen, ſtolam, prius Pontifici exoſculandam offert, quam ea illi imponat. Imponit illi poſt hæc pluviale, & ante pectus ornamentum pectorale, & demum mitram. Hæc omnia ornamenta Sacriſta prius explicat, & diſponit ſuper

ſuper lectum paramenti. Induto Pontifice, duo Diaconi prædicti, unus poſt alium, ferunt conſuetam reverentiam, ſecedentes per aliquot paſſus inclinant ſe profunde, deinde accedentes ad Pontificem oſculantur ejus dextram, ſub auriphrygio pluvialis porrectam: Et capientes hinc inde fimbrias anteriores pluvialis, in diebus ſupplicationum, & cum Pontifex aliquid manu geſtat, ipſi deferant. In aliis vero diebus eas Protonotario deferendas tradunt, & capite cooperto præcedunt immediate Pontificem. Et advertendum, quod ipſi Diaconi, dum ſerviunt Papæ in aliquo actu, dum eum per capellam comitantur, fimbrias elevantes, aut tale quippiam facientes, ſemper ſunt capite detecto. Cum Pontifex venit ad Eccleſiam, ſive capellam, Diaconi firmant ſe apud faldiſtorium, & Pontifice adveniente capiunt fimbrias pluvialis, & dum ille genuflectit ante faldiſtorium, fimbrias ipſas ſuper faldiſtorium diſponunt, & mox Diaconus a ſiniſtris extrahit illi mitram, & a dextris biretum. Deinde, ſi tunc eſt Miſſa celebranda, finita oratione, Papa ſurgit, & facit confeſſionem cum celebrante: Et tunc Diaconus a ſiniſtris retrahit ſe aliquantulum, dans locum celebranti, qui ſtat ad ſiniſtram Pontificis. Finita confeſſione, (& ſi non dicitur Miſſa, finita oratione) Diaconus a dextris imponit biretum & mitram Pontifici, adjuvante altero Diacono, & ambo capientes fimbrias deducunt eum ad ſedem eminentem. Quotieſcunque Papa debet elevare manum dextram, ſive ſignando, ſive pectus percutiendo, Diaconus a dextris elevat pluviale, capiens fimbrias ante pectus: cum debet elevare manus ambas, ambo Diaconi hinc inde elevant. Quando eſt aliquid lecturus ex libro, apponunt hinc inde manus: ſimiliter & cum eſt oſculaturus librum Evangeliorum. Cum Papa accipit pacem a Cardinali aſſiſtente, ipſi unus poſt alium deſcendunt a ſede Pontificis, & facta reverentia Altari & Pontifici (ut fieri ſolet cum fit reverentia ſolennis) aſcendunt

ad Pa-

ad Papam, eique genam ſiniſtram exoſculandam præbent, dicentique: *pax tecum*, reſpondent: *Et cum ſpiritu tuo.* In fine Miſſæ deſcendentes cum Pontifice ad faldiſtorium, componunt fimbrias ſuper illud, & cum ſurgit (nam mitra tunc non removetur) capientes fimbrias, eas dant protonotario, niſi ipſi inferant in diebus ſupra nominatis. Et quotieſcunque mitra eſt Papæ imponenda, vel birretum, eam imponit Diaconus a dextris. Et quando eſt removenda mitra, eam removet Diaconus a ſiniſtris, & birretum a dextris. Diaconi prædicti ſtant Pontifice ſtante, & ſimiliter ſtante Cardinali aſſiſtente, ſedent ſedente Pontifice, & nihil faciente. Si autem Pontifex ſedens legeret, vel benediceret incenſum, aut tale quippiam faceret, ſtarent cum omnibus aſſiſtentibus. Cum Pontifex ad cameram redierit, exuunt eum ſacris veſtibus in eodem loco, cooperante principaliter Diacono a dextris, qui dat ei ſtolam, & amictum ad oſculandum, cum aliquid operatur circa Pontificem. Cum Pontifex aliquid legit, vel cum eis loquitur, cum vadunt & deducunt illum per capellam ſurſum aut deorſum ad Altare, ad faldiſtorium, ad ſedem, ſemper debent eſſe capite nudo. Et cum generalis ſupplicatio fit, antequam Papa de loco diſcedat, Diaconus a dextris dicit alta voce: *Procedamus in pace*, & chorus reſpondet: *In nomine Chriſti, Amen.*

CAPUT XV.

De officio Cardinalis Diaconi, Evangelium lecturi.

Diaconus Cardinalis, lecturus Evangelium in Miſſa Pontificali, ante, & tempore ſibi congruo, Deo per confeſſionem reconcilietur, quia eſt participaturus de ſacramento Altaris ſimul cum Pontifice. Cum vero erit in palatio, antequam Papa exeat ad cameram paramenti, accipiat ſacras veſtes,

veſtes, videlicet amictum ſupra rochetum, albam, cingulum, ſtolam, dalmaticam: manipulum autem accipiat, cum Papa intraverit ad Altare. Et hæc fiunt in diebus ſupplicationum, cum Papa deſcendit ad Eccleſiam & ſub baldachino. Si autem Papa non erit ad Eccleſiam ſupplicatione præeunte, tunc caperet paramenta ſua prædicta, cum Papa accipit ſandalia, & ſi uti debeat planeta, non dalmatica, tunc illam capit, poſtquam Papam induerit omnibus ſacris ornamentis. Sed noſtris temporibus raro Papa celebrat, niſi in diebus ſupplicationum. Igitur Diaconus, ut ſupra dictum eſt, paratus cum Papa deſcendit ad Eccleſiam ſupplicabundus, vadit immediate ante eum ſolus: vel ſi Papa vehetur in ſede, ibit medius inter duos Diaconos aſſiſtentes Papæ. In Eccleſia faciet reverentiam Papæ in ſuo ordine, & inde firmabit ſe ad dextram apud aſſiſtentem Diaconum, ab ea parte ante Diaconum prædictum. Cum vero Papa, finita hora, laverit manus, Diaconus Evangelii aſcendit ſcabellum poſitum ante Papam, & primò detrahit illi mitram cum pluviali, & ſtola: & afferentibus Acoluthis ex ordine ſacra ornamenta: primò accipit cingulum cum ſubcinctorio, & cum eo præcingit Pontificem, ita ut ſubcinctorium pendeat a ſiniſtra Pontificis. Firmato bene cingulo, ſolvit aliud cingulum, quo prius Pontifex erat accinctus, & alba circumcirca bene diſpoſita, accipit crucem pectoralem, quam oſculandam offert Pontifici, & deinde ad collum ponit, ut ante pectus pendeat. Cum accipit favonem, quem ſupra caput Papæ ponit, cum plicatur a parte anteriori, diligenter illum aptat. Primò offerat favonem oſculandum Pontifici, illum ambabus manibus tenentem: tum imponet ſuper ejus caput, ita, ut ante oculos pendeat, & media pars illius ad dextram, media ad ſiniſtram, & extremitates ejus pariter fluant: deinde extremitatem favonis, quæ a ſiniſtra Pontificis fluit, ſuper illius dextrum humerum imponit, & quæ a dextra ſuper ſiniſtrum, ut mentum

Papæ circumdent tanta amplitudine, ut ſpacio palmi, vel circa, a mento diſtent, & a fronte dependeat medii palmi latitudine. Imponit deinde Diaconus Pontifici ſtolam ad collum, quam prius eidem deoſculandam offerat, & pendere facit ab humeris: tum imponit tunicellam, & favonem a parte anteriori circa collum diligenter extrahat, imponatque dalmaticam, & favonem extrahat, attollatque illum ab oculis Pontificis ſupra caput aliquantulum, & Pontifici ſedenti imponat chirothecas, quas prius oſculetur; & ſimiliter oſculetur manum Pontificis, ipſe tum dexteram tantum imponat, & Subdiaconus ſiniſtram, qui ſtans a ſiniſtra in omnibus Diaconum juvat. Tum ſurgit Pontifex, & Diaconus ei imponit planetam, quæ tantum inde aptatur ſuper brachia, & favon ſimiliter, ut ſupra, extrahitur, ut æqualiter circumcirca pendeat. Adaptata planeta, Diaconus partem favonis, qui erat ſuper caput Pontificis, reflectit ſupra collum, & circumcirca decenter aptat. Deinde accipiens pallium, Crucem illius poſteriorem oſculandam offert Pontifici, illumque, adjuvante Subdiacono, ſuper Pontificis humeros imponit, ut favonis oras complectatur, & aliquantulum ex favone ſub pallio videatur: Advertatque, ut partem pallii duplicem ſuper ſiniſtrum humerum imponat. Cum Spinulam pulchriorem Diaconus Cruci anteriori parte pallii infigit, aliam Cruci ſuper humerum ſiniſtrum exiſtenti, tertiam vero Subdiaconus in Cruce poſteriori figit. Spinulæ taliter infigendæ ſunt, ut a gemma ad dextram infigentis remaneat, & interea Crucem pertranſeant, non autem perforent pallium, neque planetam tangant. Non enim figitur ad retinendum pallium, ſed ad myſterium paſſionis ſignificandum: poteruntque pro retinendo pallio parvæ ſpinulæ imponi, ſi placuerit: debet tamen Diaconus advertere, & ſæpe aptare pallium, ut decenter humeros, & favonem ambiat: poſthæc Diaconus mitram imponit Pontifici, & præcedente illo ad Altare, ibit ad ſiniſtram

    ſtram

ſtram Epiſcopi Cardinalis aſſiſtentis immediate ante Pontificem. Et cum Papa iverit ante Altare, deponit ei mitram, & ſtans a ſiniſtra Pontificis, facit cum eo confeſſionem. Deinde, cum Papa fuerit oſculatus Altare, & librum, accipit de manu Acoluthi naviculam incenſi, & inclinatus dicit: *Benedicite, pater ſancte*, oſculatur coclear, & dum Papa illud capit, ut incenſum imponat, illius manus oſculatur: & ſimiliter, cum illud reponit in navicula. Deinde accipiens thuribulum de manu Acoluthi prædicti, cui prius naviculam reddiderat, illud ad manus Pontificis ponit, catenulas videlicet ſuperiores ad ſiniſtram, inferiores ad dextram: quas prius, & deinde manum oſculatur. Cum Pontifex incenſat Altare, ſtat illi ad dextram, elevando manicas dalmaticæ, & planetam. Deinde, facta incenſatione, ſtans in cornu epiſtolæ, accipit thuribulum de manu Papæ, quam oſculatur, & illum, cum mitram accipit, incenſat, ter thuribulum ducens: inclinatque ſe Pontifici profunde antequam incenſet, & poſt, & in iſto actu, & ſimiliter poſtquam Pontifex incenſaverit oblata, mitram imponit ei Sub-Diaconus aſſiſtens a dextris: in aliis vero omnibus actibus, cum Papa eſt apud Altare, Diaconus Evangelii ſemper illi imponit, & deponit mitram, ſemperque in Altari miniſtrat naviculam, & incenſat Pontificem: quem mox, reddito thuribulo Acolutho, ſtantem circa medium Altaris oſculatur, primò os, deinde pectus: quod & alii duo Diaconi aſſiſtentes faciunt. Deinde, diſcedente Pontifice ad ſedem eminentem, Diaconus remanet in cornu Epiſtolæ, ubi ſimul cum Subdiacono & Græcis, ſi adſint, leget *Introitum*, & dicit *Kyrieeleiſon*, ex libro ſuper Altare ſtante, & a ſuo Capellano accipit manipulum, & Papa ſedet ſedente & ipſo ſuper ſcabellum in dicto cornu ſuper gradum Altaris poſitum, vertens faciem ad cornu Evangelii. Cum Papa dicit *Gloria in excelſis*, ſurgit Diaconus, & cum Subdiacono & Græcis proſequitur hymnum angelicum, &, ſedente Papa, ſedet in loco

ſuo, & ſimiliter ſurgit ad orationes, & illis finitis ſedet. Cantata Epiſtola per Subdiaconum, Diaconus in cornu Epiſtolæ, & ipſe illam legit cum Graduali & verſibus: deinde tempore congruo accipit librum Evangeliorum, & illum ante pectus ſuum tenens, cum reverentiis ſolitis vadit ad Altare, ſuper quod librum ponit in medio: quo ibi dimiſſo, cum debitis reverentiis aſcendit ad Pontificem, & manum ejus dextram reverenter oſculatur. Deinde reverſus ad Altare, genuflexus & junctis manibus dicit: *Munda cor meum, & labia mea, omnipotens Deus: qui labia Eſaiæ Prophetæ calculo mundaſti ignito, ita me tua gratia miſeratione dignare mundare, ut ſanctum Evangelium tuum digne valeam annunciare. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.* Tum ſurgens, accipit librum de Altari, & illum ante pectus portans, tempore congruo vadit ante Pontificem, & ſtans apud infimum gradum ſolii, inclinatus profunde dicit: *Jube Domine benedicere.* Et accepta benedictione, vadit ad pulpitum, ſuper quod librum portat: & circumſtantibus ſeptem Ceroferariis junctis manibus, incipit: *Dominus vobiſcum.* Et cum dicit: *Sequentia, & Initium Sancti Evangelii,* pollice dextro ſignat librum, deinde frontem, os, & pectus: & cum deinde reſpondetur à Choro: *Gloria tibi, Domine,* accipiens thuribulum de manu Acoluthi, incenſat librum ter, in medio, a dextris, & a ſiniſtris: deinde reddito thuribulo junctis manibus, quas ſupra librum tenet, proſequitur Evangelium: quo finito, factis reverentiis, revertitur ad Altare. Cum Pontifex dixerit: *Credo in unum Deum,* Diaconus ſtans in cornu Epiſtolæ, proſequitur Symbolum cum Subdiacono, & Græcis. Quo finito, Diaconus & Subdiaconus vadunt ad credentiam Papæ, ubi aliquis ex familiaribus Diaconi expectat cum vaſis & mantili: & ibi ambo mundant manus, & revertuntur ad Altare, & mappam quandam ſericeam amplam à Sacriſta oblatam, extendunt ſuper Altare. Tum Diaconus expectat cum vaſis & mantili,

mantili, ſtans in cornu Epiſtolæ: Subdiaconus vero ex credentia Sacriſtæ portat ad Altare burſam cum corporalibus, hoſtiaria & purificatorio: quæ omnia conſignat ad manus Diaconi: qui ponens burſam ſuper Altare, primò removet ab ea hoſtiariam cum extractis ex burſa corporalibus, magnum corporale explicat ſuper Altare parvum, ſuper magnum ponit ad partem: burſam collocat in loco condecenti, vel ante ſe, vel ad partem: deinde, veniente Sacriſta cum calice & ampullis, primò ex hoſtiaria tres hoſtias capit, quas ponit ſuper patenam per ordinem ad lineam. Et veniente Pontifice ad Altare, ante gradum ſtans deponit ei mitram, & brachium illius dextrum reverenter capiens & ſublevans, deducit ad medium Altaris. Tum converſus ad dextram, ubi patena cum tribus hoſtiis ſuper calicem exiſtit, cum hoſtia, quæ eſt a dextris, tangit alias duas, & illam dat comedendam ſacriſtæ. Deinde hoſtiam, quæ eſt ad ſiniſtram, capiens, cum ea tangit patenam & Calicem intus & extra per totum, & ſimiliter illam dat comedendam Sacriſtæ. Tum capiens patenam cum hoſtia, quæ in medio remanſit, illam prius exoſculatus, dat ad manum Pontificis dextram, quam deoſculatur. Tum converſus ad Calicem, pauxillum vini & aquæ ex ampullis ſuper vaſculum infundit, & dat Sacriſtæ ad prægustandum, & imponit vinum in Calice ad ſufficientiam, ut ſatis ſit, pro tribus communicantibus: aquam vero in Calicem Subdiaconus infundit ex parvo coclеari. Quo facto, Diaconus Calicem dat ad manus Pontificis, & cum eo dicit orationem: *Offerimus tibi, & cætera.* Et cum Papa Calicem ſuper corporalia poſuerit, Diaconus ſtatim illum palla, id eſt, parvo corporali tegit, & cum Papa eſt impoſiturus incenſum, miniſtrat naviculam, & facit, ut in prima incenſatione diximus. Sed cum Papa incenſat ſuper & circa oblata, tunc Diaconus dextram manum tenet ad pedem Calicis, ne forte rueret, & ſiniſtram ad manicas dalmaticæ Pontificis, ne cum illis pallam percutiat.

cutiat. Et in fine, cum incenſaverit Papam, incenſat Cardinalem aſſiſtentem Epiſcopum, ſive Presbyterum, & duos Diaconos Cardinales aſſiſtentes ibi apud Altare, dum vadit ad alios Cardinales, omnes incenſat ſuo ordine, bis ducens thuribulum ante, & poſt, illis ſe inclinans. Idem facit & Principi, ſi quis adeſt, qui in ſcamno Cardinalium ſedeat: tum revertitur ad Altare, & Epiſcopos non Cardinales aſſiſtentes Pontifici incenſat, ſemel tantum thuribulum ducens, & ſine inclinatione: deinde ſtans poſt Pontificem medius inter duos Diaconos Cardinales aſſiſtentes, incenſatur ipſe ab uno ex Subdiaconis, cui ipſe tradit thuribulum. Perſtat poſt hæc inter præfatos Diaconos, quouſque Pontifex finierit præfationem, & tunc accedit ad ejus dextram, & cum eo dicit: *Sanctus, & cætera*, & revertitur ad locum ſuum. Et quotiescunque Pontifex ſignat ſuper calicem, aut Hoſtiam, accedat reverenter, & elevet manicam dalmaticæ, ne cum ea percutiat calicem, & pallam; & mox revertatur ad locum ſuum, & ab eo puncto, in quo Pontifex incipit canonem, id eſt, *Te igitur:* ſemper attente advertat, ut in tempore poſſit elevare manicam, tegere & detegere calicem cum ſit opus. Cum Pontifex conſecrat Hoſtiam, genuflectit ad dextrum latus, & dum eam elevat, & ipſe ab eo latere planetam. Et cum ille repoſuerit Hoſtiam ſuper corporalia, ipſe detegit Calicem, & rurſus genuflectit. Et ſimiliter attollit planetam, cum Pontifex elevat Calicem: quo depoſito, ſtatim palla tegit, & redit ad locum ſuum. Dum poſt elevationem Sacramenti Pontifex dicit: *Benedicis*, & præſtas nobis, Diaconus accedens detegit Calicem. Et cum Pontifex cum hoſtia ſignat ſuper Calicem, dicendo: *Per ipſum, &c.* retinet ipſe duobus digitis dextræ manus Calicis pedem; & cum Pontifex repoſuerit Hoſtiam ſuper corporalia, ipſe tegit Calicem, & revertitur ad locum ſuum. Cum vero in fine *Pater noſter*, Subdiaconus reportat patenam: Diaconus accedens ad latus Pontificis,

vertitur

vertitur ad Subdiaconum, & de manu ejus accipit patenam, quam, cum Pontifex dicit: *Libera nos, quæſumus Domine, &c.* dat illi ad manum dextram, & prius oſculatur patenam, & poſtea manum Pontificis: & cum Pontifex patenam ſuppoſuerit hoſtiæ, ipſe detegit calicem. Et ſemper, quando ipſe detegit calicem, genuflectit adorans Sacramentum: & cum Pontifex immiſerit particulam hoſtiæ in calicem, iterum calicem tegat, & cum Pontifice dicat *Agnus Dei, & cætera,* & revertitur ad locum ſuum, & non capit pacem a Pontifice: quia illam capiet, poſtquam communicaverit. Cum vero Pontifex data pace aſcenderit ad ſedem eminentem, tunc Diaconus, ſi apud Altare remanſit, accedens debitis reverentiis accipit patenam cum ſacramento Corporis Chriſti ex Altari ambabus manibus, & illam modeſte elevans uſque ad oculos, vertit ſe a dextra ſua ad medium circulum, ita ut renes vertat ad Altare, & per eandem viam revertitur quouſque faciem ſuam vertat ad Altare. Tum vertens ſe a ſiniſtra parte, rurſum gyrat ad medium circulum, & Subdiacono genuflexo ſuper gradum ante cornu Evangelii, patenam cum Sacramento committit: qui ſtans ſurgit, & Diaconus genuflectit ſacramentum adorans. Cum vero Subdiaconus ab Altari diſceſſit, ſurgit Diaconus, & cum ſacramentum pervenerit ad Pontificem, Diaconus accedens hujuſmodi reverentiis ex Altari calicem cum ſanguine Chriſti accipit, ac elevans, & gyrans ut cum patena fecit, ipſe calicem ad Pontificem defert, nulli tunc reverentiam faciens, & ad dextrum Pontificis latus conſtituens, expectat quoad Pontifex de Corpore Chriſti communicet, dum calicem ſubminiſtrat Pontifici, ex quo ille ſanguinem calamo ſugit. Quo facto, Diaconus pateram dextra tenens, ſiniſtra calamum intra calicem exiſtentem retinet, curvato capite manum Pontificis exoſculatur, Corpus Chriſti ab eo reverenter accipit, & mox ejus faciem oſculatur. Tum cum calice, & Chriſti ſanguine ad Altare revertitur,

nuſquam

nuſquam calamum ex calice extrahens, & ibi ſtans in cornu epiſtolæ, partem ſanguinis cum calamo ſugit. Reliquum vero cum particula hoſtiæ ſacratæ, quæ in calice remanſit, Subdiaconus cum patena ad Altare reverſus, reverenter ſuſcipit, cum prius patenam ipſam diligenter ſuper calicem excuſſerit, ne particula Sacramenti in ea remaneat. Tum Diaconus cum Subdiacono calamum ſupra calicem vino purgant & abluunt, atque eodem vino ſe purificant: deinde, ſi non ſunt alii communicandi, Diaconus expectat Pontificem apud Altare: ſi vero ſunt communicandi alii, ſicut in reſurrectione Domini, Diaconus, poſtquam ſe purificaverit, factis debitis reverentiis, aſcendit ad Pontificem, & ſtans ad ejus ſiniſtram, in tono ejus conſueto dicit: *Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ ſemper Virgini, B. Michaeli Archangelo, Beato Joanni Baptiſtæ, ſanctis Apoſtolis, Petro, Paulo, omnibus Sanctis, tibi Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor B. Mariam ſemper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptiſtam, ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & te Pater, orate pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Et cum dicit, *& tibi pater, & rurſus ad te pater,* inclinat ſe profunde ante Pontificem, & cum dicit *mea culpa &c.* ter percutit pectus cum manu dextra, & mox Diaconus, ubi hæc dixerit, revertitur ad Altare, & poſtquam Pontifex fecerit abſolutionem, Diaconus reverenter accedens accipit de Altari calicem criſtallinum, vel aliud vas, in quo ſunt hoſtiæ conſervatæ pro communicandis, & elevat, & gyrat a dextris & ſiniſtris, ut prius diximus; & Subdiacono genuflexo, ut prius, dat ad portandum ad Pontificem. Ipſe vero apud Altare expectat, quouſque Pontifex communicato populo revertatur ad Altare. Venienti igitur ad Altare Pontifici deponit mitram, & ponit deinde ſe in loco ſuo, ſtans medius poſt Pontificem inter duos Diaconos. Et cum Papa finierit orationes ultimas, & dixerit:

dixerit: *Dominus vobiſcum*, ipſe Diaconus verſus ut Pontifex, dicit cantando: *Ite, Miſſa eſt*, in tono ſolemnitati convenienti, cum *Alleluja*, vel ſine *Alleluja*, pro temporis exigentia: & in fine, cum Papa compleverit omnia, & vult diſcedere ab Altari, extrahit illi pallium, & reponit illud ſuper Altare, niſi Papa ſit iturus ad benedictionem, vel ad alium actum ſupplicatione præeunte: quia tunc debet portare pallium. Deinde vadit cum Pontifice paratus uſque ad ejus cameram, ipſe, & alii Diaconi ex debito more; quamvis nonnunquam ex indulgentia Pontificis ſolent dimittere paramenta, & poſtquam deduxerunt Papam extra Eccleſiam, illum dimittere, & redire ad domos ſuas. Sed honeſtius eſt, ſicut diximus, ut Pontificem adhuc Miſſalibus paramentis indutum, Diaconi parati ad cameram uſque deducant. Si autem tempus exigeret, ut Diaconus uti deberet planeta, & non dalmatica, tunc Diaconus parabit Pontificem ſine planeta. Et cum impoſuerit illi mitram poſt omnia ornamenta, ipſe accipit planetam, quam deinde ponit, antequam cantet Evangelium, & ſic cum ea manet, quouſque Papa communicaverit. Tunc rurſus induitur planeta, ut prius. Advertat etiam Diaconus, quotieſcunque aliquid dat ad manum Pontificis, uti primo deoſculetur rem ipſam, deinde manum Pontificis. Item, quando poſt conſecrationem tegit, vel detegit calicem, primò & poſt reverenter genuflectat, & adoret Sacramentum.

CAPUT XVI.

De ſupplendis vicibus Cardinalium, in aſſiſtentia Papæ deficientium.

SI celebrante Pontifice Prior Epiſcoporum Cardinalium abeſt, qui illi aſſiſtere debet in officio Capellani, ejus vices ſuppleat ſenior Epiſcopus Cardinalis: Et ſi nullus adeſt Epiſcopus, ſenior Presbyter Cardinalis. Item ſi Prior Presbyterorum

rorum in ſua aſſiſtentia deeſt, Senior ex aliis Presbyteris ſupplet. Quod ſi nullus adeſt Presbyter Cardinalis, junior Epiſcopus Cardinalis ſupplet ejus vices, ſive cum paramentis, ſive cum cappis laneis. Diaconus autem non ſupplet vices Epiſcoporum, neque Presbyterorum. Si vero adeſt unus Diaconus tantum in aſſiſtentia, junior ex Presbyteris Cardinalibus ſupplet locum ſecundi Diaconi. Sed Diaconus, qui aderit tanquam Archidiaconus, & in proprio officio, ſedebit in dextris, & mitram ſemper ponit, & deponit, Presbytero Cardinali a ſiniſtris adjuvante: ſi nullus adeſſet Presbyter junior, Epiſcopus Cardinalis ſupplet, & tunc Epiſcopus erit a dextris. Sed Diaconus, quamvis non ſit a ſiniſtris, ſemper tamen ponit, & deponit mitram. Quod ſi nullus adeſſet Diaconus, duo juniores Presbyteri, ſive Epiſcopi, illis etiam deficientibus, aſſiſtunt: & ſi Pontifex celebraret principaliter in Veſperis, ſive in Miſſa, eſſent in habitu Diaconorum cum dalmaticis, & non in proprio. Et *nota*, quod Pontifex non poteſt intereſſe divinis cum ſolennitate, niſi ad minus cum tribus Cardinalibus, quorum duo aſſiſtant loco Diaconorum, & tertius ut Capellanus aſſiſtens. In Miſſa autem, quando Papa celebrat ſolenniter, quatuor ad minus ſunt neceſſarii, duo Diaconi aſſiſtentes, Diaconus Evangelii, & Epiſcopus ſive Presbyter Cardinalis, Capellanus aſſiſtens. Sed, ut dixi, Presbyteri vel Epiſcopi officium Diaconorum ſupplere poſſunt: Diaconi non poſſunt ſupplere officium Epiſcoporum ſive Presbyterorum in divinis.

CAPUT XVII.

De officio aſſiſtentium non Cardinalium, S. D. N. Papæ.

SCripturi deinceps de officiis Prælatorum, & aliorum officialium Curiæ Romanæ, de illis officiis & ſervitiis ſolum tantum dicemus, quæ exhibebuntur Summo Pontifici in divino officio,

officio, & publicis actibus, & quæ pertinent ad ſacras cerimonias: de aliis non eſt noſtræ profeſſionis. Et *primò*, de aſſiſtentibus Epiſcopis & Prælatis. Romano Pontifici aſſiſtere conſueverunt in divinis & publicis actibus ordinarie decem Prælati ex dignioribus Curiæ, ut ex libris Cameræ Apoſtolicæ conjectare licet, qui portiones decem ex minutis diſtribuunt aſſiſtentibus. Noſtris tamen temporibus aliquando pauciores, ſæpius plures fuerunt. Ad hos ſpectat Pontifici aſſiſtere, & in divinis illi ſervire de libro & de lumine: & ſemper ſequuntur Pontificem immediate poſt cubicularios, & medicos ſecretos. Et quando ſunt parati, præcedunt immediate Cardinales. Cum autem Pontifex ante Altare fecerit orationem, & aſcendit ad ſedem eminentem, ſequuntur illum, & ſedent vel ſtant ſecundum exigentiam ad ſiniſtram partem. His connumerant etiam Sacriſtam, ſi ſit Prælatus, & ſedet in loco ſtatui ſuo convenienti. Inter iſtos non habetur ratio officiorum, ſive legationum, ſed digniores & antiquiores in dignitate præcedunt. Duo ex eis primi, ſive Patriarchæ, ſive Archiepiſcopi, ſive Epiſcopi ſint, ſerviunt Pontifici, primus cum libro, alter de lumine, hoc modo: Cum Pontifex aliquid eſt dicturus ex libro, accedunt hi duo aſſiſtentes, & primus genuflexus in ſcabello ſedis Pontificis, ſi Papa ſedet: ſi autem ſtat, ſtans librum tenet ſupra caput ante faciem Pontificis, ambabus manibus illum ſuſtinens, & Diaconi aſſiſtentes apponunt hinc inde manum: ſecundus vero candelam accenſam ante librum retinet, ſtans in loco convenienti. Quod ſi dum ſolenniter celebratur, & Epiſcopus ſive Presbyter Cardinalis retinet librum, tunc ille primus dat librum Cardinali, & illum adjuvat, & librum deinde recipit. Et in Altari dum Papa celebrat, ſerviunt ambo, & cum Cardinali miniſtrant librum & candelam, ut dictum eſt. Præveniunt hi duo ſemper Pontificem & ad Altare, & ad ſedem: inveniunt, quæ dicenda ſunt, & ſignant. Cum Pontifex cele-

..aturus eſt in ſede, ubi accipit paramenta, aſſiſtunt ante ejus faciem, diviſi in duas alas hinc inde: cum eſt apud Altare, faciunt ſemicirculum poſt illum, & ſeniores hinc inde ſtant in capitibus ſemicirculi, exceptis illis duobus, qui ſerviunt in Altari de libro, & de lumine. Dum Papa etiam non celebraturus a ſede deſcendit ad faldiſtorium ante Altare, ſemper illum ſequuntur, & poſt eum genufle̅ctunt. Et ſimiliter cum redit ad ſedem, ſequuntur & redeunt ad locum ſuum: ſurgentibus Cardinalibus aſſiſtentibus ſurgunt, & illis ſedentibus ſedent. Si nullus adeſſet Protonotarius, cum Papa exit ad officium, primus ex eis defert anteriores fimbrias pluvialis: & item, ſi nullus adeſſet nobilis, aut Orator, qui deferret caudam pluvialis, primus ex eis defert. Et ſi neque Protonotarius, neque orator adeſſet, duo ex eis ſupplerent, primus ad caudam, ſecundus ad fimbrias. Quando autem Pontifex non habet pluviale, ſed cappam amplam laneam, ſive purpuream, vel mantum, tunc primus ex eis portat fimbrias & caudam ſimul conjunctas, retro poſt Pontificem, cum ſocio fimbrias aptant ſub faldiſtorio, quando Pontifex non portat mitram, & apud ſedem illas ante & ſuper ſcabellum extendit. Et ſemper illi, qui ſerviunt, manum dextram emittunt per aperturam cappæ anteriorem, & ſiniſtram per extremitatem cappæ: & convoluta cauda cappæ, illam ſub axilla, & ſuper ſiniſtrum brachium retinent, ut ſint magis expediti ad ſerviendum. Et quando Papa exit ad capellam cum manto papali, & cum capputio ſupra caput inverſo, quod facere conſuevit in Matutinis tenebroſis, & aliquando etiam in aliis diebus propter frigus, tunc Epiſcopi aſſiſtentes debent habere mantellum aſſiſtentiæ, apertum a parte anteriori, & capputium in modum cubiculariorum.

CAPUT

CAPUT XVIII.

De officio Sacriſtæ.

SAcriſta Apoſtolici palatii, quod eſt officium perpetuum, ſemper conſuevit eſſe Prælatus: nec conſuetudo aſtringit ad aliquem ordinem religioſorum, ut aliqui aliquando dixerunt. Et quia habet curam & inventarium rerum ſacriſtiæ, & opera ſua eſt continuo in palatio: habet cameram in palatio, & expenſas in tinello cum ſuis ſervitoribus. Ad hunc ſpectat ex mandato Pontificis nunciare, & diſtribuere Miſſas celebrandas Dominis Cardinalibus, & Prælatis curiæ, quando, ubi, & per quem eſt celebrandum in diebus ordinariis, & quando placet Pontifici. Debet præterea reſervare & cuſtodire ſuo inventario paramenta, & ornamenta omnia, quæ pertinent ad Altare, ad perſonam Papæ, & Prælatos, atque miniſtros celebrantes in capella Papæ, videlicet veſtes ſacras, vaſa ſacra, ubi reliquiæ ſanctorum reconduntur, Cruces, calices, candelabra, imagines, & vaſa precioſa: & etiam ſubminiſtrare, & cuſtodire, quæ pertinent ad capellam ſecretam Papæ, & ad capellam communem palatii, ubi quotidie celebratur. Debet in tempore per Clericos capellæ ordinare Altare, credentiam, & quæ pertinent ad celebrationem Miſſæ, vel divini officii: præter hæc debet, antequam Papa exeat ad cameram, paramenta præparare ſuper lectum paramenti, ſacras veſtes, mitras & ornamenta, quibus uti debet Summus Pontifex. Et quia ſolus non poſſet tot rebus ſatisfacere, oportet, quod habeat aliquem Capellanum vel ſocium, qui eum adjuvet in inveniendis, præparandis, explicandis & adaptandis rebus opportunis. Debet etiam ſemper intereſſe, quando Pontifex celebrat, ſive publice, ſive privatim, & miniſtrare opportuna, & habere exactam providendi curam, ne res Sacriſtiæ deſtruantur, & ut deſtructa inſtaurentur, & quæ deficiunt, denuo fiant. Cum Papa ſolenniter celebrat, parat credentiam ſuam in tempore,

& ſervat ea, quæ in Miſſa Papali præſcripſimus. Adinvenit in tempore libros opportunos pro perſona Papæ, tam pro Miſſa, quam pro benedictionibus, abſolutionibus, & aliis divinis officiis, & eos Epiſcopis aſſiſtentibus conſignat: curat diligenter, ut Sacramentum corporis Chriſti nitide & munde ſemper conſervetur in loco convenienti, & quod ſemper ante illud ardet lumen. Cum vero Pontifex in Pontificalibus equitabit, præparet Sacramentum in pulvino ornato, & ſuper equum album faleratum imponi faciat. Equum freno deducit aliquis ex ſuis familiaribus, Clerici capellæ cum laternis præcedent, ipſe vero ferulam manu geſtans, in habitu ſtatui ſuo condecenti equitans ſubſequitur; curabitque, cum ad locum deſtinatum perveniat, ut Sacramentum in loco honeſto, & cum luminaribus reponatur. In conclavi electionis novi Pontificis intereſt, & præparat, quæ ad rem divinam pertinent, & ipſe celebrat coram Patribus, & pro novo Pontifice indumenta congrue ſubminiſtrat. Item in tranſitu vel obitu Pontificis aſſiſtit, adminiſtrat ſacramenta Eccleſiaſtica, niſi Cardinales id faciant: & cum cerimoniariis procurat funus. Et de Sacriſta hactenus in genere; nam particularia latius in locis ſuis poſuimus.

CAPUT XIX.

De officio Protonotariorum.

PRotonotarii officium eſt, notare ea, quæ in publicis Conſiſtoriis geruntur, cum rogantur Procuratore fiſcali, cum opus fuerit, in publicam redigere formam. Ideo oportet eos intereſſe publicis Conſiſtoriis. De officio eorum in Cancellaria nihil ad nos. Pontifici in publicum cum pluviali & mitra exeunti, Protonotarius fimbrias inferiores ſimul junctas deferre debet: nam ad ſiniſtram Pontificis præcedens, caudamque cappæ ſuæ ſibi deferens, ut de Epiſcopis aſſiſtentibus

tibus diximus, ſiniſtram ad extremitatem fimbriarum, dextram ad ſuperiorem partem ante corpus Pontificis tenens proficiſcitur. Cum pervenit ad locum, ubi Pontifex conſiſtit, dimittit fimbrias ad manus Diaconorum, & vadit ad locum ſuum: cum Pontifex in divinis daturus benedictionem ſolennem, Protonotarius accedit, & genuflexus ſuper ſcabellum ſedis Papæ, dum Papa benedicit fimbrias inferiores, a ſiniſtro latere elevat, & cum eis corpus Pontificis tegit ab umbilico & infra: finita benedictione, dimittit fimbrias, & revertitur ad locum ſuum.

CAPUT XX.

De ſervitio Subdiaconi Apoſtolici.

QUæ Subdiaconum agere oporteat, ſpecialiter in Veſperis, aut in Miſſa, dum Papa principaliter celebrat, ſuperius diximus in locis opportunis: nunc generalia quædam ſubjungemus. SUBDIACONI participantes *quinque* ſunt numero noſtris temporibus. Cum Papa in publico procedit, ſive ad divina ſive ad humana negocia, unus ex eis Crucem papalem praefert, ſive equo, ſive pedibus, ſive utcunque. Quando Papa autem exit ad cameram paramenti, ut ſacras veſtes induat, duo ex eis ſunt ibi prope lectum paramenti, qui ſtantes hinc inde poſt Diaconos aſſiſtentes, juvent illos cum Pontificem parant: & illo ſacris induto, unus ex eis capiat Crucem. Inter Crucem & Papam, Cardinales tantum, & qui in eorum ſcamno ſedent, incedere oportet, & nullos alios: duo magiſtri hoſtiarii cum ſuis virgis collateraliter aſſociant Crucem. Subdiaconus Crucem reponit in capella in loco congruo, deinde vadit ad locum ſuum cum aliis, & primum locum obtinent Subdiaconi inter omnes alios Prælatos, ſive officiales non palliatos. Cum Pontifex poſt ſermonem, vel in fine Miſſæ, eſt daturus ſolennem benedictionem,

nem, Subdiaconus accipit Crucem papalem, & ponit ſe ante Pontificem, vertitque Crucifixum verſus Pontificem. Et cum ille incipit: *Precibus, & meritis*, ſive, *Sit nomen Domini*, genuflectit: data benedictione ſurgit, & reponit Crucem in loco ſuo, ſive, ſi eſt recedendum, incipit procedere, & expectat in loco convenienti, quoad Papa appropinquet. In camera *papagalli* reponit Crucem, & vadit ad exuendum Pontificem cum aliis. Sed advertat Subdiaconus cum portat Crucem, ut ſemper Crucifixum vertat ad Pontificem, qui ſequitur: cum autem Pontifex non ſequitur, Crucifixus ſit in parte anteriori. De modo equitandi in Pontificali, & de variis ſervitiis, quæ Subdiaconus in diverſis actibus exhibet Pontifici, adminiſtratione palliorum, in propriis locis abunde ſcriptum eſt.

CAPUT XXI.

De Auditoribus.

Auditores cauſarum Sacri palatii, qui Capellani ſunt Summi Pontificis, debent illi aſſiſtere in divinis, & in omnibus publicis actibus. Illorum Decanus, id eſt, ſenior, in officio ſemper ſervit ſanctiſſimo Domino noſtro de mitra: & tunc habet ſindonem ſericeam ad collum ſupra cappam, vel ſupra ſuperpellicium, & eſt medius inter duos cubicularios ſecretos immediate poſt Papam. Cum igitur Papa apud lectum paramenti induit ſacras veſtes, auditores adſtantes a ſiniſtra genuflectunt, & deficientibus Acoluthis, miniſtrant paramenta eorum loco. In Eccleſia vero, quando ex faldiſtorio aſcendit ad ſedem eminentem, & quoties a ſede ad Altare vel ad faldiſtorium deſcendit, duo Auditores hinc inde elevant inferiores fimbrias veſtimentorum ejus, ne impediant Papam euntem, neve pedes ſupra veſtes imponat: & inclinati pariter cum eo procedunt. Sed advertant, quod ita modeſte veſtes elevent, ne crura Pontificis videantur.

Quando

Quando Pontifex eſt incenſaturus Altare, duo ex eis præveniunt ad Altare; & hinc inde elevant mappam primam, quæ eſt ſuper Altare uſque ad medium Altaris. Deinde expectant ad partem genuflexi, quoad Papa incenſaverit Altare: & mox ſurgentes reſtituunt mappam, ut prius erat. Quod ſi non adſunt alii duo auditores, ut fimbrias elevent, iidem duo elevent prius mappam, & deinde vadunt ad fimbrias Papæ: & ſimiliter poſt incenſationem reponant mappam, & poſtea attollant fimbrias. Item, quotiescunque Papa publice lavat manus, duo ex eis vadunt ad credentiam, & ſenior accipit mantile, & illud duabus manibus elevatis uſque ad faciem, profert ad Pontificem, & illo deoſculato ponit ſupra gremium Pontificis: & genuflexus a dextra, & collega ſuus a ſiniſtra, tenent mantile quoad Papa lotus, manus abſterſerit: deinde, illud cum ſocio reportat ad credentiam, & una manu tantum, tum revertitur ad locum ſuum. Antequam veniat ad Pontificem cum mantili, ſemper tertiò genuflectit: ſimiliter cum Papa eſt diſtributurus candelas, cineres, palmas, ſeu *Agnus Dei*, accipiunt a credentiario mantile, & ponunt ſuper gremium Pontificis, illudque utrinque retinent uſque ad finem diſtributionis. Et generaliter quotiescunque mantile ſeu gremiale portatur ad Pontificem, aut ante eum tenetur, idem fit per auditores: & cum Papa celebrat, unus ex eis continuo ſervit de gremiali, quod ipſe debet accipere a credentia ſacriſtæ, & illud, finito ſuo officio, illuc reportare. Auditor, aut qui ſervit de mitra, cum eſt imponenda mitra, illam dat ad manus Diaconi Cardinalis miniſtrantis a dextra: cum vero eſt removenda, accedit ad Diaconum, qui eſt in ſiniſtra, & ex ejus manibus mitram accipit cum debitis ſemper reverentiis.

CAPUT XXII.

De Magiſtro ſacri Palatii.

MAgiſter ſacri Palatii conſuevit eſſe ex *ordine Prædicatorum:* & ordinarie, quando fit Conſiſtorium, legit in palatio publice aliquid in Theologia. Ad hunc ſpectat ordinare, qui debeat facere ſermones in capella Apoſtolica, & eorum ſermones prævidere, curareque, ut nihil dicatur puritati fidei & gravitati illius loci contrarium: & ſedet vel ſtat ſemper poſt primum auditorem, qui adeſt.

CAPUT XXIII.

De Clericis cameræ.

CLerici cameræ Apoſtolicæ & ipſi adſtant Pontifici cum apud lectum paramenti capit ſacras veſtes, genuflexi ad ſiniſtram poſt Auditores, ad eos pertinet portare enſem benedictum cum pileo ante Papam in nocte, & die Nativitatis *Domini*: tenent vaſa cum auro, & argento, & mantilibus dand*is* pauperibus, quando Pontifex lavat illis pedes. Item ſubminiſtrant Camerario ſive Diaconis aſſiſtentibus candelas, & palmas, quæ diſtribuuntur per Papam, & ſimilia. In ſacris non operantur, niſi in nocte Nativitatis Domini, unus ex eis, qui dicit quintam lectionem loco illius, cui enſis datur.

CAPUT XXIV.

De Acoluthis.

AColuthi Apoſtolicæ ſedis octo ſunt ordinarii. Hi etiam cum Pontifex apud lectum paramenti, & ſimiliter in Eccleſia eſt celebraturus, & induitur ſacris veſtibus, circumſtant genuflexi, & ornamenta ſubminiſtrant Diaconis Cardinalibus.

In

In ſupplicatione & divinis officiis celebrante Pontifice, candelabra, intorticia, ampullas vini & aquæ, thuribulum cum navicella incenſi, vas aquæ benedictæ, cum opus eſt, & ſimiliter portant, & de illis, cum tempus eſt, ſerviunt. Debent igitur, cum Papa eſt celebraturus, omnes intereſſe: quando autem non eſt celebraturus, tres ad minus interſint, & maxime in Veſperis: & tunc portant ſecum ſuperpellicia, quia unus ex eis debet ſervire de incenſo, & duo alii de candelabris, dum Papa dicit orationem. Et ſupra rochetum debent habere ſuperpellicium. In eorum defectu Auditores rotæ juniores ſerviunt.

CAPUT XXV.

De cubiculariis ſecretis, & aliis.

CUbicularii ſecreti duo ſemper Pontificem ſequuntur immediate in capella & in Conſiſtoriis: ſedent non longe a pedibus Papæ, a ſiniſtris, in terra, ſine aliquo tamen ſedili. Hi ſemper intendere debent ad faciem Papæ, præſto facturi, ſi quid eis imperet: ſervant honeſte ſub veſtibus ſudariola, ſive naſitergia, birreta, & ſimilia. Et ſi Pontifex illis vult uti, ea porrigunt Diacono Cardinali aſſiſtenti ad ſiniſtram. Alii cubicularii, ſi Papa fertur in ſede, ipſi cum ſcutiferis portant Pontificem. In divinis non habent aliud officium ſecreti cubicularii. Cum Cardinales veniunt ad reverentiam Pontificis, removent parvum ſcabellum a ſede, & facta reverentia illud reponunt. Et hoc junior ex illis facit, quoties opus eſt, & amovet, & reponit.

CAPUT XXVI.

De Secretariis, & Advocatis.

SEcretarius principalis Sanctiſſimi Domini noſtri, ſi eſt Prælatus, ſedet, vel ſtat in loco ſuæ prælationis in capella:

Si non eſt Prælatus, ſtat inter cubicularios ſecretos: ordinarie nullum habet exercitium in divinis. Si forte aliquæ literæ præſentarentur, eas Pontifex illi conſignare poſſet. In publicis Conſiſtoriis, ſive Prælatus ſit, ſive non, ſedet ad pedes Pontificis in plano ſolii, & inſtrumenta atque literas, quæ dantur Pontifici ab Oratoribus, palam legit: alii Secretarii nullum habent exercitium in publicis actibus. Advocati in divinis nullum habent exercitium. In publicis autem Conſiſtoriis proponunt cauſas, ut ſuperius diximus, cum de publicis Conſiſtoriis ageremus. Advocatus pauperum primo proponit, vel Advocatus Fiſci, ſi eſt cauſa fiſcalis.

SECTIO III.

CAPUT I.

De habitu omnium, tam celebrante Pontifice, quam non celebrante.

Cum Pontifex ſolenniter celebrat, ſive Veſperas, *ſive* Miſſam, Epiſcopi Cardinales, & omnes alii, *qui ſunt* in dignitate Epiſcopali ſive Abbatiali, pluvialibus utuntur, & albis mitris, Presbyteri Cardinales planetis, Diaconi Cardinales dalmaticis, & mitris etiam albis: ſed mitræ Cardinalium ſunt ex ſerico Damaſceno, aliorum ex tela linea: item Epiſcopi & Presbyteri Cardinales plerumque ſub ſacra veſte habent ſuperpellicium, & amictum, aut ſaltem alterum ex his, cum quo veſtium collaria cooperiant. Diaconi, quando paramenta ſunt violacea, aut nigra, utuntur planetis ante pectus plicatis, & non dalmaticis. Et ex decore ſemper debent habere amictum, ut collaria veſtium tegant: Prælati, religioſi, quia non habent rochetum ſub veſte ſacra, habeant ſuperpellicium, & pœnitentiarii Papæ planetas, & ſine mitris. Subdiaconus, qui portat Crucem, & qui lecturus

rus eſt epiſtolam, tunicella induitur: alii Subdiaconi, & Clerici cameræ, & Acoluthi, ſupra rochetum habent ſuperpellicium. Clerici cerimoniarum, Clerici capellæ, cantores Papæ, Capellani Cardinalium, qui ſervant eorum mitras, ſuperpellicium tantum habent.

CAPUT II.

Ubi, & quando capiuntur paramenta.

ET hi omnes, ſi Papa ſupplicatione præeunte deſcendit ad Eccleſiam, quod fieri debet ad Miſſam tantum, & in diebus ſupra nominatis, capiunt paramenta in palatio, videlicet Cardinales in prima camera paramenti, non autem in ſecunda: quæ dicitur *papagalli*. Nam ibi ſolus Papa paratur: Prælati, & alii extra dictam cameram, ubicunque voluerint. Si autem fiunt Veſperæ papales, aut dies eſt non ſupplicationi deditus, qui utuntur ſuperpellicio, poſſunt illud capere in aulis palatii. Sed Cardinales, & alii Prælati, in Veſperis capient paramenta in Eccleſia, facta per Cardinales reverentia ſolenni Papæ, Cardinales apud ſua ſedilia, Prælati extra cancellos capellæ. In Miſſa autem non ſupplicatoria, Cardinales capiunt paramenta in ſuis ſedibus, cum Papa accipit planetam, & ſimiliter Prælati extra cancellum: & finito officio, in eiſdem locis deponunt paramenta omnes, præter Diaconos aſſiſtentes, qui ſacris induti Pontificem, in Miſſalibus ornamentis recedentem, ex congruo, & debito more comitantur uſque ad cameram. Quando autem Papa, celebrata Miſſa, eſſet daturus ſolennem benedictionem populo ex ſuggeſtu, ut in Reſurrectione, omnes Cardinales parati, illuc ſecum proficiſcuntur, & Prælati ſimiliter, & data benedictione dimittunt paramenta: protonotarii cappis ſuis laneis ſemper utuntur, & ſimiliter uti ſolebant.

CAPUT III.

De Auditore, & Correctore.

Auditor contradictarum, & corrector literarum Apoſtolicarum, primum locum habeant poſt protonotarios, qui etiamſi fuiſſent Epiſcopi, aut Archiepiſcopi, non induebant ſacras veſtes, ſed ſequebantur Pontificem poſt Protonotarios: Sed adverte, quod illo tempore Protonotarii præcedebant Epiſcopos: meis autem temporibus de Auditore & Correctore prædictis, nihil vidi ſervari. Cubicularij, & Secretarii eodem habitu utuntur, veſtibus ſcilicet ſolutis, cum manicis ad amplitudinem manus latis, & caputiis circa collum a capite deſcendentibus. Advocati veſtibus manicatis cum variis & caputiis, ut cubicularii: ſed Secretarii & Advocati habent caputia, ſuper collum aliquantulum inverſa. Servientes armorum debent eſſe honeſte armati, cum ſuis baculis argenteis in manu. Et hi ſunt habitus, cum Papa celebrat ſolenniter, aut procedit ad Eccleſiam, ſupplicatione præeunte. Quando autem procedit ſine ſupplicatione, hoc modo utuntur:

CAPUT IV.

De habitu Papæ.

Summus Pontifex, cum in publicum venit ſolenniter, aut habet pluviale, aut cappam in modum Cardinalis, apertam tamen a pectore, & mitram, aut mantum papalem cum caputio ſupra caput. Utitur & mitra ſimplici in officio defunctorum, & in die Veneris ſancti: in matutinis autem quocunque tempore, nunquam utitur mitra, ſed aut cappa lanea, aut manto papali cum caputio ſupra caput: in matutinis tamen in *nocte Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti*, & in compotatione, quæ ſolet fieri poſt Veſperas antecedentes, uti ſolet

ſolet Pontifex cappa purpurea, pellibus armilinis duplicata. Quam, ut legi, primus invenit BONIFACIUS IX. duobus tamen utitur coloribus, albo & rubro, utroque in pluviali: in ornamentis autem Miſſalibus utitur colore tempori congruente, & cum mitra ſimplici, ſtola violacea: in aliis vero veſtibus non ſacris ſupra rochetum rubro tantum, niſi a Sabbato Sancto uſque ad ſabbatum in Albis incluſive. Et infra rochetum utitur ſemper toga alba, & caligis rubris cum ſcandaliis, aurea Cruce ornatis.

CAPUT V.

De habitu Cardinalium.

Reverendiſſimi Domini Cardinales, cujuscunque ſint ordinis, utuntur ſemper in capella, & in publico, cappa ampla ſupra rochetum, coloris violacei, plus vel minus clari, aut obſcuri blavi, ſive æreı, & aliquando rubri, ſed rarius. Nam ruber color proprie ad Papam pertinet, & ad Legatos, qui mittuntur de latere extra Italiam, vel ad aliquod negotium. Nam in iſtis caſibus Pontifex ſolebat donare legato mantum rubrum cum capputio, & in illo habitu dabat audientiam legatis in ſua provincia. PAULUS II. inſtituit, quod Cardinales bireto rubro uterentur, & ſuper equis ſive mulis rubris ſtratoriis. Cappa Cardinalis poteſt eſſe ex lana, ſive ex zamelloto. Et in officiis defunctorum, & ſede vacante, & a quarta feria majoris hebdomadæ, uſque ad ſabbatum ſanctum, ſolebant uti cappis ſuis obſcuris cum pellibus de griſeis, & non de variis: hoc tamen hodie non ſervatur, ſed a Veſperis omnium Sanctorum incluſive uſque ad mane Dominicæ Reſurrectionis, excluſive utuntur albis pellibus de variis. In reliquo tempore utuntur ſerico rubri coloris loco pellium.

CAPUT

CAPUT VI.

De habitu Prelatorum.

ALii Prælati, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii: Item & Subdiaconi, Auditores rotæ, Clerici cameræ, & Acoluthi omnes utuntur cappis laneis ſupra rochetum, ut Cardinales: ſed non ex zamelloto, neque coloris rubri, aut violacei nimis clari. Prælati aſſiſtentes Papæ, cum Pontifex habet mantum cum capputio inverſo ſupra caput, debent & ipſi habere mantellum, alias crociam appellatum, & circa collum capputium, ſicut cubicularii, & non ſupra caput: & hoc ſi Papa habet mantum, & non aliter. Prælati extra Eccleſias ſuas non utuntur cappa ampla, niſi in Romana Curia, cum adſunt ſacris ſive profanis, vel publico Conſiſtorio cum Pontifice in ejus capella, cappas tamen non capiunt, neque deponunt intra cancellos capellæ, neque in prima aut ſecunda camera paramenti, ſed extra, ubi voluerint: ſic etiam ſacras veſtes.

CAPUT VII.

De habitu Cardinalium, & Prelatorum religioſorum.

PRælati ex ordinibus mendicantium vadunt cum ſuo habitu etiam in Cardinalatu, niſi quod ſunt ampliores, & lanæ magis precioſæ. Ex Monaſticis autem utuntur cappa ampla colore nigro cum pellibus nigris, ut noſtro tempore NICENUS & ATREBATENSIS Cardinales, velut vidi aliquos Abbates cum pellibus griſeis, vel ſi ſunt alterius coloris, Prælati utuntur habitu ſui ordinis, ſed ampliori, & non utuntur rocheto. Aſſumpti autem ex canonicis regularibus, quia in ſuo ordine portant rochetum, deferunt etiam in Prælatura,

latura, ſed utuntur capella, ut alii religioſi, videlicet nigri coloris ſupra & infra per totum: inferiores officiales utuntur habitu ſuperius dicto.

CAPUT VIII.

De habitu ſermonem habituri.

ILle autem, qui orat in capella, ſi eſt Epiſcopus, vel Abbas, cum pluviali orat, & cum mitra. Si electus tantum, & ſecularis, orat in cappa ſupra rochetum: ſimiliter, ſi eſt inferioris ordinis, & in capella portat cappam & rochetum, & cum illis orat. Si non portabit rochetum, neque cappam, tunc oraturus aſſumit cappam tantum ſine rocheto, & finita oratione, ad partem illam dimittit extra capellam. Mendicantes, & allii religioſi, orant in ſuo habitu.

CAPUT IX.

De circulis Cardinalium, qui fiunt ante Papam.

DOmini Cardinales primum, dum Papa in camera ſui paramenti accipit ſacras veſtes, faciunt circulum ante ſuam Sanctitatem, ſtantes capite detecto: ſed conſuevit Pontifex illos invitare, ut cooperiant caput, & tempore frigoris monere iterum, ut tegant: quod ipſos tandem facere, convenit. Et hic ſenior erit ante ſiniſtram Papæ, & alii per ordinem illum ſequentur. Secundo Domini Cardinales veniunt ad circulum ad Introitum, facta reverentia ante Miſſam, hoc modo: Junior Diaconus incipit, & ponit ſe, factis reverentiis Altari, & Papæ, in ultimo loco contra ſiniſtram Pontificis: Senior in loco primo, & viciniori Papæ: junior vero ex Presbyteris Cardinalibus primo ſe movet a loco ſuo, & ponit ſe haud longe a juniore Diacono ante faciem Papæ: & illum ſequun-

ſequuntur Presbyteri, & deinde Epiſcopi, incipiendo ſemper a junioribus, ita ut ſenior Epiſcopus Cardinalis deſcendat tantum de gradu, in quo ſedebat, & teneat primum locum, & viciniorem ad Pontificis dextram. Hoc ordine veniunt ad circulum Domini Cardinales ad *Introitum*, *Kyrieeleiſon* & *Gloria*, ſimul ad *credo*, ad *Sanctus*, & ad *Agnus Dei*. Præveniunt, quando datur tempus, maxime ad *Sanctus*, & ad *Agnus Dei*. Stant ſemper, & in via, & dum ſunt in circulo, capite detecto, veniendo & redeundo faciunt Altari reverentiam, & Papæ. Cum vadunt, juniores incipiunt: cum revertuntur ad ſedes, incipiunt Seniores & Diaconi, poſt Presbyteros omnes. In Miſſis tantum veniunt ad circulum, & non in Veſperis: & in Miſſis pro defunctis non veniunt ad circulum, neque in ſexta feria Paraſceves, in diebus ferialibus veniunt.

SECTIO IV.

CAPUT I.

De habentibus ſermonem in capella Papæ, & primo de Papa.

SUmmus Pontifex non conſuevit facere ſermonem alio quopiam celebrante, ſed tantum, dum ipſe celebrat: & tunc, ſi Altare eſt apud parietem, ita ut Prælati, & omnes ſint inferius, ut in capella palatii. Tunc Papa deſcendit e ſede eminenti, & ſedet ante Altare ſuper faldiſtorium, vel ſedem ibi paratam, vertens faciem ad populum, & renes ad Altare, & poſt eum Diaconus Evangelii, deinde Diaconus aſſiſtens a dextris: a ſiniſtris vero ſedet Diaconus tantum, & qui cum illo Altari aſſiſtit Subdiaconus Apoſtolicus: & ſi ſunt Græci, Diaconus & Subdiaconus, ſedent in ſecundo gradu ad illorum pedes, hinc inde, Græci a dextris, Subdiaconus ſolus a ſiniſtris. Poſt ſermonem Diaconus Evan-

Evangelii facit confeſſionem, Cardinalis aſſiſtens annunciat indulgentias, & Papa dat benedictionem, ſtans in eodem loco more conſueto: deinde revertitur ad ſedem eminentem, & ibi dicit *Credo*, vel *Dominus vobiſcum*, pro temporis exigentia autem ſedes Papæ non infra, ſed ſuper Altare eſt in Eccleſia Sancti Petri, & ſimilibus, tunc Papa, qui avertit faciem ad chorum & ad populum, ſedens in prædicta ſede ſua, facit ſermonem, & omnes ſedent in loco conſueto.

CAPUT II.

De Cardinalibus.

Cardinales non faciunt ſermonem in capella Papæ, niſi celebrante Pontifice, vel cum ipſemet Cardinalis celebrat. Si facit ſermonem in Miſſa papali, ipſe, vel Epiſcopus, ſive Presbyter ſit, debet aſſiſtere in officio capellæ, etiamſi non ſit Prior, & in tempore cum pluviali, & mitra facere ſermonem. Si vero ipſe celebrat, dicto Evangelio ipſe deponens caſulam, accipit pluviale, & vadit ad oſculum manus Pontificis, petit benedictionem, & indulgentias, & aſcendit pulpitum, & cum mitra ſimplici orat. Et nota, quod Diaconus Cardinalis non prædicat in capella Pontificis, neque alius quiſpiam non Prælatus, niſi ſit doctor in Theologia, ſecundum antiquas & probatas cerimonias: quamvis hodie non modo inferioris gradus viri, ſed ſine dignitate, aut ſacro ordine, in ſtudiis humanitatis tantum docti, non ſine loci & ordinis Pontificalis dedecore, onus orandi in totius orbis graviſſimo, ac celeberrimo conſeſſu ſibi aſſumant. Epiſcopus ſi orat, debet etiam celebrare ordinarie, & orat, ut de Cardinali diximus, niſi quod Pontifici genu, non manum oſculatur. Si non celebrat oraturus ſuper rochetum vel ſuperpellicium, induit pluviale, & cum mitra orat: idem facit in abbatiali dignitate conſtitutus.

Si oraturus eſt officialis palatii, qui portet rochetum & cappam, non tamen Prælatus: Si autem non utitur rocheto, orat cum cappa tantum. Religioſi non Prælati orant cum ſuo habitu. Oraturus igitur, finito Evangelio, cum habitu ſibi condecenti offert ſe Clerico cerimoniarum, qui, poſtquam Papa eſt oſculatus librum Evangeliorum, & incenſatus ſederit cum mitra in ſua ſede, ducit oraturum cum reverentiis conſuetis ad pedes Pontificis, quos orator genuflexus oſculatur. Tunc erecto capite dicit: *Jube Domine benedicere*, & Pontifex: *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut digne, & fructuoſe annuncies verba ſua ſancta, in nomine Patris &c.* Et orator iterum: *Indulgentias Pater ſancte:* & Papa concedit indulgentias, prout ſibi placet.

Conſueverunt tamen Pontifices noſtro tempore, quando Prælatus celebrat, dare quinque annos, quando Cardinalis, ſeptem annos; in maximis vero ſolennitatibus decem annos; quando vero ipſemet celebrat, plenariam indulgentiam, & aliquando decem annos. Sed cum annis annunciantur ſemper totidem quadragenæ. Majores noſtri erant aliquanto parciores in iſtis indulgentiis: & raro in Miſſa papali ſe extendebant ad ſeptem annos. Orator, audito Pontificis mandato de indulgentiis, cum reverentiis conſuetis vadit ad pulpitum, & eo conſcenſo quieſcit aliquantulum, dum ſe componat cum capite cooperto, & eſt cum mitra, ſi illa utitur: incipit ſuam orationem, ſigno Crucis tamen ante ſe præmuniet. Cum nominat Pontificem, aut in ejus aſſiſtentia Cardinales, detegit caput, & ſe profunde inclinat verſus Pontificem, ad Cardinales aliquantulum caput hinc inde flectit. Cum dicit *Ave Maria,* genuflexus orat: inter orandum cum Pontificem appellat, caput detegit, alioquin ſemper eſt coopertum. Finito ſermone, caput detegit, & expectat; Diaconus autem Evangelii ductus ante Pontificem, dicit alte: *Confiteor Deo, &c.* & tunc Papa & omnes ſurgunt. Sed Papa

etiam

etiam celebrans, finito *Confiteor,* cum mitra diſcedit: Diaconus, & qui oravit, ſtans adhuc in ſuggeſtu, pronunciat indulgentias a Pontifice conceſſas, & ſtatim deſcendit, & vadit in pace: Interim vero aſſiſtentes Papæ accedunt ad ejus pedes cum libro & lumine, & Subdiaconus Apoſtolicus Crucem Papalem ante ejus faciem ponit. Et Pontifex ſine mitra dicit, *Precibus & meritis, &c.* & dat benedictionem more ſolito, Protonotario fimbrias anteriores elevante.

SECTIO V.

CAPUT I.

De quibusdam extraordinariis, & regulis generalibus: & primo de Auditore & Correctore.

Auditor contradictarum, & Corrector literarum Apoſtolicarum ſunt antiqui officiales Romanæ curiæ: & ut legi in *conſtitutionibus dicti officii* contradictarum, per EUGENIUM IV. confirmatis, ſub *Data Florentiæ, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo, quadringenteſimo, trigeſimo quarto, ſexto Idus Februarii, ſui Pontificatus anno quarto,* ſtatuit EUGENIUS, auditorem prædictum in capella, & Conſiſtorio, & locis omnibus, juxta laudabilem curiæ conſuetudinem, primum locum inter omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, & inferiores, oratoribus Principum, dominorum, ſeu communitatum, exceptis in eundo, ſtando & ſedendo obtinere: poſt quem, ſtatim ſequi voluit *Correctorem literarum Apoſtolicarum.* Legimus etiam in pluribus *libris cerimoniarum,* quod in ſupplicationibus ibant immediate poſt Protonotarios cum ſuis cappis laneis, poſt Pontificem, etiamſi fuiſſent Archiepiſcopi, aut Epiſcopi: nam tunc alii Prælati præcedunt Papam cum paramentis, & mitris. Quod ſi Prælati alii non erant parati, ſequebantur Papam poſt Protonotarios & Audito-

ditorem, atque Correctorem: qui duo ſedendo ſemper erant poſt Protonotarios ante alios Prælatos. De Protonotariis ſcimus decretum fuiſſe a PIO II. in *conventu Mantuano*, quod deinceps non præcederent Epiſcopos aut ſuperiores, & ita ſervatur. De Auditore & Correctore prædictis, meo tempore nunquam fuit habita ratio in capella Papæ, neque præſcriptus eis locus aliquis eundo, aut ſedendo. Hæc omnia volui addere, ut nemo videatur prætermiſſus. Quid deinceps ſervandum ſit, majores ſtatuant.

CAPUT II.

De incenſatione Altaris, & aliorum ordinarie.

SEcundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, in Veſperis ſemel tantum fit incenſatio, id eſt, *ad Magnificat:* & tunc incenſat Papa Altare, incenſatur ipſe, & deinde alii omnes. In Miſſa poſt confeſſionem incenſat Altare celebrans, incenſatur ipſe, & Papa tantum ad Evangelium, Diaconus incenſat librum in principio: in fine Papa incenſatur, & eo abſente celebrans tantum. Poſt offertorium celebrans incenſat oblata & Altare, incenſatur ipſe, deinde Papa, & demum omnes alii ordines capellæ: ad elevationem Sacramentum tantum incenſatur. Incenſatio autem fit hoc ordine: Acoluthus ſive cerimoniarius accipit thuribulum cum prunis ardentibus ex loco convenienti, & ponit catenularum annulos in manu ſua ſiniſtra, ita ut dependeat thuribulum: naviculam autem incenſi portat dextra cum apertura naviculæ a parte exteriori, & factis in tempore reverentiis Altari & Papæ, annuit Cardinali aſſiſtenti, qui ex loco ſuo accedit ad dextram Papæ, & cerimoniarius poſt eum accedens, ubi iterum genuflexit in plano ante Pontificem, ſurgit, & naviculam dat in manibus Cardinalis aſſiſtentis: qui illam ambabus manibus tenens, vertit aperturam, ubi eſt coclear verſus Pontificem, dicens:

dicens: *Benedic, Pater ſancte.* Cerimoniarius autem interim cum dextra manu aperiens late thuribulum, & per catenulas inter ſummitatem, & infimam partem illud retinens, partem inferiorem, ubi ſunt prunæ, ſupponit manibus Pontificis, ita ut ipſa pars inferior æquetur naviculæ in manu Cardinalis aſſiſtentis: & Pontifex capiens cum cocleari incenſum, tertiò ponit in thuribulo, interim dicens: *Ab illo benedicaris &c.* & in fine facit ſuper illud ſignum crucis. Cardinalis aſſiſtens interea ſtat inclinato capite, & antequam Papa accipiat coclear, illud oſculatur: & cum Papa illud accipit, & iterum, dum reponit, oſculatur ejus manum, & demum reddit naviculam cerimoniario, qui, ut venerat, revertatur ad locum ſuum, & ſimiliter Cardinalis aſſiſtens. Cerimoniarius vadit ad Altare, tradit thuribulum adolens Diacono Evangelii: qui illud ponit ad manus celebrantis, annulos videlicet catenularum in ſiniſtra, & catenulas juxta ſummitatem thuribuli in dextra. Celebrans ſine mitra ſtans ante medium Altaris, primò inclinat caput verſus Altare, illi reverentiam faciens: tum ſi ſint ibi oblata, id eſt, calix & hoſtia, facit ſuper ea ter ſignum Crucis cum thuribulo, incipiens ab Altari, & ducens verſus ſe, & deinde in transverſum. Tunc facit ſuper eadem circulos duos cum thuribulo a dextra in ſiniſtram, & tertium e contrario a ſiniſtra in dextram: deinde iterum ſe inclinat Cruci, & elevatis manibus tertiò thuribulum tractim ducens, illam reverenter incenſat, & rurſus caput illi inclinat, tum incenſat bis imaginem a dextra parte Crucis, & toties imaginem a ſiniſtra. Procedit deinde a ſiniſtra, & tractim incenſat ſuperiorem partem Altaris, ſive ſint ibi imagines, ſive picturæ, ſive candelabra tantum. Si vero ſunt ſuper Altari imagines, incenſata Cruce, quæ eſt in medio, procumbit ad ſiniſtram partem Crucis, ut diximus. Cum pervenit ad cornu Altaris ſiniſtrum, ubi dicitur Epiſtola, flectit manum,

ſe in-

ſe inclinans aliquantulum dextrorſum, & incenſat inferiorem partem ipſius cornu, bis ducens thuribulum: tum aſſurgens vertens ſe, incenſat ſuperiorem partem Altaris, uſque ad Crucem, & iterum ſe inclinans, incenſat reliquam partem ſuperiorem uſque ad cornu dextrum, ubi pariter ſe inclinans incenſat, ut de ſiniſtro diximus. Vertens ſe deinde incenſat inferius anteriorem partem Altaris a dextro in ſiniſtrum cornu, & cum tranſit ante Crucem, vertit ſe ad eam, & illi caput inclinat. Cum eſt in ſiniſtro cornu, firmans ſe, tradit thuribulum Diacono, & accipit mitram, & a Diacono incenſatur. Tum Diaconus tradit thuribulum Cardinali aſſiſtenti, qui ſurgens vadit ante gradus ſolii Pontificis, & genuflexus ſupra infimum gradum, incenſat Pontificem ſedentem cum mitra ter ducens thuribulum. Deinde, reddito thuribulo Diacono, ſurgit, & vadit ad ſuum ſcabellum. Diaconus autem ſtans ante eum, inclinat caput primo, deinde incenſat, bis thuribulum ducens. Et nota, quod hæc incenſatio ſive circa Altare, ſive circa Papam, ſive Cardinales, fit tractum modeſte, quiete, & ſine ſtrepitu, ac *ſine* properatione. Cardinales autem antequam accipiant incenſum, quiſque ſemper invitat alium ſubſequentem, caput verſus illum inclinando. Cardinalis aſſiſtens invitat Diaconum a dextris, & ille deinde ſuo tempore Diaconum a ſiniſtris; qui nullum invitat. Primus inter Epiſcopos Cardinales invitat ſubſequentem, & ſic uſque in finem ſedium Epiſcoporum, & Presbyterorum. Quod ſi quis Presbyterorum eſſet in ſede Diaconorum, ultimus in prima ſede invitat primum alterius ſedis Presbyterum, qui ſedere debet in fine ſcamni: & ultimus inter Presbyteros invitat primum Diaconum, ſedentem in capite illius ſcamni. Incenſato igitur Cardinali aſſiſtente, Diaconus Evangelii tranſeundo genuflectit ante Pontificem. Et primò ſe inclinat, deinde bis incenſat, & iterum ſe inclinat ante Diaconum Cardinalem a dextris:

idem

idem facit Cardinali Diacono a ſiniſtris: deinde vadit ad primum Epiſcopum Cardinalem. Et quoties tranſit ante Papam, genuflectit, incenſat pariformiter & reliquos Cardinales, Epiſcopos primum, tum Presbyteros, & demum Diaconos iisdem cerimoniis. Nam ſingulis primo ſe inclinat, tum bis ducens thuribulum incenſat, demum rurſus ſe inclinat. Idem facit REGI inter Cardinales, vel Principi, qui in eorum ſcamnis ſedent. IMPERATOREM autem non Diaconus Evangelii, ſed primus Epiſcopus non Cardinalis aſſiſtens Papæ, incenſat ſtans, & bis thuribulum ducens, & immediate poſt Papam. Alios omnes incenſat Diaconus Evangelii, Pontifice non celebrante. Clericus cerimoniarum ducit Diaconum incenſantem: quem, ſi non eſt aſſuetus officio, inſtruit, & genuflexiones atque inclinationes omnes primo facit. Si vero expertus eſt, factis primo reverentiis, retrahit ſe ad partem, & expectat ejus progreſſum, advertens tamen, ne erret. Incenſatis Cardinalibus, ſi quis magnus Princeps eſt in ſupremo gradu ſedis Pontificalis, ut puta aliquis DUX EX MINORIBUS, ſive præfectus urbis, ſive capitaneus Eccleſiæ, aut frater, ſive nepos Pontificis, quos Pontifex vult honorare, incenſantur ante aſſiſtentes. Sed neque fiunt ante eum inclinationes, & ſemel tantum ducitur thuribulum. Poſt hos incenſantur ſimiliter aſſiſtentes Papæ, deinde Vice-Camerarius, & Oratores Cæſaris, ſi ſunt præſentes, tum Senator urbis, poſt eum Oratores Prælati, ſi inter eos ſint aliqui Regii: Inde Oratores Regum, & Principum non Prælati. Quod ſi Vice-Camerarius abeſt, incenſantur Cæſaris Oratores ante alios, ubicunque ſint, deinde ſenator, tum Oratores Prælati, ſi ſunt Regii inter eos, ſin minus, incipitur a laicis: ſi ſunt Regii, & cæteris paribus, a Prælatis ſemper incipitur, neque refert, an potentior ſit Rex vel Princeps, laici quam Prælati, dummodo ejusdem dignitatis ſint. Et ab ea parte, qua incipitur præſentibus *imperia-*

libus, incenſantur omnes oratores, etiam minores. Et hoc etiam in Vice-Camerarii præſentia obſervatur. Inde Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii, Abbates, generales ordinum, & pœnitentiarii Papæ, qui omnes ſedent in ſedibus. Inde revertitur ad ſolium Pontificis, & ibi incenſat conſervatores urbis, Barones, & alios nobiles ibi ſedere ſolitos, tum Subdiaconum Apoſtolicum a dextris Papæ, & alios cappatos ab ea parte, deinde Subdiaconum a ſiniſtris, & poſt eum auditorem, qui ſervit de mitra ſanctiſſimo Domino noſtro. Deinde alios cappatos Subdiaconos, Auditores, Clericos cameræ, & Acoluthos, tum Cubicularios ſecretos & Secretarium, ſi eſt cum eis. Inde Capellanum aſſiſtentem celebrantis, & Subdiaconum epiſtolæ. Inde cubicularios alios Advocatos, & Secretarios mixtim, & demum Procuratores ordinum. Si Magiſter ſacri hoſpitii adeſt, qui ſtare ſolet apud finem ſcamni Presbyterorum Cardinalium, incenſatur poſt nobiles ſedentes circa pedes Papæ. Poſt Procuratores incenſantur Capellani celebrantis, ſtantes in ſuperpelliciis, & deinde ſcutiferi Papæ, & alii nobiles, qui ſunt cum iis: *tum* magiſter hoſtiarii, & ſervientes armorum, qui ſunt apud portam cancelli: reverſus demum ad credentiam, credentiarios & cerimoniarium: & ipſe in fine a credentiario incenſatur.

Et nota, quod omnes, qui accipiunt incenſum, debent ſtare, & non ſedere, & eſſe capite detecto, exceptis Papa & celebrante, qui cum mitra accipiunt incenſum. Papa in principio Miſſæ, & poſt offertorium ſedens incenſatur. Advertat Diaconus, & non incenſet, qui non aſſurgunt. Quando Papa celebrat, Acoluthus ſervit de incenſo, & Diaconus Cardinalis Evangelii incenſat Papam, Cardinales, Principes, qui cum eis ſedent, & Epiſcopos aſſiſtentes. Inde ipſe incenſatur ab uno ex Subdiaconis Apoſtolicis, non tamen ab eo, qui cantat epiſtolam, & ille incenſat alios: in Veſperis ſolennibus Papalibus cum paramentis idem Subdia-

conus

conus incenſat. In Veſperis ſine paramentis Acoluthus ſervit de thuribulo, & incenſat omnes præter Pontificem. Abſente Pontifice, Capellanus aſſiſtens Cardinalis facientis officium, debet incenſare, ſine pluviali tamen: nam illo in Veſperis non utitur, in cujus locum, ſi non eſt apertus, ſubſtituitur Diaconus Papæ, cum ſuperpellicio tamen.

CAPUT III.

De ordine dandi pacem inter Miſſarum ſolennia.

QUando Papa celebrat, oſculato Altari, dat primò pacem Cardinali Epiſcopo aſſiſtenti, qui ab ejus dextra genuflexus primò oſculatur Altare, & deinde accipit oſculum a Pontifice, eique dicenti *Pax tecum*, reſpondetur: *Et cum ſpiritu tuo.* Deinde Pontifex vertit faciem ad cornu Epiſtolæ, & recipit ad oſculum pacis duos Diaconos aſſiſtentes, ſicut receperat Epiſcopum Cardinalem. Si autem IMPERATOR ſit præſens, primò illum recipit ad oſculum pacis, deinde Cardinalem Epiſcopum, & duos Diaconos aſſiſtentes. Epiſcopus Cardinalis deinde dat pacem primo Epiſcopo Cardinali exiſtenti cum aliis Cardinalibus, primo Presbytero, & primo Diacono exiſtenti apud ſcamna: Item Principi laico, qui ſedet in ſcamno Cardinalium, & demum primo Epiſcopo Cardinali aſſiſtenti Papæ, & in fine Subdiacono Apoſtolico, qui aliis pacem diſtribuit: & ipſe Epiſcopus Cardinalis revertitur ad Summum Pontificem. Quando autem aliquis Cardinalis, ſive Prælatus, celebrat Pontifice præſente, Cardinalis aſſiſtens dicto *Agnus Dei*, recedit de circulo, & factis reverentiis aſcendit ad Altare, & genuflexus illud oſculatur primum. Tunc ſurgens capit pacem a celebrante, & deinde aſcendit ad Papam, cui dat oſculum pacis, ut ſupra: deinde revertitur ad locum ſuum cum aliis Cardinalibus, & alii Diaconi

aſſiſtentes, deſcendentes a latere Pontificis, factis reverentiis ſimiliter aſcendunt ad Papam, & capiunt ab eo oſculum pacis. Et ſi adeſt Imperator, accipit pacem a Pontifice ante Diaconos Cardinales aſſiſtentes, faciens reverentias, genuflectendo tamen, non inclinando ſolum. Interim vero Capellanus aſſiſtens celebrantis, cum pluviali ductus a cerimoniario, relinquens librum Miſſale ad manus Diaconi Evangelii cum reverentiis ſolitis accedit ad Cardinalem aſſiſtentem, & ab eo accipit oſculum pacis, & ſe ei inclinat, antequam capiat: & poſtquam acceperit pacem, dat pacem Priori Epiſcoporum Cardinalium, tum Subpriori Epiſcoporum, inde primo ex Diaconis in ſede, demum Principi laico, ſi quis adeſt in ordine Cardinalium: & his omnibus inclinat ſe primo, & poſtea deinde dat pacem præfecto, ſive magno Principi, qui ſedet ad Papæ pedes, inde primo Epiſcopo aſſiſtenti, tum Vice-Camerario, qui eam dat Prælato, juxta eum ſtanti: & ille alteri, & ſic cæteri: deinde Oratori Cæſaris laico vel Prælato, & ille alteri oratori juxta eum ſtanti, etiam ſi alter non ſit imperialis vel regalis orator, & ſic de aliis. Tum ſenatori, *inde* 1. Epiſcopo in 2. ordine, & 1. in 3. & ſic de *aliis*, ſi ſunt plures ordines Epiſcoporum: deinde primo Protonotario in illorum ordine, qui ſunt in eiſdem locis ſive Abbates, ſive generales, aut pœnitentiarii, accipiunt pacem a ſuperioribus. Interea ſi celebrans jam perfecit communionem ſuam, revertitur aſſiſtens Capellanus ad Altare, & cerimoniarius accipit ab eo pacem, & diſtribuit reliquis, quibus ille non dederat. Poſt nominatos primo dat pacem nobilibus, & baronibus, qui ſunt ad pedes Papæ, deinde magiſtro ſacri hoſpitii ſi adeſt, cum Subdiacono a dextris, & ille reliquis cappatis ab eo latere: inde Subdiacono a ſiniſtris, & ille ſimiliter ſuis cappatis, deinde Auditori ſervienti de mitra, & ille ſecretis cubiculariis, tum alteri cerimoniarum Clerico, deinde Diacono Evangelii, & ille Subdiacono, inde primo ex

cubi-

cubiculariis, primo ex Advocatis, ſive Secretariis, deinde primo ex Procuratoribus, tum primo ex Capellanis celebrantis, poſtea antiquiori ex ſcutiferis Papæ, primo ex hoſtiariis, & primo ex ſervientibus armorum, & ſic eſt finis. Abſente vero Vice-Camerario, dat primo Oratori Cæſaris, & ille alteri, ut ſupra dictum eſt: tum Senatori, deinde primo Oratori Prælato, ſi Cæſaris Orator eſt laicus, vel non Prælatus: ſin autem dat primo Oratori laico, ſeu non Prælato, & aliis, ut ſupra diximus. Quod ſi etiam Oratores Cæſaris non interſint, dat Senatori, tum Oratoribus Prælatis, ſi inter eos ſint Regii, ſin minus, incipitur a laicis: ſi ibi ſunt Regii, & cæteris paribus, & Prælatis.

CAPUT IV.

Quando Papa lavat manus ante Miſſarum ſolennia, & actibus publicis.

PRinceps, nobilis, ſive Orator, qui aquam ferre debet ad lavandum manus Pontificis, in tempore vocatur a cerimoniario, & a duobus ſervientibus armorum conducitur ad credentiam Papæ, & cum eo duo Auditores rotæ. Hinc apud credentiam imponitur circa collum mappula ſericea longa, quæ utrinque ante pectus ei dependet, manu dextra capit inferiorem pelvim, in quo credentiarius aquam imponit, & nobilis aliquantulum aquæ ex pelvi imponit in vaſculum, quam credentiarius prægustando bibit: tum ſiniſtra manu capit ſuperiorem pelvim, & a magiſtro hoſpitii, vel ſcalco Papæ, cooperiuntur pelves, mappula à dextra parte pendente, Tum elevatis manibus cum pelvibus uſque ad oculos, adjuvantibus hinc inde magiſtro hoſpitii, & ſcalco Papæ, vel ſaltem altero, ſi alter abeſt, ad Pontificem proficiſcitur hoc ordine: *Primò* præcedunt duo ſervientes armorum, hos ſequuntur cerimoniarii, qui genuflexiones, & geſtus oſten-

 dunt,

dunt, tum duo Auditores, quorum ſenior portat duabus manibus mantile, quod a credentiario acceperat, illo prius ab eo oſculato: demum nobilis cum pelvibus aquæ, medius, ut diximus, inter Magiſtrum hoſpitii, & Scalcum. Cum transeunt ante Altare, omnes genufleĉtunt, & antequam ad Pontificem perveniant, tertiò genu terram tangunt. Cum pervenerint ad ejus pedes, auditor mantile deoſculatum deponit ſuper genua Pontificis, & Diaconi aſſiſtentes illud explicant, & ipſi Auditores genuflexi hinc inde, extremitates mantilis retinent. Cardinalis aſſiſtens interea, ſive Epiſcopus, ſive Presbyter, accedit ad Pontificem, & ponit manus ad pelves: nobilis aquam portans elevata ſuperiore pelvi, poſitaque in loco inferiori, ſuper ejus labium imponit pauxillum aquæ, quam prægustando ſorbet: & deinde adjuvante aſſiſtente Cardinali, infundit aquam ſuper manus Pontificis in ſubjectam pelvim, dextra ſuperiorem cum aqua, inferiorem ſiniſtra, ubi aqua recipitur, retinens. Interim laici omnes circumſtantes genufleĉtunt, Cardinales ſurgunt ſine mitris, Prælati ſurgunt deteĉto capite, lotis manibus. Diaconi aſſiſtentes replicant mantile ſuper manus Papæ. Nobilis iisdem reverentiis, & ordine revertitur ad credentiam Papæ. Auditor reaſſumpto mantili, cum ſocio ſequitur nobilem, & id reddit credentiario, & revertitur ad locum ſuum. Hic ordo ſervatur, quotiens Papa publice lavat manus, & quando celebrat: quia quater ſunt lavandæ manus. Incipitur a minus digno, ita, ut dignior, etiamſi eſſet REX, aut IMPERATOR, ultimo ferat aquam ad manus Pontificis.

CAPUT V.

De luminaribus in capella Papæ, & ſacris Imaginibus ſuper Altare.

Super Altare, cum divina peraguntur, ſive Cardinalis, ſive alius Prælatus celebret, candelabra ſex ſuper Altare, ſuper creden-

credentiam vero duo cum luminaribus ſemper habentur: ad Evangelium luminaria duo, ad elevationem Sacramenti funalia quatuor, ſuper cancellos capellæ, ſi Cardinalis celebrat, ſex, ſi alius Prælatus, quatuor funalia ardent. Si Papa celebrat, ſuper Altare candelabra ſeptem ardent, ſuper credentiam duo, ad Evangelium Latinum ſeptem, ad Evangelium Græcum duo, ad elevationem Sacramenti funalia octo, ſuper cancellos octo, ad ſupplicationes Papales ſemper candelabra ſeptem. Quando Papa non eſt præſens, duo candelabra ardent. Si Papa celebrat in aliqua Eccleſia, ubi ſedes eminens multum diſtet ab Altari, ut in *Eccleſia Lateranenſi*, vel in *Eccleſia Sancti Pauli* de urbe, tunc cum corpus & ſanguis ex Altari defertur ad Papam, octo funalia, quæ ibi permanent accenſa uſque poſt communionem, feruntur ante Sacramentum, primò ante corpus, deinde ante ſanguinem: neque extinguuntur, antequam ſit completa communio. Imagines & Reliquiæ ponuntur ſuper Altare, quando utuntur mitra auriphrygiata, & non aliter.

CAPUT VI.

De miniſtris celebrantium.

CArdinali divina celebranti adeſſe debent Diaconus & Subdiaconus cum ſuis paramentis opportunis, Capellanus aſſiſtens cum ſuperpellicio & pluviali, ſerviens de mitra cum ſuperpellicio, & mappula longa ad collum, & ſeptem alii Capellani cum ſuperpelliciis, qui ſervire debent, unus in ſuſtinendo librum ſupra caput, unus in ampullis, alius in tenendo thuribulo, & quatuor in tenendis candelabris in Evangelio, & funalibus in elevatione, & juniores debent ſervire in iſtis ultimis: totidem aderunt celebranti Veſperas. Prælato autem non Cardinali, ultra Diaconum, Subdiaconum, & aſſiſtentem cum pluviali, aderunt quatuor alii tantum miniſtri cum ſuperpelliciis: in credentia pro Cardinali erunt tres ſcutiferi, pro Prælato duo tantum.

CAPUT

CAPUT VII.

De Evangelio, & Epiſtola græce legendis.

EVangelium & Epiſtola græce leguntur, quotieſcunque Pontifex Romanus publice & ſolenniter celebrat, ſi illi placuerit: & in hoc non eſt aliqua feſtivitas magis privilegiata, quam alia. In coronatione Pontificis legi obſervatum eſſe, vocari ad hoc monachos ex monaſterio *cryptæ Ferratæ*, ſi Romæ fiat, qui ſunt fere in ſuburbiis, & linguam ac ritum Græcanicæ Eccleſiæ ſervare conſueverunt: ego tamen nunquam vidi illos in tali exercitio. Habeantur igitur duo, qui docti ſint, & linguam græcam bene noverint: neque adhibeantur, qui ſint inexperti, & non intelligunt: quia raro eſt, quod non ſit aliquis doctus in illa lingua, qui, cum audiunt barbarizantes, ſive ſolecizantes, irrident ſolennia noſtra: melius eſt a tali actu deſiſtere, quam ponere non idoneos: oportet tamen, ut hi in Diaconali & Subdiaconali ad minus ordine ſint conſtituti. Vidi tamen ſæpius obſervari, quod Epiſcopus quiſpiam Evangelium Græce dixerit, Epiſtolam vero alius vir non indoctus, neque vilis. Hanc autem conſuetudinem Græce legendi, hinc ortam puto, ut appareat Romanam Eccleſiam in ſe continere utramque gentem, Græcam ſcilicet, & Latinam, ex quibus Eccleſia Dei fere tota conſiſtit: in qua quidem primatum obtinet, quod Græci diu recuſarunt, Apoſtolica ſedes. Ego reperi in *antiquiſſimis codicibus*, non modo Evangelium & Epiſtolam, ſed & Prophetias, & Paſſionem Chriſti in ſacra hebdomada, & alia hujuſmodi, Græce legi conſuetum fuiſſe. Hi Diaconus, & Subdiaconus debent accipere paramenta, quando alii, & ſedere, ut in Miſſa Papali diximus.

CAPUT

CAPUT VIII.

De genuflexionibus in capella.

IN diebus ſolennibus cum Papa venit ad Miſſam, dum facit cum celebrante confeſſionem, Pontifex celebrans, Cardinales, & Prælati omnes ſtantes faciunt confeſſionem, præter aſſiſtentes, qui poſt Papam genuflectunt, reliqui omnes genuflectunt: deinde cum Pontifex ante elevationem Sacramenti venerit ad faldiſtorium, omnes genuflectunt, & cum Sanctitas ſua elevato Sacramento ſurrexit, omnes ſurgunt. Cum Papa dat benedictionem poſt ſermonem, vel in fine Miſſæ, cum incipit *Precibus & meritis*, vel, *Sit nomen*, omnes genuflectunt, præter Cardinales & Prælatos: Prælati tamen, cum incipitur, *& benedictio Dei Patris*, ſive *Benedicat vos omnipotens Deus*, genuflectunt, Cardinales ſtantes ſe inclinant. In diebus ferialibus, & Miſſis defunctorum, genuflectunt omnes ad primas orationes ante Epiſtolam, & ad ultimas poſt communionem; & cum dixerit *Sanctus*, genuflectunt, & ita permanent uſque ad *Per omnia ſæcula*, ante *Agnus Dei*; item ad Verſum, *adjuva nos, Deus ſalutaris noſter*; in quadrageſima omnes genuflectunt ad Verſum: *Credo in &c. Incarnatus &c.* omnes genuflectunt ſemper in Evangelio: *In principio erat Verbum*, cum dicitur, & *Verbum caro factum eſt*; in Evangelio Epiphaniæ, cum dicitur: *Et procedentes adoraverunt eum*; in paſſione Domini noſtri, cum dicitur: *Et inclinato capite emiſit ſpiritum*: item, cum in Miſſa Sancti Spiritus dicitur Verſ. *Veni Sancte Spiritus, &c.* omnes genuflectunt. In Veſperis, cum dicitur Verſus: *Veni creator Spiritus*, & ſimiliter, *Ave maris ſtella*, omnes genuflectunt, & permanent uſque ad finem Verſus. Inter Paſcha & Pentecoſten non fiunt genuflexiones, etiam in ferialibus, niſi ad elevationem Sacramenti, & ad *Incarnatus eſt*: & *Veni Sancte Spiritus*, & ad hymnos: *Veni creator*, & *Ave maris ſtella*,

ſi pro tempore dicendi erunt. Et generaliter, quotieſcunque ille, qui facit ſermonem, dicit *Ave Maria*, omnes genuflectunt.

CAPUT IX.

De mitris & tiara cum triplici corona, quibus Papa utitur.

ROmani Pontifices tribus mitris, pro temporis exigentia, ſecundum antiquas cerimonias, utebantur. Prima, & preciosior, erat cum unionibus & gemmis; & habebat auriphrygium in circulo & titulo, id eſt, per medium a circulo ad ſummitatem: & hac utebantur in ſolennitatibus. Per circulum deſignant, ut ajunt, coronam poteſtatis: per auriphrygium, quod ad ſummum aſcendit, contemplativæ vitæ decurſum. Secunda etiam erat cum unionibus, auriphrygiumque tantummodo habebat in circulo: & hac utebantur in Conſiſtoriis, tam publicis, quam privatis, per quam ſignificabatur Regia poteſtas. Tertia erat alba ex Damaſceno ſericeo, ſive unionibus, ſive aureo, aut aliquo ornamento; & hac utebantur in Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ diebus ferialibus, & in officiis defunctorum. Hodie quatuor mitras habemus; precioſiori utitur Papa in majoribus ſolennitatibus, ſecunda etiam, quæ precioſa eſt: & ambæ habent auriphrygium in circulo, & in titulo utitur in diebus minus ſolemnibus, & in Conſiſtoriis. Tertia mitra nihil habet auri, ſed unionibus ornata, & habet circulum & titulum ex unionibus: & iſta utitur Papa Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ, præterquam in Dominica *Gaudete*, & Dominica *Lætare*: in quibus utitur ſecunda mitra. Quarta eſt ex ſerico Damaſceno, multo auro contexta: ſed non habet uniones, aut gemmas: & hac utitur in ferialibus diebus, & aliquando in diebus ſolennibus poſt principium, ut minus gravetur, & maxime dum fit ſermo. Habet etiam aliam magis ſimplicem

cem ex Damaſceno cum parvo auro, qua utitur in officiis defunctorum, & diebus ferialibus majoris hebdomadæ. Eſt præterea tiara triplici corona ornata, quod *regnum* appellatur: per quam ſignificatur *ſacerdotalis & Imperialis ſumma dignitas atque poteſtas*. Hac tiara utitur Pontifex in maximis ſolennitatibus eundo ad Eccleſiam, & redeundo; ſed nunquam illa utitur in divinis. Cum pervenit ante Altare, deponit tiaram, orat, & aſſumpta mitra vadit ad ſedem, & cum iſta perſequitur divinum officium, ſive in Veſperis, ſive in Miſſa: tiara autem interim reponitur ſuper Altare. Finito officio, cum Papa revertitur ad palatium, rurſus ei imponitur tiara, cum hac coronatur in die ſuæ benedictionis & coronationis. Antiquitus quando Rom. Pontifex diebus ſolennibus tiaram hanc ferebat, fiebant ei laudes a Diaconis & officialibus, ut in coronatione: *Exaudi Chriſte &c.* & Pontifex dabat Presbyterium. Hodie utrumque abolitum eſt. Dies autem, quibus Papa coronabatur, erant infra ſcripti, videlicet in *feſto ſanctorum, quatuor coronatorum, Sancti Martini, Sancti Clementis, in Dominica gaudete, in Dominica Lætare, in Nativitate Domini, in Sancti Stephani, in Epiphania, in Reſurrectione, & ſecunda Feria, in Dominica, Ego ſum paſtor bonus, in Aſcenſione, in Pentecoſte, in ſancti Petri, in ſancti Silveſtri, & in anniverſario ſuæ coronationis.*

CAPUT X.

De proceſſibus generalibus.

PRoceſſus legi conſueverunt, & excommunicationes fulminari ter in anno, in *quinta* Feria cœnæ Domini, *in die Aſcenſionis, & in dedicatione Baſilicæ Apoſtolorum Petri, & Pauli,* eodem ordine, & modo. Nunc id fit tantum *in cœna Domini.* Cauſas, cur in iſtis diebus potiſſimum fiant, iſtas dicunt. In cœna Domini habuit principium Chriſti Sacramentum, congruit, ut in illa die excludantur ab Eccleſia, qui

eo Sacramento indignos ſe reddiderunt. In *Aſcenſione* Chriſtus rogavit pro fidelibus ſuis, dicit: *Pater ſancte, ſerva eos, quos dediſti mihi*, declaratur, quod non oravit pro iſtis. In dedicatione declaratur, quod excluduntur a loco congregationis, & orationis fidelium. Candelæ accenſæ projiciuntur, & extinguuntur: quia ſicut candela accenſa projecta extinguitur, ita illi ſic ejecti ab Eccleſia, & lumine, gratia Spiritus Sancti privantur. Campanæ tumultuoſe pulſantur, quia ſicut illarum ordinata pulſatione fidelis populus congregatur: ita confuſa & tumultuaria infideles diſſipantur. Cum fiunt aliis temporibus proceſſus contra certas & nominatas perſonas, omnes ſunt parati, & fit iisdem cerimoniis: cum autem fiunt contra incertos, ſolus Papa eſt paratus, alii ſunt in ſuis cappis laneis. Et ita ſervatum legitur a CLEMENTE Papa VI. *anno quarto, die prima Februarii*, cum fecit Proceſſus contra interfectores ANDREÆ, *Regis Siciliæ illuſtris*, incertos, & non nominatos.

CAPUT XI.

Quibus diebus vocantur Cardinales ad capellam Papæ, & quibus fit ſermo, vel non fit. Et quando fiunt Veſperæ, aut ſupplicatio.

PApa celebrante, ordinarie nunquam fit ſermo, niſi ipſemet velit orare, aut aliquis Cardinalis id faciat.

In diebus, quando fit ſolennis ſupplicatio, non fit ſermo. Fit autem in diebus infra ſcriptis. Et primò Cardinales vocantur ad capellam in diebus ſequentibus.

In prima, ſecunda & quarta Dominica Adventus Domini, fit ſermo.

In Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & non fit ſermo. Et ante fiunt Veſperæ Papales, & in Nocte matutini, & prima ac ſecunda Miſſa majori, Diaconi Cardinales, & alii officiales capellæ, communicantur a Papa.

In

In Sancto Stephano, & fit ſermo.

In Sancto Joanne Evangeliſta, & fit ſermo.

In circumciſione, & fit ſermo, ac fiunt Veſperæ.

In die Epiphaniæ, & fit ſermo, & Veſperæ.

In die Purificationis, & non fit ſermo, & fit ſupplicatio cum paramentis violaceis, & candelarum diſtributio.

In die cinerum, & fit ſermo, & dantur cineres cum paramentis violaceis.

Prima, Secunda, Tertia, Quarta & Quinta Dominica in Quadrageſima. Et fit ſermo.

Dominica in Palmis, & non fit ſermo: & fit diſtributio palmarum, & ſupplicatio cum violaceis paramentis, & palmis.

Quarta feria majoris hebdomadæ fiunt matutinæ tenebroſæ in ſero.

Quinta feria in cœna Domini, & non fit ſermo. Et fit ſupplicatio ad proceſſus in albis, & fit mandatum. In ſero Matutinæ tenebroſæ.

Sexta feria in Paraſceve, & fit ſermo. In ſero fiunt Matutinæ tenebroſæ.

Sabbatho ſancto, & non fit ſermo.

In die Reſurrectionis, & non fit ſermo. Diaconi Cardinales, & alii officiales capellæ communicantur a Pontifice.

In ſecunda & tertia feria, & non fit ſermo.

In ſabbatho in albis non fit ſermo. Dantur *Agnus Dei*, portantur paramenta.

In annunciationis Beatæ Virginis fit ſermo, fiunt Veſperæ, ſi non venit in Quadrageſima.

In dedicatione Baſilicæ Salvatoris, & in dedicatione Baſilicarum Petri & Pauli.

In anniverſario Aſſumptionis, & coronationis præſentis Pontificis.

In omnibus ſupradictis diebus conſueverunt Romani Pontifices antiquis temporibus per ſemetipſos celebrare: ſed noſtris diebus ad quatuor vel quinque, aut plures ſolennitates reſervantur, in Nativitate Domini, in reſurrectione, in Pentecoſte, in natalitiis Apoſtolorum Petri & Pauli, & in feſto omnium ſanctorum: in his ordinarie, quando non ſunt impediti, celebrant, & extraordinarie in canonizationibus ſanctorum, in ordinationibus ſive conſecrationibus, ſi quando eas facerent, & in coronatione *Imperatoris*, ſive *Regis* alicujus. In aliis autem diebus capellæ, celebrant alii Prælati.

Et nota, quod, quando Papa per ſe celebrat, omnes Cardinales, & Prælati portant paramenta ſibi convenientia, coloris tempori congruentis, tam in Veſperis, quam Miſſa: ſed non ſemper deſcendunt ad Eccleſiam cum paramentis, ſed tantum in diebus ſupplicatoriis in Miſſa.

Secundum antiquas obſervationes, erant alii dies, in quibus fiebat capella: noſtris temporibus ab EUGENIO IV. & citra, ſupra ſcripta fuerunt obſervata, quamvis a tempore SIXTI, uſque ad hunc diem, aliqua fuerint prætermiſſa & immutata. Solennitas Veſperarum fit ſemper ordinarie in primis Veſperis: in ſecundis nunquam fit ordinarie noſtro tempore. Quando Papa in craſtinum celebraturus, fiunt Veſperæ ſolennes, & capiuntur paramenta a Cardinalibus poſt factam reverentiam, & incipiuntur Antiphonæ per Cardinales & Papam, in aliis non capiuntur paramenta. Et Papa incipit: *Deus in adjutorium &c.* Incenſat ad *Magnificat*, & dicit orationem, & dat benedictionem, & nihil aliud in eis agit.

Sermo-

Sermones committuntur, & revidentur per Magiſtrum ſacri Palatii, ut prædiximus.

Et in quatuor primis Dominicis Adventus, & quadrageſimæ, fratres quatuor ordinum mendicantium orant. In prima ordinis Prædicatorum; In ſecunda ordinis Minorum; In tertia ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini; In quarta ordinis Carmelitarum. In aliis autem diebus, Pontifex, ſi placet, & ordinarie Magiſter ſacri Palatii committit ſermones ad beneplacitum.

CAPUT XIII.

Quibus diebus Pontifices Romani conſueverunt a Conſiſtorio ſecreto ceſſare.

Die Dominico, tertia, quinta feria, & Sabbatho per totum annum ordinarie non fit Conſiſtorium.

Non fit Conſiſtorium in diebus infra ſcriptis:

In Vigilia, & in die circumciſionis Domini uſque poſt diem Epiphaniæ.

In feſto Sancti Antonii.

In feſto ſanctorum Fabiani & Sebaſtiani.

In feſto ſanctæ Agnetis.

In feſto ſanctorum Vincentii & Anaſtaſii.

In converſione ſancti Pauli.

In Vigilia, & feſto purificationis.

In feſto ſancti Blaſii.

In feſto ſanctæ Agathæ.

In cathedra ſancti Petri.

In feſto ſancti Mathiæ.

In feſto ſancti Gregorii.

In feſto ſancti Benedicti.

In Vigilia & feſto annunciationis Beatæ Mariæ Virginis.

In Vigilia & feſto Aſcenſionis Domini.

In Vigilia & feſto Pentecoſtes, & duobus diebus ſequentibus.

In Vigilia & feſto Corporis Domini.

In feſto Sancti Marci Evangeliſtæ.

In feſto Apoſtolorum Philippi & Jacobi.

In feſto Inventionis ſanctæ Crucis.

In feſto Sancti Joannis ante portam latinam.

In feſto apparitionis ſancti Michaelis.

In feſto ſancti Barnabæ Apoſtoli.

In feſto & Vigilia nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ.

In Vigilia & feſto Apoſtolorum Petri & Pauli. Et in commemoratione ſancti Pauli.

In feſto ſanctorum Joannis & Pauli.

In octava ſancti Joannis Baptiſtæ.

In octava Apoſtolorum Petri & Pauli.

In feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ.

In feſto ſancti Jacobi Apoſtoli.

In feſto ſancti Petri ad vincula.

In feſto ſancti Laurentii.

In Vigilia & feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & in octava.

In feſto ſancti Bartholomei.

In feſto ſancti Auguſtini.

In feſto decollationis Beati Joannis Baptiſtæ.

In Vigilia & feſto nativitatis Beatæ Mariæ, & in octava ejus.

In feſto exaltationis ſanctæ Crucis.

In

In feſto ſancti Matthei Apoſtoli.
In feſto dedicationis Beati Michaelis.
In feſto ſancti Hieronymi.
In feſto ſancti Franciſci.
In feſto ſancti Lucæ Evangeliſtæ.
In feſto Apoſtolorum Simonis & Judæ.
In Vigilia & feſto omnium ſanctorum.
In commemoratione defunctorum.
In dedicatione Baſilicæ Salvatoris.
In dedicatione Baſilicæ Apoſtolorum Petri & Pauli.
In feſto ſancti Martini.
In feſto ſanctæ Ceciliæ.
In feſto ſancti Clementis.
In feſto ſanctæ Catharinæ.
In feſto ſancti Andreæ Apoſtoli.
In feſto ſancti Nicolai.
In feſto ſancti Ambroſii.
In feſto ſanctæ Luciæ.
In feſto ſancti Thomæ Apoſtoli.
In Vigilia Nativitatis Domini uſque ad diem poſt Epiphaniam non fit Conſiſtorium. Sed aliquando conveniunt Domini Cardinales cum Papa ad tractandum, & conſultandum, ſi eſt opus.
Item a quinta feria ante Quinquageſimam, uſque ad quartam feriam cinerum incluſive.
Item a Dominica in palmis, uſque ad Dominicam in albis incluſive.
Item quando fiunt vocationes curiæ in æſtate, ſtatuuntur ali-

qui dies, in quibus tantum fit Conſiſtorium, & tempus vacantiæ. Et quando audientia reſumetur, debet intimari curialibus, ut quis poſſit procurare facta ſua.

In anniverſariis Pontificum, Cardinalium, ſive Regum, quando pro eis fit capella.

In die anniverſario, & coronatione Romani Pontificis pro tempore exiſtentis.

Item, quotieſcunque fit publicum Conſiſtorium, vel capella.

Item, quando IMPERATOR, REX, CARDINALIS, legatus ad curiam venit, aut recedit a Curia. Et ſimiliter, quando novus Cardinalis, aut aliquis magnus Princeps venit. Et quando ordinaria Conſiſtoria ſunt interrupta: Cardinales non vadunt ad Conſiſtorium niſi vocentur a Papa. Quando autem non ſunt interrupta, vadunt ſemper ſtatutis diebus, etiam non vocati, niſi prohibeantur. Dies vero Conſiſtoriales *ſunt:* Secunda, Quarta, & Sexta Feria, per totum annum, diebus ſupra nominatis exceptis.

Sacrarum Cerimoniarum Romanæ Eccleſiæ Libri Tertii

FINIS.

FASCI-

FASCICULUS
SCRIPTORUM, AD HISTORIAM CURIÆ ROMANÆ,
INPRIMIS
AD CONTROVERSIAS DE CEREMONIIS ORTAS, SPECTANTIUM,

I. HISTORICA NARRATIO LITIS CUM LEGATO CÆSAREO, PRINCIPE EGGENBERGIO, OB NEGLECTOS QUOSDAM HONORES ORTÆ.

II. INCERTI AUTORIS, DE PRÆTENSIONIBUS PRINCIPIS EGGENBERGICI, LEGATI CÆSAREI, OPUSCULUM.

III. RELATIO DE CONTROVERSIA CUM PRINCIPE EGGENBERGIO ORTA, ANNEXO JUDICIO AUTORIS.

IV. INFORMATIO, PORRECTA CLEMENTI VIII. DE JUSTIS CAUSIS OBTINENDÆ DISPENSATIONIS MATRIMONII, CONTRACTI INTER PRINCIPEM LOTHARINGIÆ CATHOLICUM, ET CATHARINAM, FRANCIÆ REGIS CHRISTIANISSIMI SOROREM HÆRETICAM.

I.

HISTORICA NARRATIO
LITIS CUM LEGATO CÆSAREO, PRINCIPE EGGENBERGIO, OB NEGLECTOS QUOSDAM HONORES ORTÆ.

SI Cæremoniarum Curiæ Romanæ conveniens ſemper conſervatus fuiſſet vigor, non eſſet nobis conquerendum de incommodis gravibus, quæ noſtra ætate nonnunquam emergunt. Nam qui olim harum rerum curam ſuſtinuerunt homines imprudentes, & quanti momenti ſint hæc negotia, ignari; eo rem prolabi paſſi ſunt, ut hodierna die vix ullius bonæ cæremoniæ uſus ſuperſit, ſed abuſus obtineant & confuſiones, quæ quanto præjudicio, ſuccedente tempore, futuræ ſint huic Sanctæ Sedi & Summis Pontificibus, a nobis jam perſpectum eſt, & quibus datum erit per aliquot adhuc annos vita frui, amplius cognoſcent. Negliguntur quidem initio vulnera leviora, ſed ingraveſcunt ſenſim, & denique ſuppurant, unde quando remedia adhibere poſtea volumus, ea vel non ſuppetunt, vel ad tollendum morbum minus ſufficiunt.

Præcipit CÆREMONIALE ROMANUM, quod apud nos *Evangelii inſtar eſſe deberet*, ut Legatis Principum, quando obedientiæ, ſedi Apoſtolicæ præſtandæ, cauſa adveniunt, obviam procedatur a familia Papæ & Cardinalium

extra

extra portas urbis. Non autem vult Cæremoniale, ut Cardinales ipſi Legato advenienti obviam eant, quod tamen ab illis fieri ſolet ſub prætextu Protectionum, quas ipſi ſuſtinent. Res eſt profecto indecora, & noxia univerſo Cardinalium Collegio, cujus eſt, de remedio ſufficienti diſpicere. Negabat Cardinalis de SIENA ſe obviam iturum uſque ad *portam populi* Cardinali de S. PETRO IN VINCULA, nepoti SIXTI V. quod eum tamen idem Pontifex juſſerat; unde facile eſt intellectu, Cardinalem adeo elati animi nunquam fuiſſe inducendum, ut Legato cujuſquam Principis, imo vel Imperatoris, obviam proceſſiſſet.

Eodem libro Cæremoniarum continetur, ut Legatus, qui obedientiæ præſtandæ cauſa accedit, quive in publico recipitur Conſiſtorio, unicum tantum introitum, eumque equo faciat; quod ſemper eſt obſervatum. Jam vero duplicem celebrare cœperunt, alterum equo, alterum vero curru, modo plane novo & inconveniente, ipſique Pontifici, Sacro Collegio, & Curiæ univerſæ incommodo. Unde opus eſt, tollere morem pravum, & curare, ut ſemel equo ingrediantur Legati, ſeque ſtatim domum conferant, ſiquidem ipſis, quando ad *hanc curiam* accedunt, curæ eſſe debet, ut venerentur Pontificem, honoremque Sacro Collegio exhibeant, non autem ut illis moleſtias creent & incommoda.

Non ſolebant olim Legati Principum, ſimulac advenerant, properare ad Palatium; Principum hoc erat, ſe eo ſtatim conferre, & eorum inprimis, qui hoſpitio recipiebantur a Pontifice. His quoque, modo ſedendi inter Cardinales jus & locum haberent, obviam mittebantur præter reliquos, qui obviam aliis procedere ſolent, Cardinales bini, a quibus ad portam urbis reciperentur, & inde ad Palatium perducerentur. Et tunc Pontifex vocabat ad ſe quatuor vel ſex Cardinales, quos honoris gratia ſecum haberet, quando veniebat Princeps. Noſtris temporibus etiam Legati, ſimulac allati ſunt, tendunt

tendunt ad Pontificem, ut ei pedes oſculentur. Verum, cui bono tanta feſtinatio? Nonne oſculabuntur ipſi manus, os & pedes, paucis poſt diebus in publico Conſiſtorio? Neceſſe eſt profecto tollere morem pravum, & variis incommodis procreandis aptum, ſimulque curare, ut Legati, ſimulac advenerint, non ad Papam ſtatim, ſed domum ſuam ſe conferant; neque inde uſque ad diem publici Conſiſtorii egrediantur. Recipiuntur jam Legati iisdem ritibus, qui vel in recipiendis Principibus non magno honori erant ſedi Apoſtolicæ. Res ruet in pejus, niſi opportunum adhibeatur remedium.

Illi autem Principes, qui, uti a me dictum eſt, ſimulac adveniſſent, recta via tendebant ad palatium, a Pontifice in congregatione Cardinalium recipiebantur, & poſtquam ejus pedes oſculati erant, & pauca quædam, quibus ſalutaſent Papam, dixerant, ſurgebant ad ſignum, quod idem illis manu dare ſolebat. Quod ſi his Principibus non competeret jus ſedendi inter Cardinales, ſtabant ad ſiniſtram Pontificis, donec omnes eorum, quos ſecum adduxerant, familiares ſolemni pedis oſculo eſſent defuncti. Ita vero obſervatum eſt anno 1569. cum tempore PII V. Romam veniret Princeps PARMÆ, ALEXANDER FARNESIUS, cui non competebat locus ſedendi inter Cardinales vivo patre, ad hunc enim illud jus proprie pertinebat. Stetit ergo in Congregatione XVIII. Cardinalium, qua recipiebatur ad ſiniſtram Pontificis, una cum Legato Hiſpaniæ, donec omnes, quos ſecum adduxerat, Pontificis oſculati erant pedes. Negandum tamen non eſt, quod eidem Alexandro in Capella S. Trinitatis, quæ paucis poſt diebus celebrabatur, locus ſit conceſſus juxta ultimum Diaconum Cardinalem, ex mera gratia, quoniam locum in ſupremo ſolii gradu, qui ipſi proprius erat, jam occupaverant Regii Legati.

Contra vero Princeps, cui erat jus ſedendi in ſellis Cardinalium, oſculabatur primum pedes, manum & os Pontificis, &,

poſtquam paucis verbis obſequium & reverentiam erga Papam teſtatus erat, ſigno accepto ſurgebat. Inde ad Cardinales tranſiens, præſentes ordine ſingulos amplectebatur, quibus peractis, occupabat inter eos locum ſtatui ſuo atque dignitati convenientem. Et hæc quidem ſolemnia obſervata ſunt in congregatione Cardinalium, qua recipiebatur CAROLUS, *Dux Ferraræ*, cum Romam veniret anno 1487. quippe qui juxta ultimum Cardinalem Diaconum aſſedit, dum comitatus, quem ſecum habebat, ſatis numeroſus, Pontificis pedes exoſculabatur. Refert BRUCHIUS, veniſſe una cum Duce ad Papam octo Legatos regios, quorum tamen ne uni quidem copiam ſedendi factam eſſe commemorat. Cujus rei cauſa alia ſubeſt nulla, quam quod in ejusmodi Congregationibus, in quibus quis recipitur, nemo unquam, niſi cui locus inter Cardinales competit, ſedere ſoleat, & hoc obſervatum eſt, cum idem Dux Romam rediret anno 1491. Noſtra vero ætate, cum ſemel cœperint Legati ſtatim poſt adventum ſuum tendere ad palatium, poſtulant adhuc copiam ſedendi, parum ſolliciti, an id Legatum deceat præſentibus Papa & Cardinalibus. Gliſcunt indies hæc incommoda, imo ad ſummum fere perducta ſunt, ſiquidem eos ſibi arrogant Legati honores, qui tribuerentur ipſis, a quibus mittuntur, Principibus. Dubio procul videbimus, ipſos aliquando ſedere in Capella inter Cardinales, eo loco, quem, ſi præſentes eſſent, occuparent eorundem Principes.

Quod ſi vero, ut a me dictum eſt, ſemper in obſervandis Cærimonialis Romani præceptis immoti perſtitiſſemus; ſi pravis conſuetudinibus ſenſim ingraveſcentibus audacter repugnaſſent ii, quorum eſt harum rerum curam gerere; Si denique Cardinales ab obviam eundo Legatis abſtinuiſſent; Legati vero unicum ſemper introitum feciſſent, eumque equo, ſeque poſteà ſtatim domum contuliſſent, ut cautum eſt Cæremoniali Romano & longa conſuetudine receptum;

non

non ingruerent tot turbæ, neque enaſceretur occaſio perferendi incommoda, & inferendi ea aliis, *immo ipſe Legatus obedientiæ Cæſareus, qui nuper modo ad hanc Curiam acceſſit, & de quo hac occaſione mihi quædam dicenda ſunt*, non haberet, de quo ſtatim in legationis ſuæ limine quereretur; Licet meo quidem judicio ipſe falli & præter rem indignari videatur.

Allegat ille vero, quantum ego intelligo, non eſſe ſe, cum primum poſt adventum ſuum privatim ad Pontificem admitteretur, eo modo receptum, quo reciperentur Legati cæteri pares, imo eſſe nonnullos, quibus honores habiti fuerint potiores quam ſibi. Verum fallitur (quod pace ipſius dixerim) vehementer, ſiquidem Romana Curia in ejusmodi negotiis nullius partibus favet, filios ſuos omnes uno æqualiter amore proſequitur, eisque gratiam & favorem impertitur, qui meritis eorum & dignitati reſpondet. Non ſolet ſedes Apoſtolica, ut quosdam evehat, deprimere alios, neque aliquid demere cuidam, quod elargiatur alteri, multo minus injuria eos afficit, qui honorandæ hujus ſedis gratia acceſſerunt. Atque illi, quibus perſpecta eſt Domini noſtri Pontificis & Domus ejus univerſæ clementia & benignitas, nunquam inducentur ut credant, cauſam & originem litium deſcendere a ſancta Sede, quale quid a nonnullis ſpargitur in vulgus. Quid in eam unquam commiſit Imperator, ut Legatus ejus indigne eſſet recipiendus? Nonne ſedes Apoſtolica omni cura, favore, & auxilio proſecuta eſt electionem Imperatoris? nonne ſtatim poſt electionem inſignem, quam exin perceperat, lætitiam publice privatimque teſtificata eſt? Sunt qui, ad excitandas inter Papam & Imperatorem diſcordias, perſuaſere Legato parum in negotiis ad Curiam ſpectantibus verſato, ut honores poſtulet inſolitos & exorbitantes, qui nunquam exhiberi vel præſtari conſueverunt. Unde ille non habet, de quo queratur, ſi quod deſiderabat, non obtinuit, quoniam *petentes injuſta audiri non debent.* Contendebat

debat aliquando *Epiſcopus Gurcenſis*, *Vicarius Imperatoris* in Italia, cum veniret Romam, ut locus ſibi ſedendi concederetur ſupra univerſum Cardinalium Collegium. Poſtquam ipſi vero ad oculum quaſi demonſtratum erat, honorem eſſe petitum plane indecentem, abſtinuit ab ejusmodi prætenſionibus, ſufficere ſibi ratus, ſi locum obtineret juxta ultimum Diaconum Cardinalem MAXIMILIANUS I. Imperator, cum conſilium cepiſſet veniendi Romam, ut ibi coronationis ſolemnitas celebraretur, voluit, ut obviam ſibi veniret Pontifex Tridentum, qui tamen etiam, poſtquam oſtenſum erat, quam eſſet hæc petitio inſolita & exorbitans, acquievit. Curam profecto gerit honoris ſui ſedes Apoſtolica, ſuamque dignitatem tueri contendit, idque ut faciat, neceſſe eſt, niſi malit ab hominibus omnibus ſperni & vilipendi. Variis quoque privilegiis eorum exaltationi proſpexerunt Principes antiqui, cum contra data opera conceſſos ipſi honores auferre conentur hodierni.

Poſtquam intellexerat Pontifex, quod Legatus, ſimulac advenerat, cuperet privatim ad pedis oſculum admitti, quamvis ipſum non lateret, rem peti antiquis cæremoniis contrariam, & paucos abhinc annos prava conſuetudine introductam, quæ extirpanda potius eſſet, quam fovenda; voluit tamen benigniſſimus Pontifex etiam in hoc favere precibus Legati, & ut illi eo melius ſatisfieret, juſſit ad palatium invitari Cardinales quosdam Imperatori maxime devotos, cariſſimosque, quos adventante Legato ſecum haberet, quale quid ne ulli unquam Legato contigiſſe, memoriæ proditum eſt. Dubitare igitur Pontifex videbatur, num ipſe ſolus Legatum honorare ita poſſet, ut deſiderabat, & ſufficere poterat; quo permotus, tot Eminentiſſimos Cardinales ad aſſiſtendum ſibi invitavit, ut eo illuſtrius & glorioſius reciperetur, & univerſo orbi manifeſtum eſſet, quam bono ipſe ſit affectu erga Imperatorem. Unde credibile non eſt, Cardinales

nales a Pontifice ob alias cauſas eſſe invitatos, quippe qui contra eum, quicquid acciderit, teſtimonium ferre potuiſſent. *Nam qui male agit, odit lucem;* Sed quoniam conſilia ejus fuere ſancta & bona, hos præſertim, & non alios, ad ſe vocavit, qui teſtatum ad Imperatorem facere poſſent, quanto honore, quantave benignitate in primo introitu receptus fuerit Legatus. Cæterorum curam Pontifex permiſit Cæremoniarum Magiſtris, quorum erat prudenter ſuum exequi officium. Ac illi quidem Legatum, ſimul ac advenerat, conveniebant, & brevibus, quid ipſi obſervandum ſit, edocebant; opus nimirum eſſe, *ut genibus flexis oſculetur pedes Pontificis, ut paucis cauſam adventus ſui exponeret, auditoque reſponſo, & accepto a manu S. S. ſigno ſurgeret.* Se interim eſſe curaturos, promittebant, ut præſto eſſet, quæ ipſi ad ſedendum offerretur, ſella. An dicta Magiſtrorum Cæremoniarum intellexerit Legatus, ego quidem neſcio; quod autem ita edoctus ſit, compertum mihi eſt, nec de ea re dubito, quoniam ita ſemper fieri conſuevit. Nollem tamen inficias ire, melius actum fuiſſe, ſi ſe pridie domum Legati contuliſſent Cæremoniarum Magiſtri, ubi eum commode de omni re inſtruere potuiſſent, quod non facile ſit in turba hominum.

Legatus igitur ad Papam veniens, humillime humi proſtratus, oſculabatur pedes, expoſitaque adventus ſui cauſa, multa benignitate & reſponſum & ſignum, ut ſurgeret, accipiebat. Verum non ſurgebat, ſive quod non intelligeret, quid ſibi velit Papa ſigno manu dato, ſive quod radiis & ſplendore Majeſtatis Pontificiæ confuſus eſſet, & quaſi occæcatus, quod etiam alias multis hominibus illuſtribus accidere memini. Unde Pontifex, cum ſe, etiam iterato ſæpius ſigno, minus intelligi a Legato animadverteret, ſurgens, in conclave ſuum rediit, & Principem Cardinalibus, qui eum honorificentiſſime recipiebant, reliquit. Jam vero ſunt, quibus Pontifex ita minus ſatisfecit, opus fuiſſe allegantes, ut S. S.

Legato, qui ſignum minus recte intellexerat, dixiſſet: *Domine Legate, ſurge.* Qua in re vehementer errant, ſiquidem, *ut Summi Pontifices ne verbulum quidem dicant, ſed proſtratos ad ſurgendum manu tantum invitent, receptum eſt conſuetudine antiquiſſima, quæ ſervanda erat, & nullo modo immutanda.* Satisfecerat officio ſuo Dominus noſter, quoniam paria ſunt, nutu vel verbis intentionem ſuam explicare, vade illud ſufficiebat, vel minimum ſufficere debebat. Illud tamen non eſt diſſimulandum, Magiſtros Cæremoniarum, viſo Pontificis ſigno, debuiſſe Legatum monere, ut ſurgeret, quod cum factum non ſit, culpa illorum non eſt imputanda Papæ.

Præterea iidem urgent, verum non eſſe, quod Cæremoniarum Magiſtri de officio ſuo, antequam ad Pontificem veniret, edocuerint Legatum. Quod ego quidem certo non ſcio, ita tamen factum eſſe ab aliis, qui interfuerunt, accepi. Immo vero Legatus de his rebus etiam non edoctus acquieſcere ſemper potuiſſet, certior factus, nec ſubeſſe in hoc negotio dolum Pontificis, neque culpam. Accidit tempore PII V. ut in Sacris ſolennibus omnium Sanctorum anno 1569. Legatus Sabaudicus Prælatus in ſuffiendo præferretur Legato reipublicæ Venetæ. Qui cum de ea re vehementer eſſet conqueſtus, ad Pontificem vocabatur, & ab ipſo certior reddebatur, quicquid in his ſacris acciderit, non eſſe factum intentione, vel conſilio, ut juri cujusquam præjudicium creetur, ſed errore eorum, qui ſuffierant. Quibus perceptis, Legatus acquievit. Idem fieri a noſtro Legato debuiſſet, ſimulac ipſi conſtitiſſet de bona Pontificis intentione, ſiquidem error unius alteri nocere non debet.

At inſtant iidem, qui a partibus Legati ſunt, & obvertunt, non eſſe veritati conſentaneum, quod a Magiſtris Cæremoniarum ſella, quæ daretur Principi, fuerit apparata. Quodſi verum eſt, neceſſe eſt, ut dicamus, aperuiſſe Deum oculos

oculos eorum, ne in ejusmodi peccatum inciderent. Peccarunt ſane, quod promiſerint Legato ſellam; bene & ordine fecerunt, quod non dederint, neque aliter fieri potuit, aut debuit. Demonſtratum a nobis jam eſt exemplo Principis ALEXANDRI FARNESII, quod in congregatione Cardinalium, quæ recipiendi cujusdam Principis aut Legati gratia celebratur, is qui recipitur, ſedere numquam poſſit, niſi gaudeat jure ſedendi in ſellis Cardinalium in Pontificia Capella. Opus igitur erit, ut nobis demonſtretur, uti hoc jure Cæſareum Legatum. Nam quod illud ipſi tamquam Legato non competat, exploratum eſt, multo minus vero arrogare ſibi poteſt tanquam Principi. Imo ſi vel hoc nomine eum locum obtineret, perderet tamen profecto in noſtro caſu, ſiquidem non ut Princeps, ſed ut Legatus advenit, & a Pontifice ita agnoſcitur ac recipitur. Sane *Epiſcopus Gurcenſis, Legatus Imperatoris, & Vicarius Imperii generalis per Italiam*, ſedere in ſellis Cardinalium ut Legatus non poterat, ut *Vicarius* poterat, & ſi fuiſſet receptus cum veniſſet, in Congregatione Cardinalium ſedere in eorum & Pontificis præſentia potuiſſet. Idem tamen arrogare ſibi nequeunt alii Legati, qui non habent jus ſedendi in ſellis Cardinalium. Nota eſt quoque regula, quæ & apud Principes ſæculares obſervatur, *ut præſente vel unico Cardinali, nemo utatur ſella ſimili ſellæ Cardinalis, niſi Principes, quorum eſt ſedere inter Eminentiſſimos.* Sedebant jam Cardinales, cum veniret Legatus, in ſellis, in quibus ipſi apud Papam, vel ſi non adſunt, Regii Legati ſedere ſolent. Quid ergo agendum erat? Non competebat Legato locus in ſellis Cardinalium, & ſi ipſi ſella ejusdem, vel vilioris generis, danda fuiſſet, nulla tamen, quæ offerretur, in conclavi Pontificis ſuppetebat. In tempore vero a Magiſtris Cæremoniarum curandum fuiſſet, ut afferretur a familia Pontificia ejusmodi ſella, qua utuntur aſſiſtentes Pontificis, qui ad utrumque latus ſedent. At dubium, an

tunc

tunc ſatisfecerit Legato ſella vilior iis, quas Cardinales occupant. Satius omnino eſt, quod per exiguum temporis ſpatium ſteterit, quam ſi ipſi fuiſſet copia ſedendi facta coram Pontifice & Cardinalibus, contra antiquos & bonos Curiæ Romanæ ritus, aut ſi accepiſſet ſellam cum Cardinalibus eandem, in univerſi Collegii ſacri præjudicium, aut aliam viliorem, quam, ſi non placeret, acceptare recuſaſſet.

Poſtquam igitur eo modo, quem ſupra enarravimus, receptus erat Legatus, ipſe lætus videbatur, (ut reapſe erat) quod ad honorandum Principem, a quo mittebatur, nihil eſſet prætermiſſum, eaque omnia, quæ in ſe a Pontifice profecta erant, quaſi tacite approbabat, & rata habebat. Eodem animo viſebat Cardinales Palatii, Fratrem & Nepotes Pontificis, a quibus ita honorifice excipiebatur, ut æque contentus ab illis, quam a Pontifice ipſo, redire videretur. Veſperi, cum in palatium ſuum ſe contuliſſet, aderant ſtatim filii illius, qui in bonam ſegetem infelix lolium ſpargere conſuevit, ipſique inſuſurrabant, quod minime decenter receptus, ſed univerſæ Legationi præjudicium creatum ſit graviſſimum, copiam nimirum ſedendi factam non eſſe coram Papa & Cardinalibus, quo tamen honore alias ſemper afficerentur Legati Regii, ut obſervatum eſſet cum *Legato obedientiæ Gallico*, & tribus, qui ſimul advenerant, Hiſpanicis. His auditis, ſtatim ſuſpicari quid cœpit Princeps, nec longo deſuper habito conſilio, ſiſti juſſit progreſſus Legationis ſuæ, non ſine ingenti omnium admiratione. Dii boni! qui fieri potuit, ut tam facile his hominibus fides haberetur? cur tanti momenti negotium præcipitatur? eccur non etiam aliorum ſententia rogatur, nec diſpicitur, an tanti ſit, quod ab his allegatur, præjudicium? Quod ad illud attinet, non eſſe Legato oblatam, in qua ſederit, ſellam, cauſam jam ſupra peroravimus, nec opus eſt, ut de ea re multis jam laboremus. Neceſſe omnino erat, ut expediretur negotium ſecundum Cæremonias

monias bonas, ſecundum quas cum nemo, niſi cui locus eſt in ſellis Cardinalium, coram illis & Pontifice ſedere queat, de injuria ſibi illata queri nequit Legatus. Ad exempla vero Legatorum Galliæ & Hiſpaniæ allegata reſpondeo, nihil in illis eſſe, quod ad noſtram ſpeciem trahi poſſit. Verum non eſt, quod iſti coram Papa & Cardinalibus ſederint; quoniam, qui aderant Cardinales, non aſſiſtebant Pontifici, ſed cum Legatis ipſis advenerant. Quodſi vero a Pontifice invitati aut convocati fuiſſent, aliqua argumenti vis eſſet, ſed rogaverant ipſos Legati, ut una ad palatium ſe conferrent. Unde dici nequit, quod coram Pontifice & Cardinalibus ſederint, ſed coram Papa, quocum erat nemo, unico & ſolo. Nimirum probe obſervandum eſt, magnam intercedere differentiam inter Cardinales, qui in palatium, Legatum comitandi gratia, ſe conferunt, & eos, quos hujus negotii cauſa ad ſe vocavit Pontifex. Illi enim honore afficiunt Legatum, hi Pontificem, cui aſſiſtunt; illi negligunt & deprimunt quaſi hoc actu Cardinalibus indecoro dignitatem ſuam, quam contra hi augmentant, dum ita proprio ſuo officio ſatisfaciunt. Hinc eſt, quod Papa hæc duo quaſi genera Cardinalium diverſimode excipere ſoleat; illos, qui Legato, quam Pontifici, aſſiſtere, & honori eſſe maluerunt, recipit, ut Legatos, vel eorum Comites, non ut Cardinales. Et quamvis illis in præſentia ſua copiam ſedendi dare ſoleat, in pœnam tamen transgreſſionis, & læſæ dignitatis, ſellæ dantur eædem promiſcue Cardinalibus & Legatis. Venitis enim (tacite dicere videtur Pontifex) non noſtri, ſed alterius honoris cauſa. *Qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet. Cur ego te habeam in Principem,* (ait Gloſſa) *cum tu non me habeas ut Senatorem. Non es mihi Philippe Conſul, quia non tibi Senator ſum.* Contra vero a Cardinalibus, qui in palatium a Pontifice invitati & convocati veniunt, quoniam hoc actu non deprimunt dignitatem ſuam, ſed augent ac evehunt (*Cardinales*

enim digniores ſunt in præſentia Papæ, quam abſentes a Papa) ab illis inquam ipſe honorari vult Pontifex. Idcirco non permittet, ut coram ſe & illis ſedeat, quisquis ſit, niſi locum habeat inter Cardinales in capella Pontificis & in publicis Conſiſtoriis. Hinc quoque eſt, quod nec octo illi Regii Legati, qui comitabantur, ut ſupra dictum eſt, HERCULEM, *Ferrariæ* Ducem, cum in congregatione reciperetur, nec Dux PARMÆ cum Legato Hiſpanico ſedere potuerint, tum quod in ſæpe memorato loco ſedendi jure non gaviſi ſint, tum quod intervenerint a Pontifice Advocati Cardinales, ut Cardinales, non ut Protectores, vel Comites Legatorum Galliæ & Hiſpaniæ.

Non decebat ergo Legatum Imperatorium, de quo jam diſputamus, ſella. Aderant tredecim a Domino noſtro convocati Cardinales, qui cum Pontifice conjuncti ſacrum repræſentabant Collegium. Tres ad illud conſtituendum ſufficiunt, quales tamen illi non fuerunt, qui cum Legato Hiſpanico acceſſere, non a Pontifice invitati, ſed a Rege ſuo Legatum comitari juſſi. Unde cum Legati potius, quam *Cardinales* haberentur, nec cum Pontifice eſſent, ſedere potuerunt Gallus & Hiſpanus. Quibus, ſi ſuam receptionem jactent, regerere poterit Imperatorius, eundem ſe honorem obtinere potuiſſe, ſi, ut ipſi, ſolum inveniſſet Pontificem, ſed coram eo & tredecim Cardinalibus vetare id ritus Curiæ Romanæ; gloriari ſe nihilominus, quod multo ſplendidius, quam ipſi, ſit receptus, præſentibus tantis Cardinalibus, eo nomine a Pontifice invitatis, ſplendidiſſimis profecto, & in ſacro Collegio digniſſimis; id quod nullius unquam Principis Legato contigerit. Contendat ergo Imperatorius, ſe ita eſſe exceptum, *ut univerſus orbis intelligeret, potiores ſe honores eſſe nactum ſtando, quam quidem illi ſedendo.*

Quod ſi qua ſit tua apud hunc Legatum auctoritas, perſuadendo, rogando, ſupplicando contende, ut tandem aliquando

quando conquieſcat. Ita enim, ſi obdurat animum, recipiendæ potius obedientiæ, quam præſtandæ cauſa acceſſiſſe, videri poſſet. Mone eum, quod Legati ſit, omni ſtudio promovere amorem & conjunctionem, non autem odium & inimicitias inter Principes, a quo & ad quem miſſus eſt; & quod ipſum, ut Principem Chriſtianum deceat, data opera exaltare ſedem Apoſtolicam, non autem deprimere. Perſuade ipſi, ut amorem ſibi Romæ conciliare conetur; eum enim populus magni facit, quem amat & honorat Princeps, Cura denique, ne illis adeo fidem habeat, qui hæc ipſi præjudicia inſpirant, alio id quidem conſilio nullo, quam ut litibus implicetur injuſtis, propter quas poſtea condemnaretur in expenſas.

II.

INCERTI AUCTORIS, DE PRÆTENSIONIBUS PRINCIPIS EGGENBERGICI, LEGATI CÆSAREI, OPUSCULUM.

SCripſi ad TE nuper, PRINCEPS CELSISSIME, Veneris die hebdomadis ſuperioris Imperatorium Legatum, Principem EGGENBERGICUM, curru feciſſe introitum ſuum, ob difficultates, quæ plurium ſeptimanarum ſpatio exoriebantur, dilatum, hisque adjeceram, deſtinatam eſſe diem dominicam, quæ inſtabat, proximam, qua ſolenniter ingrederetur equo, quod etiam eventus non comprobavit, litibus novis, quas, ut ex iſtis meis literis intelliges, præſagivi, emergentibus. Immo & jam vereor, ne inſolita, cujus autor extitit *Princeps Cardinalis* SABAUDIÆ, ſatisfactio præbeat illis occaſionem intenſionibus ſuis animoſius inſiſtendi, prout jam factum eſſe vidimus.

Inter prætenſiones PRINCIPIS EGGENBERGICI ſuperatu difficillima fuit, quod a *Cardinale* BARBERINO, quando curru adventaret, domi ſuæ excipi & expectari contenderet. Allegavit exemplum Cardinalis BORGESII, qui Principi SAVELLI, a FERDINANDO II. ad idem legationis munus obeundum miſſo, eundem honorem tribuerat. Regeſſit Cardinalis BARBERINUS, alienum plane ab hoc loco eſſe exemplum, ſiquidem id BORGESIUS, ut *Germaniæ protector*, quo munere fungebatur, non ut *nepos Pontificis* fecerit. Et hinc BARBERINUS, cum Protector non eſſet, ad idem officium, Legato exhibendum, nullo modo fuit obligatus. Atque allegata hæc exceptio tanti momenti viſa eſt, ut difficultates prætenſionis ſuperari nullo modo potuerint, unde adhibitus eſt modus, ille nimirum, ut Legatus in curru in urbem vectus, non domum ſuam, ſed ad ædes *Principis Cardinalis Sabaudiæ*, tamquam *protectoris Germaniæ*, tenderet, quo evitarentur ſcopuli ex allegato exemplo enati. Inde curru ſolito collocatus ductus eſt ad Pontificem a Cardinalibus PIO, SABAUDIÆ, ALDOBRANDINO, & BORGESIO, nec non a Principe BOZZOLI, Legato Imperatoris reſidente.

Aſtiterunt Pontifici, cum ita privatim admitteretur Legatus, Cardinales XII. PIUS, SABAUDIÆ, CUEVA, FRANCISCUS BARBERINUS, S. HONUFRIUS, CAJETANUS, ALBERNOZA, BAGNIUS, PALLOTTUS, ALDOBRANDINUS, BORGESIUS & ANTONIUS BARBERINUS. Atque hoc honore plane inſolito abunde compenſata videbatur Principis prætenſio, niſi nova, quæ tunc tamen non emergebant, intervenisſent impedimenta. Dimiſſo enim a Pontifice Legato, edictum eſt, ut omnia pararentur, *quo poſſit die dominica ſolemniter equo invehi.* Hoc rumor ferebat toto Sabbathi die, idemque ex Principe BOZZOLI, auditum eſt, & exin quo-

que

que colligi potuit, quod hic ſumma feſtinatione curaret parari ſibi currum permagnificum, quo in ſolemni illo introitu uteretur. Ex his patet, quod ſi etiam daretur, fuiſſe animum Legati, cum primum ad Pontificis conſpectum admitteretur, offenſum, non potuiſſe tamen hanc indignationem radices agere, ſed eſſe eam forte poſtea demum a quodam, qui nimium ſibi Politicus videbatur, ſuſcitatam. Idem confirmatur exin, quod Legatus a Pontifice dimiſſus ſalutatum iverit omnes tres Cardinales BARBERINOS. Offendit Principem EGGENBERGICUM, ut a pleriſque acceptum eſt, quod *ſibi copia ſedendi facta non ſit*, quo tamen honore Legati Regii, & hinc multo magis Imperatorii, afficerentur. Ad quod a parte Palatii Apoſtolici reſponſum eſt:

I. Non dari exemplum, *quod unquam cum Cardinalibus, præſente Pontifice, ſederit Legatus.* Proinde non eſſe, de quo queratur Princeps EGGENBERGICUS, quaſi ſecum novi quid fuiſſet tentatum. Notandum, quod impoſterum hunc Principem ſemper appellaturi ſimus Ducem de *Cremau*, ne confundatur cum Principe de BOZZOLO.

II. Regerebatur, non ſediſſe Cardinales, & hinc non conveniſſe Legato Duci, ut ſederet, in cujus perſona honore plane inuſitato afficeretur Imperator, quippe cujus Legatum inſolita Majeſtate & ſplendore Pontifex reciperet. Non ſatisfaciebant hæc Legato Duci, qui, ut præ ſe ferebat, non novas prætenſiones attulerat, ſed id tantum contenderat, ne quid ex illis, quibus prædeceſſores fruiti erant, detraheretur. Fatebatur, honori ſibi fuiſſe maximo, quod aſſiſtentibus tot Cardinalibus a Pontifice ſit receptus, eoque nomine S. Sanctitati gratias agebat. (Ego tamen non capio, fraudi ipſi fuiſſe, quod ſedere non potuerit, quem tamen honorem ille præfert tot Cardinalium præſentiæ.) Ajebat porro, parum idoneum eſſe argumentum: Non ſedebant Cardinales, unde id multo minus decebat Legatum, quoniam, ut hic ſedeat, & illi

 ſedere

ſedere debuiſſent. Notam eſſe Principum conſuetudinem, qui ſi cui negent honorem ſedendi, vel tegendi caput, nec ipſi ſedeant, nec tegant caput, unde tamen non ſequeretur, ejusmodi honorem hoſpiti non fuiſſe denegatum. Quod ſi S. Sanctitas conſtituerit impoſterum adimere Legatis hujus honoris exhibitionem, initium cum alio, non ſecum faceret.

D. FRANCISCUS *de* CASTRO, Catholici Regis Legatus, duxerat ſecum in hanc curiam filium Grandis cujusdam Hiſpaniæ, ut ſacrum ſalutaret Collegium. Cardinalis MONTALTIUS, accuratiſſimus in ejusmodi rebus, juſſerat, ne in conclavi, in quo recipere hoſpites conſtituerat, plures duabus ſellis eſſent, ita, ut advenam illum aut adſtare, aut in aliud conclave ſe recipere oporteret. D. FRANCISCUS, homo ſagaciſſimus, de conſilio Cardinalis ſtatim ſuſpicatus, alteram ſellam illi dedit, quem ſecum adduxerat, alteram ipſe occupavit, juſſitque Miniſtrum, qui aderat, tertiam afferre Cardinali, qui contumeliam ſibi illatam retorquere, nec ſciebat, nec valebat. Non poteſt hoc exemplum caſui noſtro omnino applicari, illud autem propius accedit, quod CLEMENTI VIII. Ferraræ contigit, cum MARGARETHA Regina. Quæ a Pontifice ad prandium vocata, cum menſam duobus tantum, Papæ nimirum, & ſibi apparatam, animadverteret, huic jubenti, ut accumberet, reſpondit: *Beatiſſime Pater, expecto, ut locus mihi paretur, hic enim eſt matris meæ.*

Sed redibimus ad hiſtoriam noſtram. Mane die Dominica, apud Legatum fuit FAUSTUS, *Magiſter Domus Pontificis,* qui nomine S. S. allegavit, quod ex mera negligentia ſella ipſi oblata non ſit; Daturum tamen operam Pontificem, ut & in hoc ſatisfieret Legato, ita tamen, ut denuo privatim admitteretur, præſentibus tantum Cardinalibus Protectoribus. Reſpondit Dux: *Opus eſſe, ut iidem & omnes adeſſent.* Hæc tantum, an alia, inter ſe collocuti ſint, Dux & Fauſtus

Fauſtus certo non conſtat; illud tamen exploratum eſt, quod, ſimul ac hic a Duce redierat, inhibitum fuerit, ne ſolennis introitus appararetur.

Eodem die, poſt prandium, habita eſt, juſſu Pontificis, Congregatio in ædibus *Cardinalis* GESSI, cui interfuerunt BAGNIUS, PALLOTTUS, VEROSPI, PAMPHILIUS, FRANCISCUS & ANTONIUS BARBERINI. Ex Prælatis FAUSTUS, CECCA, PAULUCCIUS, CONTILORUS, CERRI & BICHI, una cum QUATUOR CAEREMONIARUM MAGISTRIS.

A Magiſtris Cæremoniarum Papa incredibile quantum diſſidebat in rebus ad eorum munus ſpectantibus. Adfui ipſe, cum in ſolemnitate Jubilæi Pontifex ab æde S. Auguſtini ad S. Ludovici pedibus tranſiret. Eſt apud illud templum ſcala larga, ad quam & a fronte, & ab utroque latere, ſcandi poteſt. Aſcendit Pontifex a latere, tum ut commodius eo perveniret, tum quoniam a pluvia, quæ antea ceciderat, via plena erat aqua. Hoc animadvertens unus Magiſtrorum Cæremoniarum, Pontificem apprehenſo brachio, a latere aſcendere prohibuit, eumque e regione portæ templi deduxit, ut a fronte aſcenderet, qua re viam aqua plenam ipſi reddidit longiorem.

Quid ſit in hac Congregatione decretum, non innotuit, cum denuo iidem Cardinales die Martis fuerint convocati in ædibus Cardinalis SPADAE, inter quos tamen non fuit ANTONIUS. Convenerunt eodem tempore Cæſarei in ædibus *Cardinalis* CUEVAE, ipſe nimirum CUEVA ALBERNOZ, & ambo Legati Cæſarei & Catholici.

Venit ad Legatum Ducem, die Lunæ, FAUSTUS, reſponſum ipſi ferens a Pontifice, nec rediit, niſi mane die Mercurii. Ajunt, negaſſe ipſi Ducem aditum, forte quod non animadverteret, pendere reſponſum a decreto Congregationis, die Martis celebratæ.

Rumor

Rumor per Curiam ferebatur, poſtulaſſe Pontificem inſtrumentum ELECTIONIS CAESAREAE, in quo magnopere reſpectu horum temporum peccatum eſt. Popoſcerat illud enim jam ab initio electionis, reſponſoque datum erat, fidem mereri potiorem *acta Electoralia* a Principibus Electoribus ſubſcripta, quam Inſtrumentum Notarii. Credo tamen, & in hoc ſatisfactum eſſe voluntati Domini noſtri Pontificis. Ex his intelligere potes, CELSISSIME PRINCEPS, difficultates, quæ ſimilibus occaſionibus renovantur, impoſterum non eſſe defuturas, quemadmodum nec illæ, quæ, cum a MATTHIA Romam ablegaretur *Epiſcopus* BAMBERGENSIS, emerſerunt, unquam ſunt ſublatæ. Futurumne ſit, ut hæ noſtræ ſopiantur, dies docebit; meum non eſt judicare, argumenta tamen recenſebo, aliisque, ut ſententiam dicant, relinquam.

Primum illud mihi videtur plane exorbitans, quod quis leges ferre velit in domo aliena. Quilibet Princeps in Curia ſua ſibi dominium, nec in eo alium admittit ſocium, multo minus ad ſe miſſum Legatum. *Honores, quos ſedes Apoſtolica impertire ſolet Legatis, aliquot retro annis magna aucti ſunt acceſſione, quemadmodum regna & principatus auctoritate creverunt, & potentia.* Ante annos non adeo multos Legati loco in Capella minimum publico non gaudebant, ſed latebant quaſi juxta clathrum portæ. Hodie etiam ſolio adſiſtunt. JULIUS III. reputans, quod FERDINANDUS, *Arragoniæ Rex,* primus, qui Catholici nomen obtinuit, in matrimonium duxerit, absque Pontificia diſpenſatione, cognatam ſuam, quæ, non communicato regio charactere, clam cum ipſo conſueſcebat, Arragoniæ Legato ad ſe vocato: *Age*, inquit, *Judæe, ſcribe ad Judæum baptizatum, Regem tuum, quod pœnas de contemtu hujus ſedis nobis ſit daturus.* Hoc ideo non adduco, ac ſi laudem nimis aſpera Pontificis verba, ſed ut differentiam ſtili diverſorum temporum demonſtrem.

Verum

Verum eſt, *Romam eſſe patriam communem*, Pontificem vero *Chriſtianorum caput*, a quo unusquisque ea, quæ gradui ſuo ac dignitati conveniunt, expectare poteſt & debet. Officio ſuo Imperator vel literis tantum defungi poterat; jam cum Legatum mitteret tantis ſumtibus & ſplendore, videbatur id etiam honoribus extraordinariis poſſe compenſari. Ideo tamen non crediderim, concedenda eſſe omnia, quæ poſtulat Legatus, ſiquidem illud nihil aliud eſſet, quam venerari, & obedientiam præſtare modo & arbitrio ſuo. Principes Italiæ liberi ante paucos annos Legatis Regiis cedebant, absque diſcrimine omnibus, hodierna vero die eorum nemo, præſertim autem *Etruriæ* Principes, ne unico quidem prærogativam permittunt. Equidem Legatum de Principis ſui honore indignantem excuſare poteſt, quod ipſi non honores tribuantur, quippe in cujus perſona honoratur, vel vilipenditur Princeps. Mithridatis Oratores, quod in congreſſu cum Legatis Romanis ad avertendum bellum habito, primi dicere cœperint, in crucem acti ſunt, ſupplicio ſane barbaro, ſed ad muneris Legati gravitatem denotandam comparato. Ita & in Conventu Statuum Poloniæ & Sueciæ, ante paucos annos habito, cum utraque pars, ut altera dicendi initium faceret, expectaret, primi fuerunt *Sueci*, aptiſſima quadam præventione uſi, quippe allegabant *Loqui* ſemper civilitatis & urbanitatis partem habitam eſſe, in qua tamen ſe a nulla orbis terrarum natione ſuperari Sueci paterentur.

Quæ allegavit Legatus exempla, de *ſella* præſentibus Cardinalibus aliis conceſſa, verane ſint, an falſa, ego quidem neſcio. Sane extra controverſiam eſt, *Epiſcopum* BAMBERGENSEM non ſediſſe; Ego enim ipſe cum eo fui, cum primum privatim a Pontifice admitteretur; quod profecto privatiſſime fiebat, quoniam non plures, quam tres aut quatuor, inter quos & ego, ſecum adduxerat. Acceſſerat

 enim

enim poſt primam noctis horam, nec quisquam apud Pontificem erat, quam domeſticorum pauci. Statim admittebatur Epiſcopus, Pontifex autem, cum ille ingrederetur, ſtabat, & aliquot paſſus ad Legatum procedebat. Ille propius accedens, Papam profunde veneratus, genua non flectebat, negotiumve ſuum exponebat ambulando. Quibus peractis, ſalutabat Principem BORGESIUM, in eodem tabulato habitantem, Cardinalem vero, qui in inferiore habitabat, non inviſebat, qui tamen, quod ſoliti honores tributi ſibi non fuerint, minime indignatus eſt. Ita & cum ille Principem SAVELLI eo proſecutus ſit honore, quod ipſi, cum privatim admitteretur, aſſiſtentibus tribus vel quatuor Cardinalibus, ſella fuerit oblata, vix exiſtimaverim, id, quod ſingulari amico tributum fuit, legis loco eſſe poſſe ſucceſſoribus.

Ajunt vero, qui a Cæſareis partibus ſtant, leviſſimum id quidem gravamen eſſe, quod Legato ſedendi copia facta non ſit, ſed emerſiſſe tunc nonnulla, quæ, animos eſſe alienatos, indicaverint. Acceſſerat Dux, ut ſupra diximus, cum quatuor Cardinalibus, qui atrium (*anticamera della Buſſola*) intrantes, ad reliquos, qui præſtolabantur, Cardinales ſeceſſerunt, relicto ſolo Legato, quorum Camerarii quidam colloquebantur. Ibi ſat diu expectans, cum vocatus tandem, & introductus eſſet, Papa paucis his verbis ſe expedivit: *Gratulamur adventum, & quia adveſperaſcit, differemus congreſſum in tempus magis opportunum.* His dictis, Pontifex ſurrexit, non conceſſo Legato, qui genua flexerat, ſe erigendi ſpatio, quamvis Cardinales Barberini, qui huic actui interfuerunt, affirment, Legato ſignum, ut ſurgeret, a Pontifice manu eſſe datum. Atque hoc colloquium nimis videbatur illis abruptum, cum Papa de Imperatore, viveretne, an mortuus ſit, ne verbulum quidem interrogaverit.

Non negaverim, Papam & Cardinales Barberini, qui ante paucos annos Romæ Legato, cum per aliquot menſes ibi

priva-

privatus degeret, admodum blanditi erant, ſibi perſuaſiſſe, fore, ut his officiis devinctus, voluntati ipſorum morem gereret. Unde, cum res ſecus eveniret, animi eorum alieni redditi ſunt, ipſe vero Legatus adhuc officio ſuo defuit, qui meo judicio in prudentiæ Leges peccavit, cum ego quidem res ſupra memoratas tanti momenti eſſe non exiſtimem, de quibus tantæ difficultates fuerint ſuſcitandæ.

Evitarunt ſemper Cardinales, ne cum quo in publico ſedeant. Memini aliquando multos Cardinales, qui Pontificem, ut ei in capella præſto eſſent, præſtolabantur, & poſitis in atrio ſellis ſedebant, cum ſuperveniret *Conteſtabilis* COLONNA, ipſeque cum illis aſſideret, ſurgere, ſenſim omnes, præter Cardinalem BEVILAQUAM, Colonnæ amiciſſimum, qui etiam eo nomine cæterorum reprehenſionem incurrit. Non ignoro, hujus loci hunc caſum non eſſe, quoniam Legati Vaſalli non ſunt Principum, ad quos mittuntur. *Conteſtabili* nihilominus magna eſt dignitas, datusque a Pontifice locus in Capella inter Legatos.

Semper a me obſervatum eſt, quod in proceſſionibus Corporis Domini, ad quas & Cardinales invitantur, & Legati, Cardinales non nationales, quoniam Legati adſunt, nunquam ſedeant, quibus tamen aliquo modo ſatisfacere poſſent, cum extra hanc curiam majoribus ipſi honoribus afficiantur.

Veniebat Romam *Epiſcopus* BAMBERGENSIS, de quo ſupra a nobis dictum eſt, cum prætenſionibus multis; ſed præterquam, quod ipſi, tanquam Principi eccleſiaſtico, ſuperiorem in ædibus propriis Cardinales concederent locum, allegabat adhuc exemplum PII IV. ad quem a FERDINANDO I. legatus *Epiſcopus* GURCENSIS introitum ſolemniter fecerit equo vectus, medius inter primum Presbyterum, primumque Diaconum Cardinales, qui ſacrum repræſentabant Collegium. Ad hoc regerebatur, *Epiſcopum* GURCENSEM paucis poſt diebus creatum eſſe Cardinalem,

ipſumque non Legati, ſed VICARII PER ITALIAM dignitate inſignem, exhibitis literis Imperatoris patentibus, acceſſiſſe. Et licet GURCENSIS *Epiſcopus* poſt ſolennem introitum ad Cardinalitium faſtigium ſit evectus, non erat illud tamen factum tempore introitus ſolemnis, & nihilominus, quæ intendebat, non obtinuit.

Hodierna die Legatus Dux præteritas obtinere non poterit prætenſiones, ſi ne præſentes quidem attingit. Hinc prudenter actum non videtur, quod tantos ſumtus in tanto curiæ, quæ fruſtra expectabat, deſiderio fecerit, cum ſatius fuiſſet, non moviſſe prætenſiones, easque plane præteriiſſe. Quem effectum habituræ ſint Congregationes celebratæ, videbimus; nihil ſane de iis innotuit, niſi quod inde domum redierit *Cardinalis* BARBERINUS, *febri affectus.*

D. XXX. Menſis Julii.

Præteriit hebdomas ſuperior, nec ſopitæ tamen lites inter Legatum & Palatium, in quod die Mercurii 30. Julii ex improviſo convocati ſunt Cardinales ad Conſiſtorium extraordinarium ſecretum, quod ultra quatuor horas *duravit.* Quid in eo actum decretumve ſit, non innotuit, cum non tantum admodum ſecrete habitum, ſed & prohibitum ſit a Pontifice ſub cenſuris graviſſimis, ne quid tractatum ſit, propaletur. Flagrabat Curia ſecreti hujus intelligendi cupiditate, ſed fruſtra, quoniam Cardinales de ea re interrogati nihil omnino reſpondebant. ALDOBRANDINUS *Cardinalis* amico ſciſcitanti regeſſit: *Non licet homini loqui.* Alius: *undique anguſtiæ.* Conjecere tamen plerique Conſiſtorium litium cum Legato cauſa fuiſſe convocatum. Intravit pluries, & rediit D. CAVA, varias manu tenens ſcripturas, quæ procul dubio ad negotium, de quo agebatur, ſpectabant. De re ipſa nihil reſciri potuit, quod tamen per curſores innoteſcet apud exteros citius, quam Romæ, ut

accidit

accidit tempóre CLEMENTIS VII. a quo, cum Conſiſtorium ſub eodem ſecreti præcepto convocaretur, Curia omnium erat ignara, donec *Auguſta Vindelicorum* rem totam perſcriberet MARCUS VELSERUS. Interfuerunt huic Conſiſtorio, omnes, qui jam in Curia verſantur Cardinales, præter Decanum, SCAGLIAM & VEROSPIUM, qui ſenectute vel morbo impediti non acceſſerunt. Ferebatur rumor per curiam, lites eſſe ſopitas, & fore, ut proxima die dominica ſolemniter introitum celebraret Legatus, quam tamen famam eventus non comprobavit. Aſt cum Papa æque ac Legatus curſores ſuos emiſerint, reſponſum expectare oportet. Cæterum non dubito, quin tranſactio, ſi ſecuta nondum ſit, certe tamen proxime inſtet, quoniam id Legati ipſius intereſt, licet dixiſſe feratur: *Mallem eſſe primus, qui re infecta diſcederet*, ſiquidem ſi hæc ipſi mens fuiſſet, abiiſſet dudum. Quamvis autem diſcedens cenſuram vulgi effugiat, non poteſt tamen non Imperator ipſi indignari, ſi reſciſcat, obſervatos eſſe cum Legatus ad Pontificem admitteretur, omnes quos Cæremoniarum Magiſtri præſcribunt ritus, de quibus ut edoceretur, curare potuit & debuit PAULUS SAVELLI, Princeps ALBANUS a FERDINANDO II. ad PAULUM V. ob eandem rationem legatus duos menſes ante arceſſivit ſibi Cæremoniarum Magiſtrum, quo ſpectante omnes actus, quos coram Pontifice expedire debebat, iteratis vicibus exercuit. Verum eſt, accidere quædam improviſa nonnunquam poſſe, ut in hoc caſu reapſe contigerunt, quibus & Pontifex turbabatur & Legatus. Papam commovebat, quod videret ſecum tantum Cardinalium numerum, qui collegium perfectum conſtituebat, & præter hoc indignabatur etiam Cardinali FRANCISCO, qui ut Principi Cardinali Sabaudiæ velificaretur, effecerat, ut hoc modo ſatisfieret Legato ab ipſo Cardinale Barberino, domi ſuæ excipi deſideranti. Legatum vero confundebat, quod a Car-

dinalibus, quibuscum palatium ingreſſus erat, ſimulac in atrium veniſſent, ſat diu ſolus fuerit relictus, & quod cum intraret ad Pontificem, haberetque in manibus chirothecas, *Magiſter Cæremoniarum* verbis parum prævifis dixerit: *Apage chirothecas!*

Negari nequit, *mundum*, ut dicitur, *regi caſu*. Jam per annos octoginta in manibus & cura MARCHIGIANORUM ſunt cæremoniæ Curiæ Romanæ, quæ profecto maximam, ſi quis bene conſideret, mutationem ex variis accidentibus paſſæ ſunt. Fallitur Legatus circa hæc verba: *Quoniam adveſperaſcit &c.* ea enim potius gratiam quandam ſpirant, quam quod ideo dicta eſſe debeant, ut pauciſſimis Dux reciperetur. Imo & Legatus ipſe ſtatim illis offenſus non eſt, quoniam, ut diximus, poſtea ſalutatum ivit Cardinales Palatii, & veſperi munus ſolitum acceptavit. Unde patet, quod ab aliis poſtea ſit irritatus, & dubio procul a domeſtico quodam, aliis enim non facile fides habetur. Ego ſane exiſtimo, omnium turbarum fontem eſſe, quod ejusmodi homini ſoli ſiſus ſit Legatus, qui, ſi adhibuiſſet alios, in his negotiis verſatos, bene affectos & devotos erga Auguſtiſſimam domum Auſtriacam, reſecuiſſent illi quidem has prætenſiones, vel certe eas terminis arctioribus incluſiſſent. Sermones aliquando habui, antequam hæc acciderent, cum *Marchione de* CASTELRODRIGO, qui non adeo mite judicabat de iis, qui neminem in conſilium vocarent. Quod, cum ego excuſare vellem, dicens: *Si promiſcue omnibus aures præbeamus, excludi etiam non poſſe alios*, ille replicans, ajebat: *Malum id quidem fore, ſiquidem & ita fecerint alii.*

Voluerunt autem & in eo defendere Legatum, quod nemo in conſilium apud eum admitteretur; id enim ideo fieri, ne aliquo modo prætenſiones ejus ulterius foveantur: Aſt hæc reſponſio meo quidem judicio parum congrua eſt, cum hæc negotia etiam literis tractari poſſint.

Atque

Atque eo hæ lites perductæ ſunt, quas tamen ſopitum iri ſperamus, præſertim cum viderimus, D. FAUSTUM POLI, & *Cardinales Protectores* aliquoties convenire, qui abſque metu, ne alterutra pars cauſam alteri proderet, tractare & conferre conſilia poſſunt, etiamſi nihil cum aliis communicent, vel quicquam iis revelent.

III.

RELATIO DE CONTROVERSIA, CUM PRINCIPE EGGENBERGIO ORTA, ANNEXO JUDICIO AUTORIS.

De adventu PRINCIPIS EGGENBERGICI, ejusve conſiliis, conatibus & cauſis, ob quas per adeo longum temporis ſpatium hic moratus eſt, in vulgus ſparſi ſunt libelli varii, ſed voluntati eorum, qui has res cognoſcere cupiunt, minus reſpondentes. Unde ego quidem ſæpenumero meditatus ſum plenam condere univerſi negotii hiſtoriam, niſi vetaret ſtylus Curiæ, hodierna die plane immutatus, qui neminem id cognoſcere patitur, quod ſi ad aures privatorum perveniret, minus e re eſſe videretur. Ac erunt forte, qui hanc ſtyli mutationem magnopere mirabuntur, nec ipſe inficior, & mihi eam valde miram videri. Aſt quod ita ſe res habeat, unusquisque, cui ea, quæ præterito anno acciderunt, Pontifici ſecundum meam narrationem contemplari libuerit, ſatis, opinor, intelliget. Non iis vivimus temporibus, in quibus quondam, unico verbulo prolato, vel ſigno manu dato, ut apud SIXTUM V. fieri conſuevit, univerſum intelligatur negotium. Hæc ſi vivus ſpectaret TACITUS, non eſſet ſane, cur ſpem illius appellaret vanam, qui a multis ſilentium & fidem præſtari poſſe exiſti-

exiſtimaret. Convenere ſæpius unà partes, convocati non raro Prælati, vel ipſi congregati ſunt Cardinales, ſemel etiam univerſum Collegium ſacrum coram Pontifice comparuit, & nihilominus, quis eſt inter cæteros, qui harum rerum momenta ſibi innotuiſſe, jure gloriari poſſet? Noluerunt Cardinales a palatio redeuntes ſciſcitantium cupiditatem implere, ſed Aldobrandinus: *Non licet homini loqui;* Alius: *Undique anguſtiæ* reſponderunt. Et diffluxerunt profecto artes exploratorum noſtri temporis, hominesque ingenii ſagaciſſimi conticuerunt, forte ne fruſtra laborent his diebus canicularibus. Quare, quando id, quod mihi compertum eſt, edo, laudabunt voluntatem Lectores, memores illius triti: *Facile eſt inventis aliquid addere.*

Cum adveniret Dux die, Dominica, IX. menſis Maji, obvios ad primam urbis portam habuit Cardinales, PIUM de SABAUDIA, Imperatoris ordinarium, & Hiſpanicos duos Legatos, & in palatium, quod conduxerat, ſe contulit. Fuerunt ibi parata, quæ Legatis offerri ſolent, munera, ſed dilata eſt eorum oblatio, quoniam adventum ſuum eſſe publicum, nolebat Legatus. Ferebatur tunc, Neapolim petendi conſilium cepiſſe, eo quidem animo, ut ſopirentur interea lites, ad conciliandum Legationi ſplendorem, præſertim ſub adeo illuſtri Protectore, motæ ab iis, qui a partibus ſtabant Auſtriacis.

Die Veneris poſt adventum Legati, convenit Cardinalem BARBERINUM Princeps BOZZOLI, procul dubio, ut de his rebus tranſigerent. Quæ autem poſtulavit Legatus, eo redeunt, *ut ipſe in ſuo exciperetur palatio a Cardinale* BARBERINO, *a quo poſtea ad oſculum pedis Papæ perduci poſſet, ut obviam haberet Præfectum urbis, non ejus filium primogenitum, ut reciperetur in Conſiſtorio publico, in aula Regia S. Petri, & ut denique obtineret locum in capella.* Ad ſuperandas has difficultates opera electa eſt Archiepiſcopi *Amaſiæ,* & BRIGIDI, *Conſilia-*

Conſiliarii Aulici, qui cum Duce acceſſerat. Et illi quidem conſilia ſæpius invicem communicarunt in palatio Cancellariæ, dimiſſis interea ab utraque parte curſoribus in Germaniam perituleis. Ablegavit eos quoque Legatus Florentiam, ut morem gereret mandato Imperatoris, qui conſilia cum MAGNO DUCE communia eſſe voluerat. Interea rumor ſpem tranſactionis fecit: *Datum iri Legato publicum in aula Regia S. Petri Conſiſtorium; venturam ipſi obviam Præfecti primogenitum filium, qui ad dignitatem Generalis S. Eccleſiæ vocatus erat*, quoniam hic unicum quidem ſuppetebat exemplum, quod cuiquam veniſſet obviam Præfectus ipſe; *exceptum iri in palatio Legatum a* BARBERINO *aliisque Cardinalibus*, quamvis conſuetudine contraria obtineret, ut nemo niſi Cardinales Nationales, nec unquam Nepotes Pontificis, niſi qui Germaniæ Protectores fuerint, Imperatoris Legatos in illorum palatio expectarent. De loco in capella quid decretum ſit, mihi non eſt compertum.

Die Veneris XVIII. menſis Junii celebratus eſt Legati introitus, XLVIII. vel L. carpentis conſpicuus. Venerant Duci obviam omnes illi, de quibus ſupra diximus, ut & *Cardinalis* ALDOBRANDINUS, Neapoli redux, ipſeque Legatus ſe ad Montem Jordanum contulit, ubi habitabat Cardinalis de Sabaudia, a quo poſtea cum reliquis, qui obviam proceſſerant, Cardinalibus ad palatium perducebatur. Eo allati, in atrio invenerunt Cardinales binos Hiſpanicos, ut & CAJETANUM, VEROSPIUM, PALLOTTAM, & BARBERINOS. Admiſſus eſt Dux, ſalutavit Papam, abiit & inviſit tres Cardinales Palatii, ad cœnam ivit cum Cardinale de Sabaudia, & denique recepit ſolitum illud, de quo ſupra diximus, munus. Altero die circumferebatur & oratio Ducis, & Pontificis reſponſio; audiebantur etiam querelæ Legati, juſtos ſibi honores non eſſe habitos, præſertim quod copia ſedendi non ſit facta. Addebant alii novum gravamen,

 quod

quod quaſi abrupti fuerint Pontificis cum Legato ſermones, adeo, ut ille ne verbulo quidem de vita & ſalute Imperatoris quæſiverit. Unde mox interdixit Legatus, ne introitus ſolennis, ad quem omnia jam inſtruebantur, ulterius appararetur. Cujus inopinati conſilii cauſas ut reſciſceret FAVSTVS, ad Legatum ſe contulit, allegando, quam inexpectatum id videri poſſet, cum ceteroquin Dux ſufficere ſibi honores exhibitos, teſtatus ſit, non eo tantum, quod inviſerit tres Cardinales Palatii, ſed &, quod munus illud ſolemne acceptaverit; Daturum quoque operam Pontificem, ut alia occaſione ſedere poſſet, non aliter tamen, quam cum Cardinalibus nationalibus, & Domui Auſtriacæ ſubjectis. Ad hæc reſponſum fertur a Legato, opus eſſe, ut ſedeat præſentibus Cardinalibus, qui primum adfuerant, omnibus; alii ſunt, qui FAVSTVM a Duce plane non admiſſum rediiſſe ferunt. Habita eſt eodem die in ædibus Cardinalis GESSII Congregatio, cui interfuerunt PAMPHILIVS, VEROSPIVS, BAGNIVS, BARBERINVS, ANTONIVS & PALOTTA Cardinales, ex Prælatis autem POLO, CEVA, PAOLVCCI, CONTILORO, ROSPIGLIOSI & BICHI. Præſtolabantur quatuor Cæremoniarum Magiſtri, qui intromittebantur & redibant aliquoties; non erat tamen cum eis ALALEONE ANZIANO, qui ob gravem ſenectutem nunquam in publicum, niſi diebus feſtis ad Miſſarum ſolemnitatem, exiit. Ibi vero decretum eſt, ut de univerſo negotio ad Pontificem in Conſiſtorio referret Cardinalis PALOTTA, id quod & ab ipſo factum, eſſe novimus. Aliquoties iidem Prælati convenerunt apud Majorem domus Pontificis, ubi & MARALDVS & PANCIROLLVS acceſſerunt, & unà fuerunt ſemper diutiſſime, imo aliquando uſque ad noctem. Die Martis, poſt celebratum, de quo diximus, Conſiſtorium, habita eſt eorundem Cardinalium Congregatio in ædibus SPADÆ, reducis tunc ex Romandiola.

Ultimo menſis Julii generalis celebrabatur; coram Pontifice Congregatio, in qua quid actum ſit, hactenus nondum innotuit. Illud tamen ferebatur, quod Pontifex ſcribi juſſerit Cardinalium ſuffragia, Secretarii vices ſuſtinente CEVA. Nec intermiſit Dux ſuas celebrare Congregationes in ædibus Cardinalis CEVAE, accedentibus etiam ALBERNOZIO, Principe BOZZOLI, & Legatis Regis Catholici binis. En igitur tam illuſtris facti ſpeciem!

Venio nunc ad ea argumenta, quibus demonſtrari poſſe puto, tantæ auctoritatis viros erroris non eſſe inſimulandos. Et primum minus placet eorum ſententia, qui adeo clamitant, ingraveſcere abuſus, infringi auctoritatem Cæremonialis Romani, confundi Diaria, & ut his morbis mederi queamus, opus eſſe remedio inuſitato. Conſtat inter omnes, *cæremonias & ritus eccleſiaſticos æque, ac civiles, ex quo obſervari cœperunt, nunquam in eodem permanſiſſe ſtatu, ſed continuis quaſi acceſſionibus eſſe augmentatos.* Id quidem tempore avorum noſtrorum animadverſum eſt, cum de claudendis carpentis ageretur, qua de re anno præterlapſo quædam commentatus ſum. Nec caret ætas noſtra exemplis, & cum ſemel adulatione Barbarorum invaluerit titulorum exceſſus, neque Pragmatica Sanctio PHILIPPI II. neque alia remedia, ad rapidum harum rerum curſum inhibendum ſuffecerunt. Quod ſi pro certo habeamus, fieri non potuit, ut Legatus Dux nullos, niſi hactenus exhiberi ſolitos honores poſtularet. Qui in Italiam veniunt Miniſtri Regii Ultramontani omnes, plura obtinere contendunt, quam conſecuti ſunt eorum prædeceſſores; imo id ipſum eis in mandatis dari conſuevit. Ad rem nihil facit, quando oggeritur, Legatos talia petere, quæ ipſos minime deceret, & aſpirare ad locum, titulosque, qui eorum Principibus tantum convenirent.

Nullum ſupereſt de hac prætenſione dubium. Nam qui Italiæ Principibus ante paucos adhuc annos dari ſolebat

EXCELLENTIAE titulus, nunc ad eorum Miniſtros pervenit. Non erat olim Legatis in Capella locus, hodierna die etiam ſolio adſtant. Et hac acceſſione auctos eſſe eorum honores, manifeſtum eſt, licet ab altera parte nonnihil perdiderint, veluti quod in palatiis ſuis Principes Italiæ liberi non, ut olim, ſuperiorem locum concedant Legatis. Qui ita rationes ſuas componunt, ignorare videntur, quod tres primarii Hiſpaniarum Regis in Italia Miniſtri per diuturniſſimum temporis ſpatium æquales cum Principibus noſtris liberis ſibi vindicaverint honores. Nec meminiſſe videntur, eosdem Legatos cogitaſſe de obtinendo CELSITVDINIS titulo, quem etiam illius Regni Grandes poſtulaverant, ex quo eum dari viderant Principibus noſtris, & filiis eorum ſecundo- & tertiogenitis. Atque hæc eſt origo appellationis CELSITVDINIS REGIAE. Qui ita adhibentur modi, ut majora poſtulantibus aliquo modo ſatisfieret, non poſſunt appellari abuſus, ſed acceſſiones dignitatis. Sane non ſequuntur exin ea incommoda, quæ tempore IVLII II. ſenſimus Bononiæ, cum EPISCOPO GVRCENSI. Ille, quod cum Pontifice ipſo, qui tres Cardinales deputaverat, agere non poſſit, indignatus tres quoque ex ſuis delegavit; hinc illæ ſimultates, quibus exacerbatus Epiſcopus profectus eſt, fruſtra poſtea revocatus. *Vid. hac de re* GVICCIARDINVS *in hiſtoria illius temporis.* Rediit Romam IVLIVS, eoque venit etiam Epiſcopus Gurcenſis, poſtulans locum ſupra Cardinales omnes; poſtea tamen non recuſavit ſedere poſt ultimum Diaconum Cardinalem. Alius ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, tempore PII IV. a FERDINANDO I. Romam miſſus, ſolennem introitum equo fecit, medius inter primum Presbyterorum & Diaconum Cardinales. Hujus exemplo ſe tuebatur *Epiſcopus* BAMBERGENSIS, ad PAVLVM V. a MATTHIA Imperatore miſſus, qui ſuperiorem locum in domibus Cardinalium ſibi dari poſtulabat; at regerebatur,

paucis

paucis poſt diebus creatum eſſe Epiſcopum Gurcenſem Cardinalem; unde obſervata eſſet JCtorum regula: *Proximus accingendo habetur pro accincto.* Satisfactum videtur hac reſponſione Bambergenſi, qui Papam ambulando, nomine fere præſente, ſalutabat. Sufficiebat ipſi, quod nec genua flectere, nec oſculari pedes debuerit, viſebat Principem de SVLMONA, non autem Cardinalem BORGESIVM, a quo, tanquam Germaniæ Protectore, conſueto loco exceptus erat. Atque ita tunc emergentes difficultates removit Pontifex, quæ non caruerunt tranſactione, ut a nonnemine ſcriptum video. Hæc omnia vero modi ſunt componendi lites & controverſias, non autem, ut male appellari ſolent, abuſus. Probe norunt Legati, quam graviter in his rebus dignitas verſetur, & quam facile leviſſimo quovis peccato ipſi offendantur Principes. Capitis ſupplicio OROBAZEM Legatum ſuum Parthorum Rex affecit, quod ſuperiorem locum conceſſerit SVLLAE. MITHRIDATIS Legati, cum in congreſſu cum Romanis dicendi initium feciſſent, domum reduces acti ſunt in crucem. Non ſunt omnes æque urbani ac SVECI, qui cum nuper cum Polonis unà eſſent, expectante utraque parte, ut altera loqui inciperet, primi in eo fuerant, urbanitatis id eſſe allegantes, in qua neminem ex omnibus gentibus & nationibus ſuperiorem agnoſcerent.

Superfluum foret, multis referre diſſenſum Papæ a Cæremoniarum Magiſtris, quove ille modo, cum ex æde D. AVGVSTINI ad D. LVDOVICI tranſiret, per ſcalam aſcenſurus, reductus ſit ab ALALEONE, per viam, aqua pluvia redundantem. Multo minus huc facit, quod Princeps SAVELLI duos menſes, antequam ad Pontificem veniret, ad ſe vocaverit, a quo edoceretur, Cæremoniarum Magiſtrum. Legatus enim noſter vel idem fecit, vel ut faceret, non fuit neceſſe. Non deſtituitur hominibus in curia verſatis, a quibus unusquisque tantum edoceri poteſt, ut facile

carere queat opera Magiſtri Cæremoniarum. Univerſa harum rerum ſcientia abſolvitur lectione paucorum Diariorum, quæ ſub SIXTO IV. cœperunt. Qui in his verſatus eſt, eo peritior erit ipſis Cæremoniarum Magiſtris, quo plus memoria valebit. Princeps eorum, quem cæteri ſequuntur, fuit omnino GRASSIS, hoc Magiſterio Leonis X. tempore functus. BIAGO de CESENO, qui Clericus non erat, neque rerum eccleſiaſticarum peritus, hoc munere ornabatur primo Pii IV. anno. Firmanus eum in omnibus ſequi promiſerat, *quia nihil ſciebat,* ut verbis utar auctoris Diarii. Opus eſt nonnunquam inprimis prudentia, & ſubacto judicio, quando emergentibus difficultatibus diſpiciendum eſt de remediis & tranſactionibus opportunis; id quod tamen rarius reperitur in Magiſtris Cæremoniarum, quippe qui ei, quod per manus traditum accepere, inſiſtere ſoliti ſunt. Multo minus vitio vertendum eſt Legato, quod ipſe ſibi ſolus in his rebus conſulere, & eorum conſiliis carere malit, qui ad ea impertienda adeo promtos ſe offerunt. Nihil equidem illos curat, in conſilium adhibet pro arbitrio ſuo nonnullos, & forte meliores. Æque ſuperfluum foret commemorare ſancita Cæremonialis Romani, quod Legati Regii, obedientiæ præſtandæ cauſa accedentes, obviam habere debeant familiam Papæ, eorumve Cardinalium, qui obviam procedere ſolent majoribus, non autem æqualibus & inferioribus, exemplo Cardinalis de SIENA, qui SIXTO IV. jubente, eum honorem præſtare noluit Nepoti ejus, Card. S. Petri ad Vincula. Nec referam eodem libro contineri, introitum a Legatis equo, non carpentis eſſe celebrandum, iisque incumbere, ut domum ſuam ſtatim ſe conferant, nec ad pedes Pontificis oſculandos feſtinent, quippe quod Principes tantum, quibus hoſpitium in Palatio & locus ſedendi inter Cardinales eſſet, condeceret. Omnes hi ritus, mores & conſuetudines aliam induerunt faciem, adeo, ut hodierna die nulla de iis lis ſuperſit,

perſit, ſed ad doctrinarum caput pertineant, de quibus dici poteſt, *Receſſerunt ab aula.* Dedit Duci CALABRIÆ INNOCENTIUS VIII. locum poſt primum Cardinalem, quamvis ille, niſi Regi, competeret nemini. Cum Roma proficiſceretur, comitatum ipſi adjunxit usque extra portam S. Johannis, & cum equitanti Duci locus inter priores Diaconos Cardinales medios competeret, datus ipſi eſt inter primos Epiſcopos, honore inuſitato, & uni alias IMPERATORI dari ſolito. Cardinalem Lotharingiæ PIUS IV. in palatio ſuo habitare voluit, & ad conclave ipſius Cardinalis, refragante omni conſuetudine recepta, ipſe deſcendit. Oportuit ſane Ducem noſtrum ſuæ quoque dignitatis eſſe memorem, & majora poſtulare, ut minora conſequeretur. Ac poteſt ille quidem inuſitati quid ſibi polliceri a benevolentia Pontificis, ejusve cognatorum, a quibus ante paucos annos, cum Romæ eſſet privatus, honorificentiſſime eſt exceptus. Majorem ipſi ſpem facere poteſt ſingularis humanitas Cardinalis BARBERINI, ita ut non immerito ſibi perſuadeat, nunquam contingere poſſe, ut, quæ poſtularet, omnia denegarentur, quale quid MAXIMILIANO I. contigit, qui coronationis ſuæ cauſa in Italiam tendens, ut LEO X. Tridentum venire voluerat, vel Epiſcopo Siracuſano, Hiſpaniarum Regis Legato, ad eundem Pontificem, cui in mentem venerat, æquales cum Cardinalibus in functionibus & ſolennitatibus publicis petere honores. Sufficient profecto Legato noſtro honores alii, ne in Germaniam redire coactus ſit, quale quid ipſi conſuluit nonnemo eo prætextu, quod relegati inſtar Romæ commorari videretur. Contra ejusmodi enim conſilium moneri poteſt, Legatum Colonienſem Romæ per duos annos ſtetiſſe, nec evitaſſe VÆRGAM reprehenſionem multorum, quod motis de præcedendi jure controverſiis, locum, quem ipſi Pius IV. obtulerat, non acceptaverit.

Venio

Venio nunc ad cauſas ſimultatum, quæ ab aliis allegari ſolent. Et ajunt illi quidem, quod Legato, poſtquam Pontificem & tres Cardinales Palatii ſalutaverat, ſolitamque acceperat munus, ex amicis quidam perſuaſerit, ut majores quosdam honores obtinere contendat, quibus creatum ſibi præjudicium compenſetur. Ea autem, quibus dignitatem Legati læſam dicebant, eo redeunt:

1) Quod non ſine importunitate juſſus ſit exuere chirothecas, quippe quod ipſi in aurem dici potuiſſet, ſi intraſſet ad Pontificem, chirothecarum immemor.

2) Quod ſolus cum Camerariis quibusdam a Cardinalibus, antequam introduceretur, ſit relictus.

3) Quod genua flectentem nemo elevaverit, nec ipſe facultatem habuerit ſedendi, ut Cardinales & Legati Hiſpanici ac Gallici.

4) Quod Papa per longum temporis ſpatium nihil ex eo de Imperatore quæſiverit.

Sunt qui adjiciunt, pupugiſſe Legatum reſponſionem Pontificis, qua Imperatorem REGIS tantum ROMANORUM titulo appellaverat; ipſumque Papam ægre tuliſſe tot Cardinalium congregationem, auctore CARDINALI BARBERINO (qui hunc ſolemnitatem in gratiam Principis Cardinalis de *Sabaudia* procuraverat,) convocatam.

A parte Palatii reſponſum eſt ad

1) quod Dominus quisque Miniſtris ſuis mandata quidem dare poſſit, ſed modum, quo commodiſſime explicentur, non eſſe penes eum. Ceterum gravamen de chirothecis exigui videri momenti, & incubuiſſe familiaribus Ducis, ut hunc de re eum monuiſſent, & hac in parte præveniſſent Magiſtros Ceremoniarum, & Camerarios.

2) Cardi-

2) Cardinalium, qui Legatum comitati erant, fuiſſe, curare, ut bene exciperetur. Singulos eorum vero tueri ſe poſſe exemplo illius, quod *Bevilaquæ* cum *Conneſtabili* COLONNA accidit.

3) Papam dediſſe manu ſignum, ut ſurgeret; & hoc, ſi Pontifex aſſeveraret ipſe, ſatis ſuperque ſufficere poſſe Legato. Ita quoque acquieviſſe ſtatim Legatum Venetum, qui graviter conqueſtus erat, quod ante ſe Sabaudicus in Capella ſuffitu fuerit honoratus, poſtquam a Pontifice certior factus erat, errore id contigiſſe Acoluthi, qui ſuffierat.

De eo autem, quod ſedendi copia Legato facta non ſit, diverſimode a diverſis compoſitas eſſe rationes, compertum mihi eſt. Sunt, qui dicunt, ne unicum quidem allegari poſſe exemplum, quod Legatus præſentibus Cardinalibus ſederit, niſi qui Protectores vel Comprotectores, Nationales aut Subditi fuerint illius Principis, quem repræſentat Legatus. Multo minus dari ſolere ejusdem generis ſellam cum Cardinalibus Legato, quippe quod illi nunquam patiantur, adeo, ut quavis occaſione, v. c. quando præſtolantur Pontificem in proceſſione Corporis Domini, malint ſtare, quam ſedere cum Legatis eo invitatis, licet aliis modis honores ipſis impertire conſueverint longe inſigniores. Alii paratas fuiſſe binas pro Legatis Imperatoriis ordinario & extraordinario ſellas contendunt; aſt poſtquam illi ſurrexerant, & adhuc ſemel venerati erant Pontificem, hunc, ajunt, ſtatim abiiſſe. Legatus Regis Galliæ coram Papa ſedit, præſente unico Cardinale, eoque regni Francici protectore. Ita & Hiſpanici Legati tres ſederunt cum tribus Cardinalibus, ſubditis Nationalibus, qui juſſu Regis ad dignitatem Legatorum augendam advenerant, non invitati a Pontifice, ut ſibi aſſiſterent. Exin infertur, honorem Duci noſtro habitum eſſe inuſitatum, imo antea inauditum; quippe qui receptus ſit a Pontifice, aſſi-

ſtente univerſo ſacro Collegio, quod vel a tribus tantum, & multo magis a duodecim Cardinalibus repræſentatur.

Ad 4) regerebatur, nunquam REGEM ROMANORUM legitime appellari IMPERATOREM, niſi qui coronatus ſit. Præterea Papæ non viſum eſſe dignum tot Cardinalium præſentia miſcere ſermones amicos, quod opportunius fieri ſoleat privatim, quando Legatus, ſecundum admiſſus, negotia ſua explicavit, & quidem poſt publicum Conſiſtorium.

Sciendum quoque eſt, quod Legatus non niſi tribus caſibus coram Papa ſedere ſoleat, ſi ipſi magna eſt familiaritate conjunctus, vel de negotiis tractat, vel ob morbum nec ſtare, neque genua flectere poteſt. HERCULES I. Ferrariæ Dux, inter Cardinales ſedit, donec familia ejus univerſa pedes oſculata erat INNOCENTIO VIII. Ob ſimiles cauſas ſedendi copia facta eſt Principi SAVELLI coram Paulo V. aſſiſtentibus tribus vel quatuor Cardinalibus, qui tamen quales fuerint, ego non memini, quoniam non ſunt mihi viſa illius temporis Diaria. Accedit, quod jus ſedendi proprie majorem dignitatem non indigitare videatur. Sedent enim in capella Prælati omnes & officiales privatæ conditionis, ubi ſtant Legati, & tamen eorum omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos & Patriarchas præcedunt. Illud quoque exemplo Principum confirmari poteſt. Sedit in publico Conſiſtorio inter Cardinales FERDINANDUS, Princeps Capuæ, cum obedientiam præſtaret INNOCENTIO VIII. Idem contigit FREDERICO, *Principi de Altamura*, apud ALEXANDRUM VI. Contra CAROLUS VIII. Franciæ Rex, eidem Pontifici obedientiam præſtans, continuo ſtetit, ut & FRANCISCUS Rex coram LEONE, *Papa X*. En ergo Principes, qui ſederunt, cum tamen ſteterint Reges! quamvis verum ſit, quod male applicentur hæc exempla ad Legatos obedientiæ, qui, quamvis Regii ſint, genuflexi omnia Legationis ſuæ munia obire tenentur.

COSMUS

COSMUS MEDICEUS, titulo Magni Ducis inſignis, oſculabatur PIO V. pedes, manus & os, inde genuflexus Papam alloquebatur, auditoque reſponſo, ſurgebat, & ad dextram ſtabat ſolii.

ALEXANDER, *Parmæ Princeps*, ab eodem Papa in Congregatione XVIII. Cardinalium receptus, eodem modo Dominum noſtrum ſalutabat, & una cum Legato Hiſpanico ſtabat ad ſiniſtram.

Dux Mantuæ a CLEMENTE VIII. Ferrariæ receptus in Congregatione Cardinalium, Papam ter veneratus oſculatus eſt, ut modo de aliis dictum. Inde genibus procumbens, orationem ad Papam habuit, a quo ſurgere juſſus ſtetit ad dextram. Idem ſervatum eſt cum RAINUCIO, Parmæ Duce, ut ſcripſit MUCANTES. Auctorem novi, libellum ejus autem non vidi.

Veniebat tunc etiam Ferrariam Dux de FERIA, Gubernator Milanienſis, & in Congregatione Cardinalium receptus oſculabatur pedem, orationem perſequebatur, ſurgebat, & ſtabat ad ſiniſtram Papæ. Erat ibi ſella, holoſerico tecta, cui cum inſidere vellet, ſtatim curabant eam auferri Cæremoniarum Magiſtri, ita, ut uſque ad Congregationis finem ſtare cogeretur. Vulgabatur etiam per Curiam, Legatum noſtrum Majeſtate Pontificis attonitum, & quaſi occœcatum fuiſſe, quod & aliis multis contigiſſe dicitur. SIGISMUNDUS MALATESTA, præſente EUGENIO IV. ſeptem Carninalibus circumdato, perturbatus hæſiſſe fertur, licet Papa ipſius fuerit compater. Ita REGINA CYPRI aliquantiſper coram SIXTO IV. obſtupuit, fœmina ceteroquin eloquentiſſima. Atque illis occaſionibus ad ſe vocare ſolent Papæ Cardinales, ut ſplendidiorem ſibi magnificentiam & majeſtatem concilient, non ut aſſiſtant illi Principibus. Et hæc forte cauſa fuit, quæ permovit Pontificem, ut brevior eſſet, quam fuiſſet forte, ſi Legatus orationem habuiſſet longiorem vel vehe-

mentiorem. Paucis verbis reſponſionem ſuam abſolvit, ad benevolentiam teſtificandam, non ut eo citius dimitteretur Legatus, quamvis ita olim obſervatum ſit cum Principibus, qui genibus flexis oſculabantur pedem, & Papam ſalutabant. Iidem poſtea, viſo Pontificis ſigno, ſurgentes amplectebantur Cardinales, qui etiam ſuas ſellas linquebant, abeunte interim Papa. Non ergo ſedere poterat Princeps, ſed comitantibus Cardinalibus omnibus, aut eorum quibusdam, ad palatium ſuum ſe recipiebat. Hoc mentis vel viſus deliquium, ſi quod fuit in Legato, non puto alicujus fuiſſe effectus. Multo minus intelligo, quid ſit, quod in his controverſiis in medium proferantur a nonnullis exempla MARGARETHAE Reginæ, quæ Ferrariæ a CLEMENTE Pontifice ad menſam vocata, excuſavit ſe, quod expectaret locum ſibi parari, quoniam jam paratus eſſet matris ſuæ. Multo minus huc facit exemplum D. FRANCISCI de CASTRO cum Cardinale MONTALTIO. Illud opus eſt, ut adjiciam, nullius momenti eſſe monere, quod Imperator hoc officio vel ſolis literis defungi potuerit, unde legatio adeo magnifica tantis ſumptibus, tantoque ſplendore ab eo miſſa, mereatur compenſationem quandam ſingularem. Nihil hoc ad difficultates objectas removendas facit, cum ſemel via obedientiam per Legatum præſtandi ſit electa.

Aſt finem ſermonibus meis ita imponam; plures quidem honores, quam ſupra commemoravimus, poſtulare non poſſe Legatum, quoniam exempla in favorem ſuum alia allegare nequit. Univerſa ergo res redit ad arbitrium Pontificis, cujus Anteceſſores pro temporum ratione multis multa gratioſe largiti ſunt. Non foret res tanti momenti, ſi concederet Pontifex novi quid Legato, modo illud modeſte petatur, non exigatur rigore juſtitiæ, quippe quo Dux parum, opinor, proficiet. Aſt hæc omnia judiciis prudentiorum ſubjicio.

IV. IN-

IV.

INFORMATIO, PORRECTA CLEMENTI P. S. P. VIII. DE JUSTIS CAUSIS OBTINENDÆ DISPENSATIONIS MATRIMONII, CONTRACTI INTER PRINCIPEM LOTHARINGIAE CATHOLICUM ET CATHARINAM, FRANCIAE REGIS CHRISTIANISSIMI, SOROREM HAERETICAM.

BEATISSIME PATER.

HENRICUS, *Princeps Lotharingiæ, Dux Barenſis,* & CATHARINA, ſoror Franciæ Regis Chriſtianiſſimi, non ignorantes ſe eſſe mutuo conjunctos in quarto conſanguinitatis gradu, matrimonium invicem de facto per verba de præſenti, & in facie Eccleſiæ contraxerunt die ultima *menſis Januarii 1599.* illudque conſummarunt, diſpenſatione prius petita a Veſtra Beatitudine, ſed non obtenta.

Ex quo tempore per annos jam fere quatuor eandem diſpenſationem petere non deſtiterunt, nec dum tamen obtinere potuerunt, recuſante Veſtra Beatitudine, non tam propter ipſum conſanguinitatis gradum, ſuper quo diſpenſari ſolet, etiam cum plebejis hominibus, quam propter fidei diſparitatem, quæ tamen ſine conſanguinitate matrimonium non efficeret nullum, nec ullam diſpenſationis neceſſitatem induceret. Nunc autem partibus eandem diſpenſationem enixius, quam unquam antea efflagitantibus, ſimul cum Rege Chriſtianiſſimo, & Sereniſſima domo *Lotharingica,* placuit Sanctitati Veſtræ, ut per *Congregationem* ad id expreſſe deputatam deliberaretur, *utrum ea diſpenſatio concedenda eſſet, non obſtante iſta fidei diſparitate.*

Quam deliberationem ad quatuor capita reduci volui, quorum primum eſt, *utrum Summus Pontifex poſſit in hoc caſu diſpenſare?* Secundum, invento & probato, quod poſſit, *utrum ſubſit cauſa juſta diſpenſandi?* Tertium, *utrum expediat diſpenſare?* Quartum, *utrum extent exempla ſimilis diſpenſationis?* dicetur: hic igitur de ſingulis breviter & eodem ordine.

Ad *primum*, quod Papa poſſit in hoc caſu diſpenſare, partim ex eo conſtat, quod ambo impedimenta, nempe cognationis in quarto gradu, & diſparitas fidei, ſunt juris poſitivi, adeo, ut prioris impedimenti diſpenſatio, cui jus etiam ſine cauſa dari ſoleat, poſterius vero ſi ſolum ſit, ne diſpenſatione quidem egeat; poſſe autem Summum Pontificem, ſuper iis, quæ Juris poſitivi ſunt, diſpenſare, nemo ſanæ mentis unquam in dubium vocavit.

Secundo, quod ad poſterius impedimentum attinet, eadem diſpenſandi poteſtas ſic oſtenditur: Si Papa poteſt diſpenſare cum Chriſtiano Catholico, ut ducat uxorem ethnicam non baptizatam, multo magis poterit diſpenſare cum Catholico, ut ducat hæreticam baptizatam; ſed ſi poteſt prius, ergo multo magis poteſt etiam poſterius.

De veritate majoris propoſitionis conſtat ex eo, quod matrimonium contractum inter virum catholicum, & mulierem infidelem non baptizatam, eſt non ſolum illicitum, ſed etiam nullum, *Gratianus 28. q. 1. §. ex his Magiſter ſentit &c. diſt. 39. q. 1. art. 1.* & ibidem *S. Thomas* & *S. Bonaventura*, & deinceps cæteri, non ſolum Theologi, ſed etiam Canoniſtæ; Matrimonium autem inter Catholicum & hæreticum eſt illicitum quidem, ſed tenet, ſi nihil aliud obſtiterit, *cap. decrevit de hæret. in 6. gloſſ. in cap. non oportet 28. qu. 1. S. Thomas lib. 4. ſent. diſt. 39. q. 1. art. 1.* ad quintum & *S. Bonaventura &c. diſt. ead. quæſt. 1.* & poſt hos alii innumeri.

Quod

Quod autem propoſitio minor vera ſit, nempe quod Papa ex juſta cauſa diſpenſare poſſit cum Catholico, ut ducat uxorem ethnicam, ſeu paganam, tenet *Sylveſter*, in verbo *matrimon.* 8. 9. *decima quæritur verſ.*

Tertium, & *D. Cardinalis* BELLARMINUS id docet pleniſſime in controverſia *de Sacramento matrimonii lib.* 1. *cap.* 23. *propoſit.* 4. *col. mihi* 1365.

Unde concluditur affirmative primum caput deliberationis per Sanctitatem Veſtram propoſitæ, quod ſcilicet Papa poſſit diſpenſare in caſu, de quo agitur. Quod autem ad *ſecundum Caput* de cauſis diſpenſandi attinet, prima & potiſſima cauſa diſpenſandi in quocunque caſu eſt utilitas publica, præſertim Eccleſiæ, & Religionis Catholicæ, *cap. Tali I. q.* 7. aut etiam neceſſitas, ut pro bono pacis, quod in jure habetur, ac tenetur pro neceſſitate urgentiſſima, *cap.* 2. *de deſponſat. Impub.* quod eſt valde notandum. At quæ in hoc caſu noſtro occurrunt ſimul, utilitas publica, atque etiam neceſſitas ad conſervandam pacem & tranquillitatem publicam, & ad evitanda bella & tumultus, qui facile exoriri poſſent, ſi hæc diſpenſatio non concederetur. Unde gravia damna, & pericula Eccleſiæ ipſi & Religioni Catholicæ imminerent.

Quid enim ſine diſpenſatione faciet hic Princeps? repudiabitne ductam, an retinebit? Utcumque fecerit, plurima & maxima impendent mala: Nam ſi repudiabit ſororem Regis Chriſtianiſſimi, quam poſtulavit ſibi dari in matrimonium, talem qualis eſt hodie, quamque decerpto virginitatis flore, tenuit per ſpatium fere quatuor annorum, hoc repudium cum non ex nova mulieris culpa proventum ſit, ſed ex cauſa hujus conjunctionis præcedente, & ipſis Principibus Lotharingis cognita, revocabitur ad animum non ſolum a Rege ipſo, ſed etiam ab omnibus Principibus Regii ſanguinis, & ab univerſa nobilitate gallica, tanquam nimis injurioſum; inde bella & tumultus ingentes. Et quia idem repudium factum

erit

erit in odium hæreſeos, Hæretici Franciæ, Germaniæ & (inter quas nationes ſita eſt Lotharingia) irruent in Lotharingiam. Unde non ſolum ſtatus ille temporalis, ſed etiam Eccleſia ipſa, & Religio Catholica, magnum detrimentum capient.

Ex altera parte Principes Lotharingi ad ruinam a ſe propulſandam conquirent, & accerſent undique auxilia, & præſertim a *Rege Catholico*, cujus ſoror eſt conſobrina hujus Principis *Lotharingi*, qui etiam ſanguine & affinitate attingit multos Principes Germaniæ, Daniæ, Scotiæ, atque etiam Franciæ. Unde erit magnum periculum pacis infringendæ, & belli revocandi inter duos Reges Chriſtianorum maximos & potentiſſimos. Hæc igitur eventura ſunt, ſi Princeps Lotharingus Regis Chriſtianiſſimi ſororem repudiet.

Quod ſi eam retinere pergat, *primo* erit magnum ſcandalum univerſæ Chriſtianitati, videre Principem Catholicum, contra conſtitutiones Canonicas, habere uxorem conſanguineam in gradu prohibito, & manere per tot annos excommunicatum, & interim vel non aſſiſtere divinis ſacrificiis, & aliis officiis eccleſiaſticis, vel tanquam animal brutum, vivere ſine ullo apparenti Religionis exercitio. Quod in tanto ac tali Principe, progreſſu temporis, verti poſſet in exemplum, & trahi ad conſequentias valde periculoſas.

2. Dux *Lotharingus*, ejus pater, & fratres, ſorores, & alii affines, incredibili animi moleſtia, & conſcientiæ jactatione laborabunt, ſicuti etiam jam diu laborant, cum non poſſint neque eum viſitare propter excommunicationem, neque eum frequentare propter arctiſſimam neceſſitudinem, quæ illis cum ipſo intercedit.

3. Vaſalli & ſubditi omnium ſtatuum Lotharingiæ verſabuntur, & verſantur in iiſdem anguſtiis animi, & conſcientiæ, cum nequeant neque communicare cum ſuo Principe excommunicato, neque rurſus abſtinere a colloquio ejus,

ejus, qui eſt deſignatus ſucceſſor ſtatuum Sereniſſimi Patris ſui, & jam quodammodo eorum Dominus, juxta *l. in ſuis ff. de liber. & poſthum.*

4. Si ex hac conjunctione naſcentur liberi, hi erunt ſeges & materia ingens ſeditionum in hac Sereniſſima familia Lotharinga, & bellorum etiam extra ipſam, non minus periculorum, quam eorum, quæ contingerent ex repudio antea præſuppoſito. Fratres enim hujus Principis, & eorum liberi, atque etiam omnes alii, qui, his deficientibus, ad ſtatum Lotharingum a legibus & ſacris Canonibus vocabuntur, dicent liberos, ex hac conjunctione ſuſceptos, eſſe illegitimos, atque incapaces ſuccedendi in Ducatum Lotharingum, & in alios ſtatus ab eo dependentes, ſe autem eſſe veros & legitimos hæredes & ſucceſſores. Ex alia parte Rex Chriſtianiſſimus, & alii Principes conſanguinei ſuæ Majeſtatis, & ſororis, non poterunt pati hanc prolem rejici, & excludi a ſucceſſione. Unde ſævum exiſtet bellum, cui hæretici variarum Nationum ob cauſas ſupra dictas ſe immiſcebunt, habentes & tenentes hanc prolem pro legitima, cum hic ſit unus de eorum erroribus, poſſe legitimum matrimonium contrahi etiam in ſecundo conſanguinitatis gradu, non ſolum in quarto, ut in hoc caſu contractum fuit.

Quam ob rem, quoquò nos vertamus, videmus Sanctitati Veſtræ jus & neceſſariam cauſam ſubeſſe, cur in hoc caſu diſpenſetur, nempe, utilitatem publicam, & neceſſitatem conſervandæ pacis, & inde Religionis Catholicæ, & evitandi belli, & infinitorum malorum, quæ inde evenirent, etiam ipſi Eccleſiæ & Catholicæ Religioni.

Huic cauſæ diſpenſandi omnium potentiſſimæ atque urgentiſſimæ poſſunt addi aliæ adjuvantes, & quaſi famulantes.

Secunda igitur erit, perſonarum qualitas, & meritorum prærogativa, quæ in diſpenſando valde attenditur, *cap. Tali. 1. q. 7.* Eſt enim familia Lotharinga, ex Illuſtrioribus & excelſioribus totius Chriſtianitatis, non ſolum priſca nobilitate,

ſed etiam pietate & devotione erga ſedem Apoſtolicam, & Religionem Catholicam, pro qua ſemper egregie pugnavit. Attingit præterea conſanguinitate vel affinitate ſummas quasque & excellentiſſimas totius Europæ familias, adeo ut Veſtra Sanctitas, concedens hanc diſpenſationem, relatura ſit gratiam bene meritis, & ſibi ac ſedi Apoſtolicæ magis ac magis obligatura non ſolum Principes Lotharingos, ſed etiam alios innumeros omnium nationum Principes, & eorum Vaſallos & ſubditos.

Unde etiam exiſtit *tertia* diſpenſandi cauſa, multitudo ſcilicet eorum, ad quos hæc gratia pertinebit, & quorum intereſt atque intererit. Habetur enim a ſacris Canonibus ratio multitudinis in diſpenſando, etiam cum ipſa multitudo deliquit, *cap. commeſſationes diſt. 44. cap. ut conſtitueretur &c. §. ult. diſt. 50. cap. quoties 1. q. 7. cap. ipſa pietas 23. q. 4. §. ult.*

Pro *quarta* cauſa allegari poteſt interceſſio Regis Chriſtianiſſimi, qui propter honorem & decus ſui Chriſtianiſſimi ſanguinis valde laborat, ne ſoror ſua in Principis Lotharingi concubinatu potius, quam matrimonio eſſe videatur, & Veſtræ Sanctitati pro hac diſpenſatione humillime atque inſtantiſſime ſupplicat. Conſtat autem, ſedem Apoſtolicam multa concedere ad inſtantiam, & in favorem Regum, quæ aliter non concederentur.

Quinta cauſa debet eſſe pietas, & commiſeratio hujus Principis Lotharingi, juxta *cap. tanta, & cap. ſeq. 1. q. 7.* Qui Princeps anno ſancto Jubilei, ad pedes Veſtræ Sanctitatis ſupplex venit, & quamdiu Romæ fuit, vixit tanquam homo privatus & pœnitens, imo tanquam ſimplex religioſus in Monaſterio Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pinlio, & jam per ſpatium quatuor fere annorum repulſus jacet in perpetuo mœrore, ac ſordibus, atque in horribili anxietate, atque animi inquietudine, cum non poſſit ductam neque repudiare, neque retinere, nec interim Deo, neque hominibus, & multo minus ſibi ipſi placere.

Sexta

Sexta diſpenſandi cauſa eſt temporis conditio, quæ ponderatur *in Can. fraternitatis &c. diſt. 34.* ut enim ibi Pelagius Papa ait: defectum ſuorum temporum non pati Canonicam in omnibus manere cenſuram, & ſe huic temporum defectui condeſcendere, ita erit prudentiæ & æquitatis Veſtræ Beatitudinis, conſiderare, nos incidiſſe in ſeculum nimis diſſolutum, quod non fert tantam ſeveritatem, quantam priſca ſecula tulerunt.

Ex quibus omnibus conſtat, in hoc caſu diſpenſandi cauſas juſtas & idoneas non ſolum adeſſe, ſed etiam ſupereſſe.

Venio nunc ad *tertium* totius deliberationis caput, *utrum ſcilicet expediat in hoc caſu diſpenſare.* Valde autem expedire liquet ex ſuperioris capitis ſecundi expoſitione & probatione. Quis enim poſt expoſitas ſex illas diſpenſandi cauſas dubitare poſſet, quin expediat conſulere publicæ, & præſertim utilitati Eccleſiæ, & Religioni Catholicæ, & neceſſitati parere, conſervando pacem & tranquillitatem non ſolum Sereniſſimæ Domus Lotharingæ, ſed etiam totius Chriſtianitatis, & occurrendo ſeditionibus & bellis, & per conſequens infinitis populorum Chriſtianorum malis, atque adeo Eccleſiæ ipſi, & Religioni Catholicæ obventura cernuntur; Providere etiam quieti & ſecuritati conſcientiæ Principum, & populorum ſcandala, & offenſiones de medio tollere, benemeritis gratiam referre, Reges, & alios Principes ac populos ſibi & Apoſtolicæ ſedi devincire, afflictorum & pœnitentium miſereri, & ad temporum conditionem diſtrictionis canonicæ modum ac menſuram accommodare. Hoc igitur tertium caput de eo, quod expedit, non deſiderat ſpecialem ac propriam tractationem, cum ſecundi capitis explanatione ſatis ſuperque pateſiat atque illuſtretur.

Reſtat *quartum* caput de exemplis, quæ quidem extare creduntur, quamvis tam cito repræſentari non poſſint. Fiet autem eorum perquiſitio, ut etiam in hac parte, ſicut in cæteris, Sanctitati Veſtræ, ſi fieri poſſit, ſatisfiat.

Sed ſi forte ob rerum præteritarum oblivionem, vel reperiendi difficultatem, aut ob alias cauſas, non invenirentur exempla talis diſpenſationis, non tamen ideo minus eſſet largienda hæc diſpenſatio, cum eam conſtet ex ſupradictis Sanctitatem Veſtram non ſolum poſſe diſpenſare, ſed etiam debere pro bono publico & neceſſitate pacis conſervandæ & bellorum & tumultuum vitandorum, ad Eccleſiæ ipſius utilitatem, & Religionis Catholicæ tuitionem, & ob alias cauſas antea deductas, adeo, ut non videatur in eo inſiſtendum, utrum aliquid ſimile ante hoc factum ſit nec ne.

Præſertim, cum non exemplis, ſed legibus judicandum ſit, *L. nemo C. de ſententiis & interloqu. Jud.* Nec tam ſpectandum ſit quod antea factum, quam quid fieri debeat, *l. ſed hoc 1. ff. de Off. Præſidis*, & ratio ſana ſit exemplis anteponenda, *cap. ult. diſt. 9.*

Adde, quod omnes diſpenſationes, quarum uſus hodie in Eccleſia vigere incepit aliquando, & fuit tempus, quo vere dici poterat, nullum extare earum exemplum, & tamen concedi cœperunt, non quia antea fuerant conceſſæ, ſed quia ratio & æquitas, & interdum & neceſſitas, ſuadebat eas eſſe concedendas, ut ſuadet atque efflagitat in caſu, de quo nunc agitur.

Hactenus ſatisfactum fuiſſe videtur quatuor illis capitibus, a Veſtra Sanctitate propoſitis; nunc ad pleniorem totius quæſtionis elucidationem, reſpondebitur ad ea, quæ nonnullis videri poſſent obſtare huic gratiæ, quæ a Veſtra Beatitudine deſideratur.

Non igitur obſtare debet *primo,* quod partes hanc conjunctionem inierunt contra inhibitionem Sanctitatis Veſtræ; nam licet in eo graviter deliquerint, tamen delictum ſuum agnoſcunt, & de eo graviter dolent, veniam a Veſtra Beatitudine humiliter expoſcentes, & jam per quatuor fere annos ad oſtium ſedis Apoſtolicæ pulſantes, veniamque ſperantes propter eaſdem cauſas, propter quas diſpenſationem tribuendam eſſe diximus.

Adde

Adde his oraculum Salvatoris & Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus Vicarius es, non eſſe opus valentibus medico, ſed male habentibus, qui etiam affirmat, ſe non veniſſe vocare juſtos, ſed peccatores; & Sanctus Gregorius, Sanctitatis Veſtræ Prædeceſſor, ait, Deum permiſiſſe, ut ſanctus Petrus, quem univerſæ Eccleſiæ præficere diſpoſuerat, ancillæ vocem pertimeſceret, & Chriſtum negaret, ut is, qui futurus erat Paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter aliis miſereri debuiſſet, *cap. conſiderandum diſt. 50.*

Secundo non debet obſtare odium hæreſis ipſius mulieris, quamvis errantis in materia ſummi Pontificatus, atque etiam matrimonii, de qua agitur. Nam non poſtulatur a Sanctitate Veſtra, ut faciat aliquid in favorem mulieris, ſed ne in ejus odium deneget hanc gratiam tot Principibus, & eorum conſanguineis, affinibus, amicis, & eorum vaſallis ac ſubditis, ne videatur Beatitudo Veſtra ſuam potius ulciſci injuriam, quam utilitati ac neceſſitati publicæ, & ſecuritati Eccleſiæ, & Religionis Catholicæ providere.

Quin imo æquius eſſet uni immerenti propter bonos infinitos benefacere, quam infinitis bonis gratiam denegare propter unius dementiam, præſertim cum legamus, Deum ipſum, ad Abrahami ſupplicationem, multis ſceleſtiſſimorum millibus parcere paratum fuiſſe, propter decem juſtos, ſi ibi reperirentur. *Gen. 18.*

Accedit, quod in materia excommunicationis traditur excommunicatum etiam nolentem, & invitum, aliquando poſſe & debere abſolvi intuitu alicujus communitatis, cui neceſſe ſit cum eo participare, & expediat illum abſolvi, *Silv. ex S. Thoma Panorm. & aliis in verbo abſolutio 3. n. 6.*

Tum autem quis ſcit, num hæc diſpenſatio tantum benedictionis & efficaciæ allatura ſit, ut inde Deo juvante, converſio mulieris ſecutura ſit, cujus etiam converſionis ſpem dat illa ipſa ſuis dictis, & in cæteris bonitate naturæ, & dulcedine in auſcultandis iis, qui de Religionis Catholicæ veri-

tate, & de ejus converſione, cum ea tractant, ut a multis relatum audivimus.

Huc facit, quod eadem ſuum præbuit conſenſum itineri, quod Princeps Lotharingus ſuſcepit anno Jubilei ad pedes Sanctitatis Veſtræ, & quod nuper ad Sanctitatem Veſtram humillime ſcripſit, eidem pro hac gratia humillime ſupplicavit, præterquam quod ſcripſerat ad Regem Chriſtianiſſimum, fratrem ſuum, ut apud Veſtram Sanctitatem pro hac diſpenſatione intercederet, ſcripſit Cardinali *Oſſato*, & Oratori Regis Chriſtianiſſimi ad eundem finem. Quibus in literis profitetur, ſe ad diſputationes & collationes, quæ coram ipſa de religione fient, nullam allaturam eſſe pertinaciam, nullam reſiſtentiam, nullam paſſionem, imo ſibi fore gratiſſimum, ſi veritatem nanciſci potuerit, nec ſibi quicquam majori curæ eſſe, quam ut inveſtiget & cognoſcat, quod ad ſalutem animæ ſuæ pertineat, ſeque paratam & promtam eſſe ad amplectendam Religionem Catholicam, quandocunque ratione ſimul ac benignitate ſibi oſtendetur, hanc eſſe veram ad ſalutem viam. Quæ omnia ſunt & fiunt contra perverſam doctrinam ſuorum Miniſtrorum, quos vocant, & indicant animum valde præparatum ad futuram reſipiſcentiam, tantum abeſt, ut de ea deſperandum ſit, ſicuti nonnulli male ominantur.

Nec moveat Sanctitatem Veſtram, quod dici poſſit indecens, & inconveniens viſum iri, ut Catholicus diſpenſetur, ut ducat uxorem hæreticam, quamvis baptizatam. Nam reſpondetur, quod indecentius & inconvenientius eſt diſpenſare, ut ducat paganam non baptizatam, & tamen etiam in hoc caſu poteſt, & debet Papa ex juſta cauſa diſpenſare, ut antea probatum fuit, tum autem magis inconveniens eſt, Rempublicam & Eccleſiam, atque adeo Religionem Catholicam periclitari ſinere, quam neceſſariam diſpenſationem, quæ poſtulatur, indulgere.

Tertio non debet obſtare, quod forſam alicui in mentem

tem

tem venire poſſit, datum iri mundo ſcandalum, ſi hæc diſpenſatio tribuatur. Abſit enim, ut pro ſcandalo habeatur providiſſe conſervationi pacis publicæ, & ipſius Eccleſiæ ac Religionis Catholicæ multos Principes, & eorum propinquos & affines, & præterea Vaſallos & ſubditos, & incredibili angore animi & conſcientiæ liberaſſe, & ſibi ac ſedi Apoſtolicæ in perpetuum obſtrixiſſe, & temporum neceſſitati paruiſſe.

Tum vero, quibus tandem timemus datum iri ſcandalum? Catholicisne? qui hanc gratiam expoſcunt, & efflagitant, & quorum conſolationi & ingenti bono ceſſura eſt; An hæreticis? qui CLEMENTIS *Papæ* VIII. tantam eſſe clementiam videbunt, ut ne odio quidem ipſorum, quamvis hoſtium infeſtiſſimorum, deſinat Catholicis benefacere, quin potius, tanquam bonus ac fidelis Vicarius, imitatur patrem cœleſtem, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos, *Matth.* 5.

Quarto non obſtat periculum ſubverſionis perſonæ Catholicæ, quod in diſparitate cultus & fidei conſiderari ſolet & debet. Nullum enim tale periculum in hoc caſu noſtro timeri debet, ut ex multis conjici poteſt.

Primo ex hujus Principis origine, quam duxit ex Sereniſſima & piiſſima familia Lotharinga, in qua nemo unquam fuit hæreticus, nec ſuſpectus, imo omnes ſemper fuerunt Catholici, & ſedi Apoſtolicæ devotiſſimi, ac Religionis Catholicæ propugnatores acerrimi.

Secundo ex ejusdem Principis educatione & inſtitutione, qui perpetuo educatus fuit in Religionis Catholicæ zelo, in hæreſium deteſtatione, & ſedis Apoſtolicæ obſequio, reverentia & defenſione.

Tertio ex longo habitu & conſuetudine confirmata atque inveterata per annos ætatis ſuæ quadraginta. In qua ætate quilibet non ſolum Princeps tanta cura educatus, poteſt habere non modo fidei & Religionis, ſed etiam totius vitæ ſuæ modum.

Quarto

Quarto ex continua frequentatione Virorum piorum & religioſorum, quos ſemper habet ſecum, & ducit quotunque ierit.

Quinto ex pœnitentia & gravi hujus peccati dolore, quem præ ſe fert, oſtendens ſibi contigiſſe, quod primis parentibus noſtris accedit, quibus nimirum poſt peccatum aperti ſunt oculi, & cognoverunt, ſe eſſe nudos, & conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. *Gen. 3.*

Sexto ex prædicto itinere, quod Romam uſque ſuſcepit, & confecit, proſternens ſe ad pedes Sanctitatis Veſtræ, ut admitteretur, quam in reditu poſt acceptam repulſam, & in omni tempore poſtea elapſo.

Nullum igitur periculum ſubverſionis in hoc caſu timeri debet, quantum humana prudentia providere valet. Et ſi quod eſſet (ut omnino abeſt) eſſet etiam hodie ſine diſpenſatione majus, durante ſcilicet eadem mulieris domeſtica atque intima familiaritate, & inſuper accedente repulſæ dolore atque animi exulceratione.

Quinto, principaliter non obſtat, quod nonnullis in mentem venire poſſit, futurum eſſe, ut hæc diſpenſatio ſi concedatur, trahatur in exemplum, & ad conſequentias aliorum, qui ſimilem gratiam poſtulabunt. Nam reſpondetur, quod cum hic agatur de Sereniſſimo Principe ex una parte, & de Sereniſſima Sorore Regis Chriſtianiſſimi ex altera, talis caſus non poterit ſæpe venire, multoque minus trahi ad conſequentias per eos, qui minoris qualitatis & dignitatis eſſe reperientur.

Accedit, quod per diſpenſationem ex juſta cauſa factam, non præjudicatur Apoſtolicæ ſedis ſtatutis, nec Beatorum Patrum regula ſolvuntur, quia remiſſio peccati in uno, non dat aliquam licentiam delinquendi, nec quod potuit aliqua ratione concedi, fas erit amplius impune committi, ne quod ad tempus pia lenitate conceſſum fuit, juſta poſtea ultione plectatur. *cap. exigunt 1. q. 7.*

Quamobrem confirmatis jam omnibus iis, quæ ad concedendam

dendam diſpenſationem ex infirmatis iis, quæ ad denegandam facere videbantur, nihil reſtat aliud, quam ut Veſtra Sanctitas aliquando tandem ſe exorari ſinat, & hanc gratiam tam diu poſtulatam, det ad extremum paci & tranquillitati publicæ, & ſecuritati Eccleſiæ & religionis in illis partibus. Det Regis Chriſtianiſſimi interceſſioni, ſanguini & honori. Det domus Lotharingæ non ſolum celſitudini & ſerenitati, cumque omnibus magnis Principibus Europæ cognationi, ſed etiam multo magis pietati, & perpetuæ erga ſedem Apoſtolicam devotioni, & fidei Catholicæ propugnationi. Det Ducis Barenſis in pœnitentia contritioni, & lacrymarum profuſioni in repulſa modeſtiæ, & in negotio matrimonii, de quo agitur, inextricabili, ſine diſpenſatione, difficultati ac perplexitati. Det multitudini tot vaſallorum ac ſubditorum, ad quos præter conſcientiæ quietem, hujus gratiæ conſolatio proventura eſt. Det quadriennali ad oſtium ſedis Apoſtolicæ pulſationi, per quam & per tam diuturnam repulſam auctoritati ſedis Apoſtolicæ ſatisfactum videtur. Det temporum conditioni & neceſſitati, quæ non patitur, tot Principes & populos Catholicos diuturniore dilatione laſſari, & expectatione torqueri. Det Clementiæ & exiſtimationi ſuæ, ne Chriſti Vicarius, & S. Petri ſucceſſor, & Clemens VIII. uni mulierculæ erranti ſuccenſere, quam afflictos Principes, & populos Catholicos conſolari, & Eccleſiæ ac Religionis incolumitati proſpicere maluiſſe videatur. Det denique ipſi ſedi Apoſtolicæ, quæ moderata in omnes lenitate, magis quam nimio in Principes & populos Catholicos rigore crevit in æternum permanſura.

CONSILIUM SECUNDUM
IN EADEM CAUSA.

BEATISSIME PATER.

EX quatuor punctis ſine dubiis, a Sanctitate Veſtra propoſitis in cauſa Lotharingæ diſpenſationis, deciſo primo, quod ſcilicet Summus Pontifex poſſit in hoc caſu diſpenſare, ſequitur

nunc ſecundum, de cauſis diſpenſationis; Nempe utrum adſint cauſæ juſtæ & idoneæ, quæ animum Veſtræ Sanctitatis ad diſpenſandum movere debeant. De hoc igitur ſecundo dubio nunc acturus, præterea, quæ in prima informatione dicta fuerunt, quæ hic præſupponi opto, præmittam nonnulla in genere de cauſis diſpenſationis in omni diſpenſationum materia, catenus duntaxat, quatenus ad caſum, de quo agitur, applicari & accommodari debeant. Deinde veniam ad particulares cauſas hujusce ſpecialis diſpenſationis, quæ a Veſtra Beatitudine deſiderantur.

Qui de cauſis diſpenſandi ſcripſerunt, iidem nobis ſcriptum reliquerunt, non poſſe *de his dari regulam certam & indubitatam, ſed eas eſſe arbitrarias, Silv. in verbo diſpenſatio q. 1.* in omnibus autem rebus, quæ in arbitrio judicum, aut etiam aliorum conferuntur, jura intelligunt ſemper non arbitrium liberum, & ſolutum, prout cuique libuerit, ſed arbitrium boni viri ac ſapientis, prout recta ratio & æquitas dictaverit *L. in perſonam 22. ff. de div. reg. jur. L. ſocietatem 76. in fin. ff. pro ſocio, L. hæc venditio 7. ff. de contr. empt. L. continuus 137. §. cum ita ff. de verb. obl. & alibi ſæpe.*

Eſt autem officium boni viri ac ſapientis in hac materia diſpenſationum *primo,* ne ſit nimis indulgens, & largus, neque verſus nimis rigidus ac tenax. Ut enim indulgentia & laxitas nimia eſt diſſipatio potius, quam diſpenſatio, ſic ſummum jus eſt ſumma injuria, vel, ut alii loquuntur, ſumma malitia, & plerumque ſub nomine & auctoritate juris pernicioſe erratur, *L. ſi ſervum, 91. §. ſequitur ff. de verb. obligat.* Et de hoc diſpenſationum temperamento extat præclarum Concilii Tridentini decretum *ſeſſ. 25. de Reform. cap. 8.*

Secundo officium boni viri ac ſapientis in hac eadem materia diſpenſationum requirit, ut ſingulæ cauſæ diſpenſationis conſiderentur & ponderentur cum ejus circumſtantiis, perſonarum, locorum & temporum. Nam quod ad perſonas attinet, ſæpe accidit, ut cauſæ diſpenſandi, quæ in una perſona non ſufficiunt, in alia perſona ſufficiant. Imo ipſa perſonarum quali-

qualitas, & meritorum prærogativa, habetur in Jure pro juſta cauſa diſpenſandi. *cap. Ratio 1. q. 1.* In caſu autem, de quo agitur, perſonæ, quæ petunt diſpenſationem, non ſunt plebejæ aut mediocres, quæ facile cogi & rejici poſſint, ſed ſunt Reges & Principes, quorum opera autem & opibus ſedes Apoſtolica plerumque in adverſis, atque etiam in proſperis rebus, olim uſa eſt, & ſi quando caſus ferat, ut poterit, quorum ope & præſidio Eccleſiaſticæ res, & ſedis Apoſtolicæ auctoritas maxime ſuſtentatur, juxta illud Iſaiæ, alloquentis Eccleſiam ſub nomine Civitatis Hieruſalem, *ſuges lac gentium, & mamillam Regum lactaberis.* Adde, quod Principes habeant multos affines, Principes alios atque propinquos, amicos & Vaſallos, ac populos, eandem diſpenſationem deſiderantes, quorum etiam omnium ratio habenda eſt.

Idem de loco cenſendum eſt, quasdam diſpenſandi cauſas in una Provincia ſatis eſſe, quæ in alia non judicarentur idoneæ, ut hic æquum eſt nos recordari, hanc cauſam de qua agitur, non eſſe unam Ravennatem, aut Ferrarienſem, aut Bononienſem aut Peruſinam, ſed Lotharingam, id eſt, Provinciæ circumdatæ a Francia, Belgio, Germania, & Helvetia, in quibus ob perverſitatem temporum, in quæ devenimus, matrimonia inter perſonas diſparis fidei non ſunt ita nova, aut adeo pauca, ut expediat tantum rigorem in illis locis ſervari, quantus in ſtatu Eccleſiaſtico atque in aliis Italiæ Provinciis ſervatur.

Similis eſt conſideratio temporum, ut ſcilicet his miſeris temporibus aliqua poſſit pro juſta & ſufficienti, quæ melioribus ac ſanioribus temporibus fortaſſe non fuiſſet admiſſa. Unde etiam a ſacris Canonibus, temporibus ipſis ratio adhibetur, ac pro cauſa diſpenſandi habetur. *cap. fraternitas &c. diſt. 34.*

Tertio officium boni viri ac ſapientis in hac eadem materia diſpenſationum eſt, ut non ſolum ſingulas diſpenſandi cauſas, quæ a partibus allegantur, ſeorſim & ſeparatim conſideret, ſed & ut eas omnes ſimul junctas ponderet atque perpendat. *Navar. conſ. lib. 4. de ſponſalibus conſ. quod incipit, plebejus ſe nobilem, n. 4.*

nunc ſecundum, de cauſis diſpenſationis; Nempe utrum adſint cauſæ juſtæ & idoneæ, quæ animum Veſtræ Sanctitatis ad diſpenſandum movere debeant. De hoc igitur ſecundo dubio nunc acturus, præterea, quæ in prima informatione dicta fuerunt, quæ hic præſupponi opto, præmittam nonnulla in genere de cauſis diſpenſationis in omni diſpenſationum materia, eatenus duntaxat, quatenus ad caſum, de quo agitur, applicari & accommodari debeant. Deinde veniam ad particulares cauſas hujusce ſpecialis diſpenſationis, quæ a Veſtra Beatitudine deſiderantur.

Qui de cauſis diſpenſandi ſcripſerunt, iidem nobis ſcriptum reliquerunt, non poſſe *de his dari regulam certam & indubitatam, ſed eas eſſe arbitrarias, Silv. in verbo diſpenſatio q. 1.* in omnibus autem rebus, quæ in arbitrio judicum, aut etiam aliorum conferuntur, jura intelligunt ſemper non arbitrium liberum, & ſolutum, prout cuique libuerit, ſed arbitrium boni viri ac ſapientis, prout recta ratio & æquitas dictaverit *L. in perſonam 22. ff. de div. reg. jur. L. ſocietatem 76. in fin. ff. pro ſocio, L. hæc venditio 7. ff. de contr. empt. L. continuus 137. §. cum ita ff. de verb. obl. & alibi ſæpe.*

Eſt autem officium boni viri ac ſapientis in hac materia diſpenſationum *primo,* ne ſit nimis indulgens, & largus, neque verſus nimis rigidus ac tenax. Ut enim indulgentia & laxitas nimia eſt diſſipatio potius, quam diſpenſatio, ſic ſummum jus eſt ſumma injuria, vel, ut alii loquuntur, ſumma malitia, & plerumque ſub nomine & auctoritate juris perniciose erratur, *L. ſi ſervum, 91. §. ſequitur ff. de verb. obligat.* Et de hoc diſpenſationum temperamento extat præclarum Concilii Tridentini decretum *ſeſſ. 25. de Reform. cap. 8.*

Secundo officium boni viri ac ſapientis in hac eadem materia diſpenſationum requirit, ut ſingulæ cauſæ diſpenſationis conſiderentur & ponderentur cum ejus circumſtantiis, perſonarum, locorum & temporum. Nam quod ad perſonas attinet, ſæpe accidit, ut cauſæ diſpenſandi, quæ in una perſona non ſufficiunt, in alia perſona ſufficiant. Imo ipſa perſonarum quali-

qualitas, & meritorum prærogativa, habetur in Jure pro juſta cauſa diſpenſandi. *cap. Ratio 1. q. 1.* In caſu autem, de quo agitur, perſonæ, quæ petunt diſpenſationem, non ſunt plebejæ aut mediocres, quæ facile cogi & rejici poſſint, ſed ſunt Reges & Principes, quorum opera autem & opibus ſedes Apoſtolica plerumque in adverſis, atque etiam in proſperis rebus, olim uſa eſt, & ſi quando caſus ferat, ut poterit, quorum ope & præſidio Eccleſiaſticæ res, & ſedis Apoſtolicæ auctoritas maxime ſuſtentatur, juxta illud Iſaiæ, alloquentis Eccleſiam ſub nomine Civitatis Hieruſalem, *ſuges lac gentium, & mamillam Regum lactaberis.* Adde, quod Principes habeant multos affines, Principes alios atque propinquos, amicos & Vaſallos, ac populos, eandem diſpenſationem deſiderantes, quorum etiam omnium ratio habenda eſt.

Idem de loco cenſendum eſt, quaſdam diſpenſandi cauſas in una Provincia ſatis eſſe, quæ in alia non judicarentur idoneæ, ut hic æquum eſt nos recordari, hanc cauſam de qua agitur, non eſſe unam Ravennatem, aut Ferrarienſem, aut Bononienſem aut Peruſinam, ſed Lotharingam, id eſt, Provinciæ circumdatæ a Francia, Belgio, Germania, & Helvetia, in quibus ob perverſitatem temporum, in quæ devenimus, matrimonia inter perſonas diſparis fidei non ſunt ita nova, aut adeo pauca, ut expediat tantum rigorem in illis locis ſervari, quantus in ſtatu Eccleſiaſtico atque in aliis Italiæ Provinciis ſervatur.

Similis eſt conſideratio temporum, ut ſcilicet his miſeris temporibus aliqua poſſit pro juſta & ſufficienti, quæ melioribus ac ſanioribus temporibus fortaſſe non fuiſſet admiſſa. Unde etiam a ſacris Canonibus, temporibus ipſis ratio adhibetur, ac pro cauſa diſpenſandi habetur. *cap. fraternitas &c. diſt. 34.*

Tertio officium boni viri ac ſapientis in hac eadem materia diſpenſationum eſt, ut non ſolum ſingulas diſpenſandi cauſas, quæ a partibus allegantur, ſeorſim & ſeparatim conſideret, ſed & ut eas omnes ſimul junctas ponderet atque perpendat. *Navar. conſ. lib. 4. de ſponſalibus conſ. quod incipit, plebejus ſe nobilem, n. 4.*

hendo, & de diſpenſatione ipſis ad hunc finem concedenda, mihi non placeret eam concedi, ne in ea mala, quæ a nonnullis timeri dicuntur, (licet jam pridem adſint, urgeant & graſſentur) incurramus.

Nunc vero cum per denegationem diſpenſationis ne unum quidem talium malorum ſimus vitaturi, imo eadem omnia, & inſuper alia multa ſimus ſubituri, bona vero plurima & maxima, quæ per diſpenſationem contingerent, amiſſuri, facile abducor, ut cenſeam diſpenſationem concedi oportere.

In prima igitur Claſſe malorum, quæ prement atque urgebunt, ſi diſpenſatio non concedatur, numeranda ſunt illa omnia, quæ nonnulli timent ſi concedatur, nempe cohabitatio Principis Catholici cum muliere hæretica obſtinata, ſi mulier ipſa talis permanſura ſit, periculum ſubverſionis mariti ac prolis, ſi Princeps catholiciſſimus poſſet ſubverti, vel pati, ut ſua proles aliter quam catholice educatur, & omnia alia mala, quæ cuivis diſpenſationem diſſuadenti in mentem venire poſſint. Quibus inſuper accedunt alia plurima mala ex denegatione diſpenſationis, nempe inceſtus perpetuus, excommunicatio perennis, & *interim* divinorum officiorum ac Sacramentorum profan*atio*, vel in totum omiſſio, ac vita omnium exercitiorum catholicorum expers, angor conſcientiæ, & carnificina animarum, non ſolum Principis, ſed ſubditorum cum eo converſantium, infamia ac dedecus apud omnes, & pro cumulo miſeriarum proles ſpuria, ſi contingat, eademque futura ſeges ac materia ingens turbarum & ſeditionum pro ſucceſſione Ducatus Lothar. & aliorum ſtatuum ab eo dependentium, unde calamitates ingentes, & ipſi Eccleſiæ ac detrimenta Religionis Catholicæ in illis partibus. Quæ omnia mala, de quibus ſingulis poſſet fieri volumen ingens, vitarentur per diſpenſationis conceſſionem, ſicuti & tot bona malis contraria inducerentur. Quibus bonis enumerandis poſſem hunc articulum & ſequentes omnes duplicare, ſed brevitatis cauſa eorum enumeratione ſuperſedebo,

ita

ita tamen, ut intellectu & conſideratione tam hic, quam in ſequentibus, bona ipſa ponderari velim.

In 2. Claſſe malorum ex denegatione diſpenſationis referri poſſunt offenſiones, quæ tandem exiſtere poſſent in animis horum Principum ac populorum tam diu ac toties repulſorum, ſi ſemel ſibi, quamvis falſo perſuaſerint, non eſſe nobis curæ quietem ſuarum animarum, non famam & honorem, non prolis ſtatum, non denique pacem ſuorum Dominorum. Unde posſent naſci alia plurima inconvenientia, quæ malo in cogitatione cujusque relinquere, quam verbis exprimere.

Alii quoque præter ipſos Lotharingos, tam Principes, quam cæteri nobiles ac populi, qui Ducem Barenſem Romam, ad pedes Summi Pontificis ſupplicem veniſſe, & veniam ſui erroris deprecatum fuiſſe,& diſpenſationem humillime efflagitasſe, & per quatuor annos in hac poſtulatione ſimul cum celſiſſima familia tota Lotharinga & eorum Vaſallis ac populis, atque etiam cum Rege Chriſtianiſſimo & multis aliis Principibus, cognatis & affinibus perſeveraſſe audiverint, oſtendi & ipſi poterunt noſtra denegatione quocunque jure fundata, hosque aliquanto minus amare ac revereri, quibus ſe adjunget hæreticorum malitia, nullam occaſionem,quamvis iniquam, prætermittentium de nobis detrahendi populos ab hujus Apoſtolicæ ſedis obedientia.

Utinam vero nemini unquam veniat in mentem imitari, ut hodie ſunt tempora & mores, hanc ſine diſpenſatione inceſtuoſam conjunctionem, præſertim Principum, qui plus exemplo, quam peccato ipſo nocere ſolent, cum ad eorum vivendi modum facile ſe nobiles, vaſalli, atque alii ſubditi componant.

Illud certe valde dignum eſt Sanctitatis Veſtræ conſideratione, quo modo in Lotharingia a quatuor annis obſervari potuerunt, & deinceps durantibus his tot, ac tantis ſcandalis, obſervabuntur Concilii Tridentini, & aliorum Conciliorum decreta de publicis concubinariis, de excommunicatis vitandis,

de iis,

de iis, qui per annum in cenſuris inſorduerint, de brachio ſeculari, contra hos invocando & præſtando, & quanta morum ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ diſſolutio & jactura, in tam longo tempore, jam ſequi potuerit, & poſt hanc ſecutura, ſi nunquam a Veſtra Beatitudine per diſpenſationis conceſſionem, & horum ſcandalorum amotionem provideatur.

Superiora omnia ita a me diſputata ſunt, quaſi hæc conjunctio, quæ ſalvis conjunctorum rebus dirimi non poteſt, duratura per totam amborum vitam. Quod ſi ea forte repudio ſororis Regis Franciæ dirimeretur, tum vero ex bellis & tumultibus, qui hoc repudium excitarent propter rationes in prima informatione allegatas exiſteret, tertia claſſis malorum & calamitatum in totam Lotharingiam erumpentium, quæ maxima ex parte & in Eccleſiam ipſam & Religionem Catholicam redundarent.

Atque hæc ſunt mala, quæ in præſentia occurrunt, quorum nonnulla poſſunt, & ſola, non ſolum omnia ſimul juncta, diſpenſationem promereri. Præter quæ poſſet tempus alia multa invehere, quæ nunc provideri non poſſunt. Si enim, ut in proverbio eſt, uno abſurdo dato, multa conſequuntur, quanto plura ſequi poſſunt, datis tot & tantis abſurdis & ſcandalis, quot & quanta expoſita fuerunt, quæ, ut quamprimum per diſpenſationem, cum aliter non poſſint, de medio tollantur, & præcaveantur, puto eſſe e re ſedis Apoſtolicæ, & ipſius Religionis Catholicæ non minus, quam e conſolatione Principum ſupplicantium, Curiæque Romanæ non ſolum moleſtum, ſed & gratum eſſe debere, quod Veſtræ Sanctitati tam obnixe de his tollendis ſupplicetur.

FINIS.

INDEX

INDEX
CAPITUM ET TITULORUM IN LIBRUM DIURNUM ROMANORUM PONTIFICUM.

CAPUT I.

Indiculum ſcribendæ Epiſtolæ. pag. 17

TIT. I. *Ad Principem.* 18
TIT. II. *Ad Auguſtam.* 20
TIT. III. *Ad Patricium.* 20
TIT. IV. *Ad Comitem Imperialis obſequii, & Exarchum.* 21
TIT. V. *Ad Conſulem.* 22
TIT. VI. *Ad Regem.* 22
TIT. VII. *Ad Patriarcham.* 22
TIT. VIII. *Ad Epiſcopum forenſem.* 23
TIT. IX. *Ad Archiepiſcopum Ravennæ.* 24
TIT. X. *Ad Epiſcopum.* 24
TIT. XI. *Ad Presbyterum, Diaconum, Primicerium & Secundicerium.* 25
TIT. XII. *Subſcriptio conſtituti.* ibid.

CAPUT II.

De ordinatione Summi Pontificis. pag. 26

TIT. I. *Nuntius ad Exarchum de tranſitu Pontificis.* 27
TIT. II. *Decretum de electione Pontificis.* 29

TIT. III. *Relatio de electione Pontificis ad Principem.* 34
TIT. IV. *De electione Pontificis ad Exarchum.* 37
TIT. V. *De electione Pontificis ad Archiepiſcopum Ravennæ.* 42
TIT. VI. *De electione Pontificis ad Judicem Ravennæ.* 44
TIT. VII. *De electione Pontificis ad Apocriſiarium Ravennæ.* 46
TIT. VIII. *Ritus ordinandi Pontificis.* 46
TIT. IX. *Indiculum Pontificis.* Profeſſio Pontificia. 49
Secunda Profeſſio fidei. 58
Tertia Profeſſio fidei; poſt ordinationem. 74

CAPUT III.

De ordinatione Epiſcopi Suburbicarii a Summo Pontifice. pag. 84

TIT. I. *Decretum de electo Epiſcopo, quod legit Notarius Regionarius.* 86
TIT. II. *Vocatoria.* 89
TIT. III. *Decretale, quod legit Diaconus, deſignato Epiſcopo.* 91
TIT. IV. *Item aliud.* 93
TIT. V. *Item aliud.* ibid.
TIT. VI. *Promiſſio fidei Epiſcopi.* 94
TIT. VII. *Cautio Epiſcopi.* 101
TIT. VIII. *Indiculum Epiſcopi.* Indiculus Bonifacii Moguntinenſis. 109
Indiculum Epiſcopi de Longobardia. 111
TIT. IX. *Synodale, quod accipit Epiſcopus.* 113
TIT. X. *Formata, quam accipit Epiſcopus.* 116
Formata Epiſcopo danda. 117

TIT.

TIT. XI. *Synodale, ut Epiſcopus alterius civitatis in alia Eccleſia poſſit incardinari.* 118
TIT. XII. *Præceptum de adunandis Eccleſiis.* 119
TIT. XIII. *Invitatoria ad Epiſcopum, in natali Papæ.* 121
TIT. XIV. *Excuſatoria.* 123
TIT. XV. *Excuſatoria, quando Epiſcopus infirmatur.* ibid.
TIT. XVI. *Epiſtola ad Epiſcopum exhortandum.* ibid.
TIT. XVII. *Epiſtola conſolatoria.* 124

CAPUT IV.

De uſu Pallii. pag. 125

TIT. I. 125
TIT. II. *Item aliud.* 130
TIT. III. *Item aliud.* 133
TIT. IV. *Item aliud Epiſcopis Siciliæ.* 135

CAPUT V.

De præceptis Summi Pontificis ad Epiſcopos ſuæ ordinationis, de ſacris locis, & Sanctorum reliquiis. pag. 136

TIT. I. *Epiſcopo de ordinando Presbytero.* 136
TIT. II. *Item aliud.* 137
TIT. III. *Petitio dedicationis oratorii.* ibid.
TIT. IV. *Reſponſum oratorii dedicandi.* 138
TIT. V. *Reſponſum de ſperandis ſanctuariis.* 139
TIT. VI. *De dandis ſanctuariis.* ibid.
TIT. VII. *De dando beneficio ſancti Angeli.* 140
TIT. VIII. *Reſponſio de dedicando oratorio intra Monaſterium Monachorum.* ibid.

TIT. IX. *De recondendis reliquiis intra Monaſterium.* 141
TIT. X. *De recondendis reliquiis intra Epiſcopium.* ibid.
TIT. XI. *Petitio Epiſcopi.* 143
TIT. XII. *Item Reſponſum.* ibid.
TIT. XIII. *Item Reſponſum.* 144
TIT. XIV. *Item Reſponſum.* 145
TIT. XV. *De Altari dedicando.* ibid.
TIT. XVI. *De recondendo corpore Sanctorum.* 146
TIT. XVII. *Baſilica, quæ poſt incendium reparatur.* ibid.
TIT. XVIII. *Baſilica, quæ poſt ruinam alterius juxta ipſam conſtructa eſt.* 147
TIT. XIX. *Petitio de dedicando Baptiſterio.* 148
TIT. XX. *Reſponſum dedicandi Baptiſterii.* 149
TIT. XXI. *Item Reſponſum.* 150

CAPUT VI.

De rebus Eccleſiæ procurandis & alienandis. pag. 150
TIT. I. *Præceptum, quando laicus tonſuratur, & fit Regionarius.* 151
TIT. II. *Præceptum, quando abſens Subregionarius fit Regionarius.* ibid.
TIT. III. *Præceptum, eunte ordinatore in patrimonium.* 152
TIT. IV. *Item aliud, fundi Rectori.* ibid.
TIT. V. *Colonis & Familiæ maſſarum, ſive fundorum in Provincia conſtitutæ.* 153
TIT. VI. *Præceptum ad commendationem euntis Rectoris in patrimonium, ad Judicem Provinciæ.* 154
TIT. VII. *Ad Patricium Provinciæ.* ibid.
TIT. VIII. *Item ad Epiſcopos.* 155

TIT.

TIT. IX. *Tractoria.* 156
TIT. X. *Item Tractoria.* 157
TIT. XI. *Præceptum autoritatis de faciendis cartulis* 158
TIT. XII. *Item aliud, de faciendis cartulis.* ibid.
TIT. XIII. *Præceptio de commutando fundo.* 159
TIT. XIV. *Præceptum de commutando mancipio.* 160
TIT. XV. *Item aliud, de commutando mancipio.* ibid.
TIT. XVI. *Præceptum de donando puero.* 161
TIT. XVII. *Item Præceptum de concedendo puero.* 162
TIT. XVIII. *Item Præceptum de concedendo.* ibid.
TIT. XIX. *Securitas.* 163
TIT. XX. *Securitas.* 164
TIT. XXI. *Præceptum libertatis.* ibid.

CAPUT VII.

Diverſa privilegia Apoſtolicæ autoritatis, conceſſa Monaſteriis, Diaconis, & Xenodochiis. pag. 166

Prologus in Judicatum. 166
TIT. I. *Privilegium.* 167
TIT. II. *Privilegium.* 168
TIT. III. *Privilegium Monaſterii.* 169
TIT. IV. *Privilegium.* 170
TIT. V. *Privilegium.* 171
TIT. VI. *Privilegium.* 172
TIT. VII. *Privilegium.* 173
TIT. VIII. *Privilegium.* 174
TIT. IX. *Privilegium.* ibid.
TIT. X. *Privilegium.* 175

TIT. XI. *Privilegium.* 176
TIT. XII. *Privilegium Monaſterii in alia Provincia.* 177
TIT. XIII. *Præceptum de concedendo Xenodochio.* 179
TIT. XIV. *Item aliud.* 180
TIT. XV. *Præceptum de Præpoſitatu.* 181
TIT. XVI. *Præceptum de concedendo puero in Monaſterio.* ibid.
TIT. XVII. *Privilegium Diaconias.* 183
TIT. XVIII. *Privilegium.* 184
TIT. XIX. *Privilegium.* 185
TIT. XX. *Privilegium firmationis loci.* 187
TIT. XXI. *Privilegium, quando ſuo proprio loco conceditur.* 188
TIT. XXII. *Privilegium ad confirmationem Monaſterii.* 189
TIT. XXIII. *Privilegium, quando loca, quæ ablata ſunt in Monaſterio, in uſus priſtinos reſtituuntur.* 190

ACCEDUNT
DISSERTATIONES TRES
AD LIBRUM DIURNUM.

I. Appendix ad Notas Capitis I. *De Indiculo ſcribendæ Epiſtolæ.* 195
II. Appendix ad Notas Capitis II. *De ordinatione Summi Pontificis.* 209
III. Appendix ad Notas Capitis IV. *De uſu pallii.* 250

INDEX

INDEX CAPITUM,

QUÆ IN

LIBRO CEREMONIARUM

CONTINENTUR.

CAPITA LIBRI PRIMI.

SECTIO I.

CAP. I. *De loco conclavis primum deligendo.* pag. 275
CAP. II. *Deſcriptio Romani Conclavis.* 276
CAP. III. *Ordo eligendi Pontificis; & ratio.* 279
CAP. IV. *Exhortatio, ut revideantur majorum decreta ſuper electione.* 285
CAP. V. *Quæ ſervanda, ne electio poſſit impugnari.* 290
CAP. VI. *De indumentis electi, & prima veneratione a Cardinalibus.* 296

SECTIO II.

CAP. I. *De ordinatione & conſecratione Summi Pontificis.* 299
CAP. II. *Quomodo conſecretur in Epiſcopum* 304
CAP. III. *Conſecratio, benedictio, & coronatio ſimul Romani Pontificis.* 311

SECTIO III.

De convivio ſolenni Pontificis cum Cardinalibus & Prælatis. 329

SECTIO IV.

Quæ mutantur, ſi coronatio Pontificis fiat extra urbem. 335

SECTIO V.

CAP. I. *De adventu & coronatione electi in Imperatorem Romanorum.* 336
CAP. II. *Quod veniente Imperatore mittantur Legati Apoſtolici.* 337
CAP. III. *De urbis ingreſſu Imperatoris.* 339

CAP.

CAP. IV. *Proceſſio Pontificis & Cæſaris per urbem.* pag. 354
CAP. V. *De coronatione Imperatoris, abſente Papa.* 357
CAP. VI. *De coronatione Imperatricis ſine Imperatore.* 360
CAP. VII. *De triplici Imperatorum corona.* 364

SECTIO VI.

De canonizatione unius ſancti. 366
CAP. I. *De inquiſitione & commiſſione cauſæ.* 366
CAP. II. *De his, quæ fiunt in die canonizationis.* 370
Forma proteſtationis. 371

SECTIO VII.

De pluribus benedictionibus. 373
CAP. I. *Ordo ſervandus in creatione novi Ducis, a Paulo II. inſtitutus.* 373
CAP. II. *Ordo benedicendi novum militem.* 374
CAP. III. *Quæ ſervantur in Duce minoris potentiæ.* 379
CAP. IV. *Ordo ſervandus in benedictione, & inveſtitura novi almæ urbis præfecti, a Sixto IV. inſtitutus.* 380
CAP. V. *De benedictione roſæ, quæ fit Dominica Lætare Hieruſalem, & ejus traditione.* 382
CAP. VI. *De enſe, in nocte nativitatis Domini dando, & benedicendo.* 384
CAP. VII. *De benedictione & traditione vexilli bellici.* 387
CAP. VIII. *De conſecratione Agnus Dei.* 388

SECTIO VIII.

CAP. I. *De creatione novorum Cardinalium.* 393
CAP. II. *De primo Conſiſtorio, an ſint creandi, & quot.* 394
CAP. III. *De ſervando Conſiſtorio, & forma pronunciandi Cardinales.* ibid.
CAP. IV. *Infirmorum vota exquirenda per duos Cardinales.* 395

CAP.

CAP. V. *Quod noviter creati non ſunt publice viſitandi, antequam capellum acceperint, & viſitaverint.* pag. 395
CAP. VI. *De Conſiſtorio publico, in quo publicantur Cardinales novi, & datur galerus præſentibus.* 396
CAP. VII. *De receptione novorum Cardinalium ad oſculum pacis, & traditione galeri.* 398
CAP. VIII. *De novi Cardinalis deductione.* 400
CAP. IX. *De modo viſitandi.* 401
CAP. X. *De modo & forma claudendi, & aperiendi os novis Cardinalibus.* ibid.
CAP. XI. *Forma aperiendi os.* 402
CAP. XII. *De dandis titulis & annulis novis Cardinalibus.* 403
CAP. XIII. *Quod novi Cardinales non utuntur titulis, antequam habeant titulum.* ibid.
CAP. XIV. *Diſpenſatio, quod retineant beneficia.* 404
CAP. XV. *Galerus regulariter non mittitur abſentibus.* ibid.
CAP. XVI. *Quæ ſervantur, cum mittitur galerus extra curiam.* ibid.
CAP. XVII. *De creatione Epiſcopi Cardinalis, & quod Cardinalis, de quo aliquid tractatur, exit Conſiſtorio.* 407
CAP. XVIII. *De electione Legati Apoſtolici de latere.* 409
CAP. XIX. *De ordinatione Cardinalium ad ſacros ordines.* 410
CAP. XX. *Quod apud Altare S. Petri ſolus Papa conſecratur.* 411
CAP. XXI. *De novo Cardinali veniente ad curiam ſine galero.* ibid.
CAP. XXII. *De reditu novi Cardinalis cum galero.* 413
CAP. XXIII. *De novo Cardinali vel Legato redeunte, vacante ſede.* 414

SECTIO IX.

CAP. I. *De loco & ordine Conſiſtorii.* 414
CAP. II. *De habitu, & locis in publico Conſiſtorio.* 416
CAP. III. *De Conſiſtorio ſecreto.* 417

SECTIO X.

CAP. I. *De proviſione Eccleſiarum.* pag. 418
CAP. II. *Pronunciandi abbatis forma.* 420
CAP. III. *De habitu, & prima viſitatione Prælatorum, & juramento.* ibid.
CAP. IV. *Qui appellantur electi.* 421
CAP. V. *De pallio, & quomodo traditur.* 422

SECTIO XI.

De publicationibus ſolennibus. 426
CAP. I. *De publicatione pacis.* ibid.
CAP. II. *In publicatione fœderis initi contra hoſtes Eccleſiæ, aut infideles.* 427
CAP. III. *In publicatione fœderis initi pro defenſione Eccleſiæ, & conſervatione pacis.* 428

SECTIO XII.

CAP. I. *Ordo, quomodo Papa equitat in Pontificalibus.* 429
CAP. II. *Ordo, cum Papa equitat ad aliquam Eccleſiam Religionis gratia, ſive ad alium locum, & non in Pontificalibus.* 432
CAP. III. *Quando Cardinales debent præcedere Pontificem, & quando ſequi.* 433
CAP. IV. *De itineratione Papæ, quando ad alias urbes, ſive ad alia loca vult ſe transferre.* 434
CAP. V. *Ordo intrandi aliquam urbem in Pontificalibus.* 436
CAP. VI. *Quid agendum, ſi, cum Papa adeſſet, unus Diaconus tantum cum uno Epiſcopo, vel Presbytero Cardinali.* 438

SECTIO XIII.

CAP. I. *De receptione Principum, & primo de receptione Imperatoris, venientis ad urbem peregrinationis gratia.* 439
CAP. II. *De receptione Regis venientis ad urbem* 444

CAP.

CAP. III. *De receptione Reginæ.* pag. 448
CAP. IV. *De receptione primogeniti Regis.* 450
CAP. V. *De receptione alicujus Principis Electoris Imperii, ſeu alterius maximi Principis.* 450
CAP. VI. *De receptione Principis non ita clari.* 453
CAP. VII. *De Principe Electore Prælato.* ibid.
CAP. VIII. *De receptione Oratorum, ſive Legatorum Regum, & Principum, ſeu rerum publicarum.* 454

SECTIO XIV.

CAP. I. *De Concilio generali.* 458
CAP. II. *De loco, & ſedilibus Concilii.* ibid.
CAP. III. *Qui habent vocem deliberativam in Conciliis.* 460
CAP. IV. *De diverſis officialibus Concilii.* ibid.
CAP. V. *Ordo ſedendi in Conciliis.* 461
CAP. VI. *Ordó rerum gerendarum in Conciliis.* 463
CAP. VII. *De Conſtantienſi & Baſilienſi Conciliis.* 464
CAP. VIII. *De generali congregatione in Conciliis.* 465
CAP. IX. *De publica ſeſſione, & ſacris precibus.* ibid.

SECTIO XV.

CAP. I. *De morte & exequiis reverendiſſimorum Cardinalium.* 469
CAP. II. *De ægrotatione, morte, & exequiis Romani Pontificis.* 480
CAP. III. *De ſignificatione mortis ejus per Collegium, & de ſtilo ſcribendi.* 485
CAP. IV. *De Bullis plumbatorum per Vice-Cancellarium frangendis.* 486
Officium Miſſæ Apoſtolica ſede vacante. ibid.

CAPITA SECUNDI LIBRI.

SECTIO I.

CAP. I. *De prima Dominica Adventus Domini.* 491

CAP. II. *Ordo ſervandus, quando cantatur Miſſa ordinaria coram Papa per Prælatum.* pag. 491

CAP. III. *De prima Dominica Adventus, Papa abſente.* 501

CAP. IV. *De Miſſa Papali in Dominicis Adventus.* 503

CAP. V. *De ſecunda Dominica Adventus.* 505

CAP. VI. *De tertia Dominica Adventus.* ibid.

CAP. VII. *De quarta Dominica Adventus.* ibid.

CAP. VIII. *De Vigilia Nativitatis Chriſti.* 506

CAP. IX. *De Veſperis Vigiliæ Nativitatis Chriſti, Pontifice in craſtinum celebraturo.* ibid.

CAP. X. *De publica compotatione, ſive collatione potus, in aula a priſcis vocitatus.* 510

CAP. XI. *De matutinis Nativitatis Chriſti Papa præſente.* 513

CAP. XII. *De ordine cantantium lectiones.* 519

CAP. XIII. *De laudibus & Miſſa in aurora.* 521

CAP. XIV. *De Miſſa majori, Papa perſonaliter celebrante.* ibid.

CAP. XV. *De traditione enſis, & pilei, cujus benedictionem require ſupra in prima parte.* 539

CAP. XVI. *De Veſperis in Vigilia Nativitatis Chriſti, Papa in craſtinum non celebraturo.* 541

CAP. XVII. *De Miſſa in die Nativitatis Chriſti, Papa præſente non celebrante.* 543

Preces decantatæ, & Ceremoniæ obſervatæ, aperiendo portas ſanctas quatuor Eccleſiarum Urbis Romæ, pro anno Jubilæi 1575. 545

CAP. XVIII. *De Veſperis Vigiliæ in die Nativitatis Chriſti, Papa abſente.* 549

CAP. XIX. *De matutinis Nativitatis Chriſti, Papa abſente.* 551

CAP. XX. *De prima Miſſa Nativitatis Chriſti, Papa abſente.* 553

CAP. XXI. *Si Papa in nocte Nativitatis Chriſti perſonaliter celebrat.* 553

CAP. XXII. *De laudibus, & ſecunda Miſſa, Papa abſente.* ibid.

CAP.

CAP. XXIII. *De tertia Miſſa in die Nativitatis Chriſti, Papa abſente.* pag. 554
CAP. XXIV. *De die ſancti Stephani.* 556
CAP. XXV. *De feſto ſancti Joannis Evangeliſtæ.* ibid.
CAP. XXVI. *De Vigilia circumciſionis & ejus feſto.* ibid.
CAP. XXVII. *De Vigilia epiphaniæ Domini.* 557
CAP. XXVIII. *De feſto purificationis B. Mariæ Virginis.* ibid.
CAP. XXIX. *De Feſto purificationis Mariæ Virginis, abſente Pontifice.* 562
CAP. XXX. *Ordo diſtribuendi candelas.* 565
CAP. XXXI. *De die cinerum.* 566
CAP. XXXII. *De officio diei cinerum, Papa abſente.* 569
CAP. XXXIII. *Si Papa in die cinerum celebrabit.* 571
CAP. XXXIV. *De prima dominica quadrageſimæ.* 572
CAP. XXXV. *De ſecunda dominica quadrageſimæ.* 573
CAP. XXXVI. *De tertia dominica quadrageſimæ.* ibid.
CAP. XXXVII. *De quarta dominica quadrageſimæ, quæ dicitur Lætare, ſive de roſa.* ibid.
CAP. XXXVIII. *De quinta dominica quadrageſimæ.* 574
CAP. XXXIX. *De ſexta dominica quadrageſimæ in palmis, Papa præſente.* 575
CAP. XL. *De officio dominicæ palmarum, Papa celebrante.* 580
CAP. XLI. *De officio dominicæ palmarum, Papa abſente.* ibid.
CAP. XLII. *De matutinis tenebrarum quartæ feriæ majoris hebdomadæ, Papa præſente.* 583
CAP. XLIII. *De matutinis tenebrarum quartæ feriæ majoris hebdomadæ, Papa abſente.* 585
CAP. XLIV. *De quinta feria majoris hebdomadæ, quæ cœna Domini dicitur, Papa præſente.* 586
CAP. XLV. *De proceſſibus, qui fiunt per Papam.* 589
CAP. XLVI. *De mandato faciendo.* 590
CAP. XLVII. *De officio in cœna Domini, Papa celebrante.* 592
CAP. XLVIII. *De officio diei Jovis ſanctæ, Papa abſente.* 594

CAP. XLIX. *De lotione pedum tredecim pauperum, Papa abſente.* pag. 594
CAP. L. *Quando Papa proceſſibus tantum intereſſe volet, & publicam indulgentiam populo dare.* 595
CAP. LI. *De ſexta feria majoris hebdomadæ, Papa præſente.* 596
CAP. LII. *De matutinis tenebrarum quintæ & ſextæ feriæ majoris hebdomadæ.* 604
CAP. LIII. *De indulgentia danda populo.* ibid.
CAP. LIV. *De officio diei veneris, Papa celebrante.* 605
CAP. LV. *Quod Papa hac die non ſedet in ſede in camera.* 610
CAP. LVI. *De officio veneris ſancti Papa abſente.* 611
CAP. LVII. *De ſabbato ſancto Papa præſente.* 612
CAP. LVIII. *De habitu Papæ.* 617
CAP. LIX. *De ſabbatho ſancto, Papa abſente.* 618
CAP. LX. *De ſabbatho ſancto, Papa celebrante.* ibid.

SECTIO II.

CAP. I. *De feſto reſurrectionis Domini, Papa celebrante.* 623
CAP. II. *De communione Imperatoris, aut Regis.* 627
CAP. III. *De feſto paſchatis Papa non celebrante.* ibid.
CAP. IV. *De ſecunda feria poſt paſcha.* 628
CAP. V. *De feria tertia poſt paſcha.* ibid.
CAP. VI. *De ſabbatho in albis, cum dantur Agnus Dei.* ibid.
CAP. VII. *De eodem die, quando non fit Agnus Dei.* 631
CAP. VIII. *De feſto annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, & Veſperis papalibus in quadrageſima.* ibid.
CAP. IX. *De feſto ſancti Marci.* 632
CAP. X. *De Vigilia & feſto aſcenſionis Domini.* 633
CAP. XI. *De Vigilia pentecoſtes, & mutatione capparum.* 634
CAP. XII. *De die pentecoſtes.* ibid.
CAP. XIII. *De Vigilia & feſto ſanctæ Trinitatis.* 635
CAP. XIV. *De Vigilia Corporis Chriſti.* ibid.
CAP. XV. *De feſto Corporis Chriſti, Papa præſente.* 636

CAP.

CAP. XVI. *De ſupplicatione hujus diei, Papa abſente.* pag. 638
CAP. XVII. *De Vigilia & feſto S. Joannis Baptiſtæ.* 639
CAP. XVIII. *De Vigilia & feſto Apoſtolorum Petri & Pauli.* 640
CAP. XIX. *De feſto Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis.* ibid.
CAP. XX. *De Vigilia & feſto aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.* 641
CAP. XXI. *De Vigilia & feſto Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.* ibid.
CAP. XXII. *De Vigilia omnium ſanctorum, & mutatione capparum.* ibid.
CAP. XXIII. *De feſto omnium ſanctorum.* 642
CAP. XXIV. *In Veſperis & matutinis defunctorum, Papa præſente.* 642
CAP. XXV. *De Veſperis & matutinis mortuorum, Papa abſente.* 644
CAP. XXVI. *De commemoratione animarum, Papa præſente.* 646
CAP. XXVII. *Quando Pontifex nollet abſolvere.* 648
CAP. XXVIII. *De commemoratione omnium fidelium defunctorum, Papa abſente.* 649
CAP. XXIX. *De Vigilia, & feſto dedicationis Baſilicæ Salvatoris.* 650
CAP. XXX. *De Vigilia, & feſto dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum.* 651
CAP. XXXI. *De anniverſario Pontificis proxime defuncti.* ibid.
CAP. XXXII. *De anniverſario aſſumptionis Summi Pontificis.* 652
CAP. XXXIII. *De anniverſario coronationis Summi Pontificis.* ibid.
CAP. XXXIV. *De anniverſario generali omnium Summorum Pontificum & Cardinalium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ defunctorum.* ibid.

CAP.

CAP. XXXV. *De Miſſa, quæ pro animabus Imperatoris, Cardinalium & Regum noviter defunctorum in capella dici conſuevit.* pag. 654

CAPITA TERTII LIBRI.

SECTIO I.

CAP. I. *De reverentiis, & primo de reverentia Altaris.* 659
CAP. II. *Quod Pontifex Romanus nemini reverentiam facit.* ibid.
CAP. III. *De reverentiis, quæ Romano Pontifici exhibentur.* 665
CAP. IV. *De ſolenni reverentia Cardinalium, quomodo & quando fiat.* 661
CAP. V. *De reverentia Cardinalium ordinaria erga Pontificem.* 662
CAP. VI. *De reverentia Cardinalium inter ſe.* ibid.
CAP. VII. *Quando aſſurgunt Cardinales & Prælati in capella.* 663
CAP. VIII. *De reverentia Cardinalis, quando venit officio jam inchoato.* ibid.
CAP. IX. *De reverentia erga Cardinales.* 664
CAP. X. *De reverentiis, quæ fiunt Cardinali divina celebranti.* 665
CAP. XI. *De Bulla pro celebrando ſuper Altare ſancti Petri.* ibid.
CAP. XII. *De reverentiis, quæ fiunt Cardinalibus.* 666
CAP. XIII. *De reverentia Epiſcoporum erga Cardinales.* ibid.
CAP. XIV. *De reverentia, quæ fit Epiſcopo celebranti.* 667

SECTIO II.

CAP. I. *De ordine ſedendi in capella.* 668
CAP. II. *De illis, qui ſtant.* 673
CAP. III. *De ſervientibus armorum.* 674
CAP. IV. *De clericis cerimoniarum.* ibid.
CAP. V. *De Cardinali aſſiſtenti Pontifici in divinis.* 676
CAP. VI. *Quando Epiſcopus Cardinalis aſſiſtit Papæ celebranti, & de diebus ſupplicationum.* ibid.

CAP.

CAP. VII. *Quando Presbyter Cardinalis aſſiſtit Papæ celebranti.* pag. 676
CAP. VIII. *De aſſiſtentia in veſperis cum paramentis.* 677
CAP. IX. *De aſſiſtentia in Miſſa cum paramentis.* 678
CAP. X. *De aſſiſtentia Cardinalis ſine paramentis in veſperis.* 682
CAP. XI. *De aſſiſtentia in Miſſa ſine paramentis.* 683
CAP. XII. *Quomodo Cardinalis aſſiſtens ſervit in ſua aſſiſtentia.* 684
CAP. XIII. *Quod Papæ debent oſculari manus, cum aliquid traditur, ſive ab eo accipitur.* 685
CAP. XIV. *De aſſiſtentia Diaconorum Cardinalium, & quomodo Papa paratur in camera ordinarie.* 686
CAP. XV. *De officio Cardinalis Diaconi Evangelium lecturi.* 688
CAP. XVI. *De ſupplendis vicibus Cardinalium in aſſiſtentia Papæ deficientium.* 697
CAP. XVII. *De officio aſſiſtentium non Cardinalium S. D. N. Papæ.* 698
CAP. XVIII. *De officio ſacriſtæ.* 701
CAP. XIX. *De officio Protonotariorum.* 702
CAP. XX. *De ſervitio Subdiaconi Apoſtolici.* 703
CAP. XXI. *De auditoribus.* 704
CAP. XXII. *De magiſtro ſacri palatii.* 706
CAP. XXIII. *De clericis cameræ.* ibid.
CAP. XXIV. *De acoluthis.* ibid.
CAP. XXV. *De cubiculariis ſecretis.* 707
CAP. XXVI. *De Secretariis & Advocatis.* ibid.

SECTIO III.

CAP. I. *De habitu omnium, tam celebrante Pontifice, quam non celebrante.* 708
CAP. II. *Ubi, & quando capiuntur paramenta.* 709
CAP. III. *De auditore & correctore.* 710
CAP. IV. *De habitu Papæ.* ibid.

CAP. V. *De habitu Cardinalium.* 711
CAP. VI. *De habitu Prælatorum.* 712
CAP. VII. *De habitu Cardinalium, & Prælatorum religioſorum.* ibid.
CAP. VIII. *De habitu ſermonem habituri.* 713
CAP. IX. *De circulis Cardinalium, qui fiunt ante Papam.* ibid.

SECTIO IV.

CAP. I. *De habentibus ſermonem in capella Papæ, & primo de Papa.* 714
CAP. II. *De Cardinalibus.* 715

SECTIO V.

CAP. I. *De quibusdam extraordinariis, & regulis generalibus, & primo de auditore & correctore.* 717
CAP. II. *Ae incenſatione Altaris, & aliorum ordinarie.* 718
CAP. III. *De ordine dandi pacem inter miſſarum ſolennia.* 723
CAP. IV. *Quando Papa lavat manus ante miſſarum ſolemnia, & actibus publicis.* 725
CAP. V. *De luminaribus in capella Papæ, & ſacris imaginibus ſuper Altare.* 726
CAP. VI. *De miniſtris celebrantium.* 727
CAP. VII. *De Evangelio & Epiſtola græce legendis.* 728
CAP. VIII. *De genuflexionibus in capella.* 729
CAP. IX. *De mitris & tiara, cum triplici corona, quibus Papa utitur.* 730
CAP. X. *De proceſſionibus.* 731
CAP. XI. *Quibus diebus vocantur Cardinales ad capellam Papæ, & quibus fit ſermo, & non fit ſermo, & quando ſunt Veſperæ, aut ſupplicatio.* 732
CAP. XII. *Dies, in quibus noſtro tempore Papa aut Cardinales celebrant.* 735
CAP. XIII. *Quibus diebus Pontifices Romani conſueverunt a Conſiſtorio ſecreto ceſſare.* 737

INDEX
RERUM, PERSONARUM
ET MATERIARUM.

A.

Abbates ex privilegio Apoſtolicæ ſedi immediate ſubjecti pag. 88. pronunciandi forma pag. 420
Acoluthi 706
Adunatio Eccleſiarum 119
Advocati Curiæ Romanæ 417. 430. 707
Afri non recipiendi ad ordines 114
Agatho, Papa, præfuit Concilio VI. 67
Agnus Dei conſecratur 388. 628. Urbanus V. mittit ad Imperatorem Græcorum 393
Aigilbertus, Epiſcopus Cenomanenſis 150
Alnelius (Petrus) ſcripſit de ceremoniis 621
Alberti Imperatoris coronatio 337
Alexander III. ſtatuit, ut Pontifex a duabus partibus collegii Cardinalitii eligeretur 283
Alexander V. 462
Alexander Farneſius, Dux Parmenſis, Romæ fuit 745
Altaris dedicatio 145. incenſatio 719. ordo in hoc actu obſervandus 721. Altari reverentia exhibenda 659. ſuper Altari S. Petri non celebrant Cardinales 665
Anniverſaria 651
Annulus. Pontifici non datur, ſi non eſt conſecratus Epiſcopus 313. Cardinalibus a Pontifice datur 403
Antiphonarum origo & uſus 107
Aprocriſiarius S. R. E. in comitatu Exarchi Ravennæ 46
Apoſtolatus titulus inferioribus Epiſcopis tributus 86
de Aragonia (Franciſco) filio Ferdinandi Siciliæ Regis, enſis cum pileo a Pontifice datus 541
Archidiaconus ante Archipresbyterum appellatus aliquando 28
Archiepiſcopalis tituli origo 259
Aſſiſtentes Pontifici 668. 676. de officio Cardinalis Diaconi, Evangelium lecturi 688 de ſupplendis vicibus Cardinalium, in aſſiſtentia Papæ deficientium 697
Auditor contradictarum 710. 717
Auditores cauſarum ſacri palatii 704
Auguſtarum tituli 20. dominorum appellatione comprehenſæ 35
Axiomati, i. e. Optimates 37

B.

Baldi JCti opuſculum de coronatione Imperatoris 364
Bambergenſis Epiſcopus pallium accipit 422. lites ejus in Curia Romana 760. Legatus 763. 772. poſtulat ſuperiorem locum in domibus Cardinalium 773
Baptiſmus, pro eo nihil ſolvendum 102. quando fieri debeat 115
Baptiſterium, ædes Baſilicæ addita 148. quomodo dedicandum 148
Baronii opinio de actis VI. Synodi adulteratis 238
Baſilicarum dedicatio a Pontifice concedenda 143
Benedictus II. 35
Beneficium ſancti Angeli 140
Benedictiones Pontificum
Biago de Ceſeno, Magiſter Ceremoniarum 774
Binius perſtrictus 15
Bonifacii V. electio 29
Bonifacius IX. 567
Bonifacii Moguntinenſis indiculus 109
Bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratio 152. præceptum de faciendis cartulis 158. de commutando fundo 159. de commutando mancipio 160
Boria (Rodericus) 408. 431
Brigitta canonizata a Bonifacio VIII.
Bulla Plumbatorum per Vice-Cancellarium frangitur 486
Bullæ Pontifice nondum coronato editæ, ab una tantum parte imprimuntur, ubi ſunt capita Apoſtolorum 298

C.

Cæleſtinus an indixerit Concilium univerſale 63. cur ejus abdicatio nonnullis illegitima viſa 226
Cajetanus (Joannes) ſcripſit de Ceremoniis 610
Camerarius non ſemper eſt Cardinalis 273. 431. 484
Camerarius Cæſaris pecuniam ſpargit 340
Candelarum diſtributio in feſto purificationis 565
Canonicus S. Petri fit Imperator. 343
Canonizationis ritus 366. ſqq.
Cantorum ſchola ex orphanotrophiis ſuppleta 186
Capella Pontificis 668. ordo in ea ſedendi ibid. quinam in illa ſtent 673. de habentibus ſermonem in capella 714. quibus diebus vocantur Cardinales ad capellam 732. nemo in receptione apud Pontificem ſedere poteſt, niſi gaudeat jure ſedendi in ſellis Cardinalium in pontificia capella. 751
Cardinales olim non ſoli elegerunt 33. titulus hic aſſumitus ſeculo IX. 50. adminiſtrant ſede

ſede vacante 273. poſſunt tractare de eo quod laudabile futuri Pontificis officium concernit 279. Senatores, Presbyteri & Diaconi urbis Sylveſtri temporibus dicti Cardinales 280. ab Innocentio IV. pileum rubrum acceperunt 280. a Nicolao V. accipiunt jus eligendi Pontificem 282. ſola aſſumptio ad Cardinalatum habet jus eligendi 291. quomodo creentur 393. conſenſu majoris partis Collegii Cardinalium creantur 394. vid. *Galerus*. de receptione Cardinalium ad oſculum pacis 398 de novi Cardinalis deductione 400. quomodo viſitent Pontificem 401. forma claudendi & aperiendi oris 401. tituli & annuli novis Cardinalibus tradendi 403. diſpenſandi ut retineant beneficia 404. creatio Epiſcopi Cardinalis 407. de novo Cardinali veniente ad curiam ſine galero 411. de reditu novi Cardinalis cum galero 413. vid. *Exequiæ*. Regibus præferuntur 654. quomodo Pontifici reverentiam exhibeant 661. de reverentia Cardinalium inter ſe 663. ſunt honorandi 665. 753. non poſſunt celebrare ſuper Altare S. Petri 665. privati genuflectunt pro Cardinalibus 666 locus eorum in capella Pontificis 668. quando debent præcedere Pontificem, & quando ſequi 433. aſſiſtens Pontifici 676 de habitu Cardinalium 711. Cardinalium collegium utitur in ſcribendo ſtilo Apoſtolico 485. de circulis Cardinalium, qui ſiunt ante Papam 713. præſente vel unico Cardinali, nemo utatur ſimili ſellæ Cardinalis, niſi Principis, quorum eſt ſedere inter eminentiſſimos 751. Cardinales digniores ſunt in præſentia Papæ, quam abſente Papa 754

Caroli M. titulus, quem a Pontificibus accepit 22. a Leone electionem & jus ordinandæ Romanæ Eccleſiæ obtinuit 281

Carolus IV. a Clemente VI. agnitus 336. ſq. coronatus abſente Papa 359. Avenioni coronatus 365

Carolus, Dux Ferrariæ, An. 1487. Romæ fuit 746

Cartulæ de rebus eccleſiaſticis 158

Carvajal (Joannes) 408

de Caſtro (Franc.) Legati Hiſpanici ſagacitas 758

Cautio Epiſcopi 101

Celſitudinis Regiæ titulus 772

Ceremoniarius in coronatione incendit ſtuppam 315. exhibet juramentum Prælatorum 421

Ceremoniarum Clerici 296. 674

Ceremoniarum diſciplina, unde hauriatur 774

Ceremoniarum liber ſcriptus Friderici III. temporibus 343. refert ejus peregrinationem Romanam An. 1468. ſuſceptam 439. 447. meminit anni 1486. 540. debet ceremoniarum liber inſtar evangelii eſſe 743. in multis mutatus 775
Ceremoniarum libri antiqui 431. 437. 728. plures 717
Ceremoniarum Magiſtri Legatos monere debent 750. 765. hoc officium per octoginta annos fuit penes Marchiginnorum familiam 766. Paris de Graſſis 774. Biagio de Ceſeno ibid.
Ceremoniarum neglectus 743. aucti hodie honores creſcente potentia 760. ceremoniæ & ritus eccleſiaſtici æque ac civiles, ex quo obſervari cœperunt, nunquam in eodem permanſere ſtatu 771
Cereoſtatæ 47
Chirothecas detrahere jubetur Legatus 766. 776
Chriſtiernus, Rex Daciæ, Romæ fuit 448
Cinerum diſtributio 566. cur Imperator & Laici ultimo loco accipiant 167
Clemens VI. 408. 732. Clemens VII. 765. Clemens VIII. 758. 781
Clerici cameræ 706
Clerici capellæ 430
Clerus Apoſtolicæ Eccleſiæ 151
Collatio ſive compotatio publica 510
Columenſis (Proſper) 431
Columnenſes Proceres Romani 338
Comites Imperialis obſequii 21
Commendarum origo 189
Commendatio Eccleſiarum 718
Compromiſſi in electione forma 292
Concilia univerſalia ab electis Pontificibus agnita 52. recenſentur in profeſſione ſecunda 63. ab Imperatoribus indicta 63. ſexta Synodus an fuerit conventus politicus 67. Subdiaconis nullus in conciliis locus 69. non adulterata fuiſſe acta ſextæ Synodi 231. Concil. Nicænum 61. 96. Conſtantinopolitanum 103 Lateranenſe 99. generalium conciliorum forma 458. qui habent vocem deliberativam in conciliis 461. de diverſis officialibus concilii 461. ordo ſedendi in conciliis 461. ordo rerum gerendarum in conciliis 463. de generali congregatione in conciliis 465. de publica ſeſſione & ſacris precibus 466
Concilium Baſileenſe 464
Concilium Conſtantienſe ibid.
Conclave electionis 274. deſcriptio conclavis Romani 276. in eo quid tractetur 278. quomodo intrent Cardinales 286. juramentum a cuſtodibus conclavis exigendum 287. quomodo clau-

claudatur 288. Cardinali non licet de ferculo alterius veſci 289. conventicula noctu non ſunt agenda 290
Conon Papa 35
Conſecratio Pontificis in Epiſcopum 304 311
Conſervatores urbis 273. 430
Conſiſtorium pro creandis Cardinalibus 394. de loco & ordine Conſiſtorii 414. de habitu & locis in publico Conſiſtorio 416 de Conſiſtorio ſecreto 417. Pontifex decernit ſecundum majora 418. quibus diebus Pontifices conſueverunt a Conſiſtorio ſecreto ceſſare 737
Conſtantini P. obitus 27
Conſtantinus Pogonatus 67
Conſtitutus quis dicatur? 25
Conſulum titulus 22
Convivium ſolenne Pontificis cum Cardinalibus 329. aliud in compotatione publica 510
Corona regni Longobardici Modetiæ ſuſcipitur 341. triplex Imperatorum 364. forma coronæ imperialis 365
Coronatio Pontificis 311. quæ mutentur, ſi extra urbem fiat 335
Corrector literarum Apoſtolicarum 717
Crocea, habitus Cardinalis 289
Crux præferenda 431. 433. 436. adoranda 600
Cubicularii Pontificis 230. 432. 433. 707
Curatores bonorum eccleſiaſticorum 163
Curiales togati 432
Cuſtodia mortuo Pontifice quomodo inſtituenda 273
Cyrilli Alexandrini capitula 63

D.

Decretale en idem ac decretum 91
Dedicatio Eccleſiarum vid. *Eccleſia.*
Deſpotus Peloponenſis Romæ fuit 669
Deuſdedit Papa 29
Diaconias privilegium 183
Diaconus Eccleſiæ viduæ 91. eligebantur præ Presbyteris Epiſcopi 92
Diaria Romana ſub Sixto IV. cœperunt 774
Diurnus Liber a veteribus allegatus 2. fragmentum ejus *Labbeo* viſum ibid. cur a *Garnerio* editus 3. ſcriptus ſeculo ſeptimo 3. ante annum 752. 4. an formulis *Marculfi* poſterior 4. caruit diſtinctionibus 6. conjectura de libri ætate 53. 58 94. excerpta Launoji 67. ejus formulæ, quando deſuefactæ 205. Ivo ejus meminit 55
Domini titulus olim Principibus datus 19. a Patriarchis Pontifici tribuitur 208. quando Pontifices deſierint eum Principibus ſecularibus tribuere 205

Dona-

Donatio ſolennis in fundanda Eccleſia 149
Durantes, ejus rationale citatur 342
Dux, quomodo creetur 373. minoris potentiæ, quomodo creetur 379

E.

Eccleſia idem ac parochia 91. portio bonorum, quæ fabricis addicta erat, penes Epiſcopos fuit 103. Baſilicam ædificans tenebatur conferre, quod ad ſarta tecta alimoniam cuſtodum atque luminaria opus eſt 143. quomodo ſolenniter conſecrandæ 146. Baſilica quæ poſt incendium reparatur ibid. Baſilica, quæ poſt ruinam alterius juxta ipſam conſtructa eſt 147. proceſſionis honor fundantibus debitus 149
Eggenbergius, Legatus Cæſareus, conqueſtus eſt, ſe non eſſe exceptum eo modo, quo reciperentur Legati cæteri pares 747. vult privatim ad pedis oſculum admitti 748. Pontifex ad hunc actum invitavit quosdam Cardinales 749. Ceremoniarum Magiſtri monent Legatum, ut genibus flexis oſculetur pedes Pontificis, ut paucis cauſam adventus ſui exponeret, auditoque reſponſo & accepto a manu S. S. ſigno ſurgeret 749. conqueritur ipſi ſellam non fuiſſe paratam 750. item, quod procumbentem Pontifex non juſſerit ſurgere ibid. autor controverſiæ Princeps Cardinalis Sabaudiæ 755. ſolennitates audientiæ publicæ 769. cauſæ ſimultatum cum Pontificia aula 776
Electi omnes Prælati dicuntur ante conſecrationem ſive benedictionem 421
Electio Epiſcoporum quomodo examinanda 419
Electio Pontificis vid. *Pontifex.* electus in Papam & nondum ordinatus, poſt Archipresbyterum appellatur 27. celebranda ubicunque Pontifex deceſſerit 274. a duabus partibus Collegii Cardinalium eligendus 282. 290. vivo Pontifice non agendum de Succeſſore 282. *Nicolai II.* Alexandri III. *Gregorii X.* & Clementis V. & VI. conſtitutiones de electione Pontificis 282. 290. in electione ſtatuunt Cardinales, quædam a futuro Pontifice obſervanda *290.* eligunt omnes Cardinales, etiam primum creati, modo iis os non clauſum aut jam apertum fuerit ibid. Pontifex non legitime electus cum e gentibus eſt excommunicatu 291. electio fit vel per viam compromiſſi, vel per viam ſcrutinii, vel per viam Spiritus Sancti 292. non fit bis ſcrutinium in die 295. electio, quo-

quomodo per viam acceſſus fiat ibid. electus olim inveſtitus 295. interrogatur, quo nomine velit nuncupari 296. accipit annulum piſcatoris ibid. ſubſcribit conſtitutiones ante electionem firmatas 296. proclamatur 296. Altari imponitur 297. ad Eccleſiam S. Petri deſcendit 297. quid ſi electus aliquis extra collegium ibid. ſi electus non conſentiat 298

Electores a Gregorio V. inſtituti 281. immediate ante Cardinales procedunt 355. qui præferunt Imperatori gladium & pomum, immediate Imperatorem præcedunt, ut Diaconi Pontificem ibid. Electores Archiepiſcopi eunt ante aſſiſtentes Pontificis 356. quomodo Romæ excipiantur 450. digniores habentur aliis Principibus præter Reges ibid. illorum numerus & officia 451. Seſſio Electoris Prælati 453

Eleemoſinarius Papæ 432

Enſis, quomodo a Pontifice detur 384. 539

Epiſcopi appellantur fratres 89. decretale quod legit Diaconus Epiſcopo deſignato 91. electi ex Diaconis 92. a Clero, Ordine & Plebe 92. cur eligendus imminente paſchate 93. promiſſio fidei Epiſcopi 94. promittebant ſe terminos ſuæ juriſdictionis non egreſſuros. 100. electi edebant cautionem ſive inſtrumentum, quo fidem ad implenda promiſſa obligabant. 101. pro electione nihil ſolvendum ibid. poſſidebant bona ad fabricas Eccleſiarum pertinentia 103. ad reſidentiam tenebantur 104. bona Eccleſiæ ſuæ cedebant 106. formula, qua ſedi Pontificiæ ſe obligabant 109. ad Epiſcopi ordinationem conveniebant Epiſcopi vicini 113. de Synodali, quod accipit Epiſcopus 113. de formata, quam etiam Epiſcopus ordinatus accipiebat. 116. reverendiſſimi dicuntur 117. epiſtola Pontificis, qua Epiſcopum hortatur, ut Romam veniat 123. jus Epiſcoporum in conſecrata oratoria 140. quomodo confirmetur 420. accipit rochetum ibid. an genuflectere debeant pro Cardinalibus 667. quæ Epiſcopo celebranti fiat reverentia ibid. cum Papa loquens genuflexus manet 667. Epiſcopi Italiæ conveniebant ad diem natalem Papæ, 121. quomodo excuſaverint abſentiam 123. Epiſcoporum forenſium tituli 23. quinam ita appellati ibid. ſuburbicarii ordinatio 86. vocatoria Epiſcopis data 89. Romam tribus tem-

temporibus accedere jubebantur 104
Epiſcopus Cardinalis, quomodo creetur 407
Epiſtolæ Pontificum, quid in illis obſervandum 17. dividuntur in ſeculares & eccleſiaſticas ibid. inſcriptiones illarum in collectionibus plerumque omiſſæ 18. fallunt regeſta Leonis & Gregorii M. 200
Eugenius Papa 98
Eugenius IV. 717
Eutherius, Neſtorianus, Tyanorum Epiſcopus 64
Eutychiani 80
Exarchorum dignitas 21. potentia & diuturnum imperium 21. literæ ad illum de obitu Pontificis 27. de electione Pontificis 38. rogabantur conſentire in electionem Pontificis 41. cumque in finem mittebantur Legati 43. ſubſcribebant decreto electionis 45
Excellentiæ titulus, Legatis Italicis olim tributus 772
Exequiæ Cardinalium 469
Exequiæ Pontificum 286. 480

F.

Familiares Cleri 39
Felix, Ravennæ Epiſcopus 33
Ferdinandus I. Imperator 763
Ferdinandus II. 765
Ferdinandus, Rex Siciliæ, Romæ fuit 448
Ferrariæ Duces 746
Ferula Pontifici præferenda 431
Feſtorum celebratio in Romana Eccleſia 491. prima dominica Adventus Domini 491. Papa præſente ibid. abſente 501. ſecunda Dominica Adventus 505. tertia Dominica Adventus ibid. quarta ibid. Vigilia Nativitatis Chriſti 506. de Veſperis Vigiliæ Nativitatis Chriſti, Pontifice in craſtinum celebraturo 506. de matutinis noctis Nativitatis Chriſti, præſente Pontifice 513. de ordine cantantium lectiones 519. de miſſa majori Nativitatis Domini, Papa perſonaliter celebrante 521. de Veſperis in Vigilia Nativitatis Chriſti, Papa in craſtinum non celebraturo 541. de Miſſa in die Nativitatis Chriſti, Papa præſente non celebrante 543. de Veſperis Vigiliæ Nativitatis Chriſti, Papa abſente 549. de matutinis Nativitatis *Chriſti*, Papa abſente 551. de prima *Miſſa* Nativitatis Chriſti, Papa abſente 553. ſi Papa in nocte Nativitatis perſonaliter celebret 553. de laudibus & ſecunda Miſſa, Papa abſente ibid. de tertia Miſſa in die Nativitatis Chriſti 554. de die S. Stephani 556. in feſto S. Joannis Evangeliſtæ 556. in Vigilia circumciſionis & ejus feſto 556. de Vigiliis Epiphaniæ Domini

mini 557. de feſto purificationis B. Mariæ Virginis ibid. abſente Pontifice 563. de die cinerum 566. de officio diei cinerum, Papa abſente 569. ſi Papa in die cinerum celebrabit 571. de die prima, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta Dominica quadrageſimæ 572. 580. de officio Dominicæ Palmarum 580. de matutinis tenebrarum quartæ feriæ majoris hebdomadæ 583. de quinta feria majoris hebdomadæ, quæ *Cœna Domini* dicitur 586. de Proceſſibus, quæ fiunt per Papam 589. de mandato faciendo 590. de officio in cœna Domini, Papa celebrante 592. de officio diei Jovis ſanctæ, Papa abſente 594. de lotione pedum tredecim pauperum, Papa abſente 594. quando Papa Proceſſibus tantum intereſſe volet, & publicam indulgentiam populo dare 595. de ſexta feria majoris hebdomadæ, Papa præſente 596. de matutinis tenebrarum quintæ & ſextæ feriæ majoris hebdomadæ 604. de officio diei Veneris, Papa celebrante 605. de Sabbatho ſancto 612. de feſto Reſurrectionis Chriſti 623. de ſecunda, tertia feria poſt paſcha 628. de Sabbatho in albis, cum dantur Agnus Dei 628. de feſto Annunciationis B. Mariæ Virginis 631. de feſto Sancti Marci 632. de vigilia & feſto Aſcenſionis Domini 633. de feſto Corporis Chriſti 636. de vigilia & feſto S. Joannis Baptiſtæ 639. de vigilia & feſto Apoſtolorum Petri & Pauli 640. de feſto Viſitationis B. Mariæ Virginis ibid. de Vigilia & feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis ibid. de vigilia & feſto B. Mariæ Virginis ibid. de vigilia omnium Sanctorum, & mutatione capparum 641. de feſto omnium Sanctorum 642. in veſperis & matutinis defunctorum, Papa præſente 643. Papa abſente 644. de commemoratione animarum 646. de vigilia & feſto dedicationis Baſilicæ Salvatoris 650. Baſilicæ Principis Apoſtolorum 651

Fidei profeſſiones 212

Filii titulus 25. 75. Eccleſiæ quinam dicantur 265

Firmationis loci privilegium 187

Forerii 432. 438

Formata Epiſcoporum 116. Archidiaconus Romanus dat formatam ibid.

Formulæ ex epiſtolis Pontificum hauſtæ. 5

Franciſcus, Cardinalis Mantuanus 434

Fridericus I. quinque coronis decoratur 364. ſeq.

Friderici III. coronatio 341. ſeq. ante coronationem benedictionem

nem cum ſponſa ſua Eleonora accepit 341. a Nicolao corona Longobardica in Baſilica Petri coronatus 342. ejus peregrinatio Romana 439. cantavit lectionem ſeptimam in matutinis noctis Nativitatis Chriſti 520
Fuldenſi monaſterio privilegium a Zacharia Papa conceſſum 167

G.

Galerus Cardinalium 395. quomodo illis detur 396. 398. abſentibus quomodo mittatur 404
Galerus niger Epiſcoporum 420
Genuflexiones pro ſolo Imperatore 660. an & quando pro Cardinalibus 666. in capella 729
Gothofredus (*Jac.*) notatus 156
Græca lingua Evangelium & epiſtola quandoque leguntur 728
Graſſis *Paris de* Magiſter Ceremoniarum 774
Gregorii M. Pontificis electio 49. 52. Symbolum Gregorii 216. inſtituit conſecrationes ad Altare S. Petri 411
Gregorius II. 27. 45
Gregorius V. Electores conſtituit 281
Gregorius IX. 598
Gregorii X. conſtitutio de electione Pontificis 282
Gregorius XI. 337. 628
Gregorius XIII. celebravit Jubilæum a 1575. 545
Gurcenſis Epiſcopus Vicarius Imperatoris Generalis per Italiam 751. Legatus Ferdinandi I. 763. 772

H.

Habitus promotorum Clericorum ſecularium & regularium 421. de habitu omnium tam celebrante Pontifice, quam non celebrante 708. ubi & quando capiuntur paramenta 709. Cardinalium 711. Prælatorum 712. de habitu Cardinalium & Prælatorum religioſorum 712. de habitu ſermonem habituri 713
Hadrianus II. 70. 240
Henricus VII. coronatus a Clemente V. 337
Henricus, Princeps Lotharingiæ, matrimonium contraxit cum Catharina, Sorore Franciæ Regis 781
Heraclianorum hæreſis damnata 98
Honorius Pontifex 3. an fuerit Monothelita 61. profeſſio fidei 70. de cauſa Honorii & ſexti Concilii generalis 230. damnatus propter imprudentem œconomiam ibid.
Hoſtienſis JCti lectura citatur 285
Hymnus Ambroſianus quando Romæ cantatus 78

I.

Imperator Græcorum, ut Rex conſideratur 333. 669. locus ejus in capella Pontificis ibid.

Impe-

Imperatoris titulus ante ſeculum IX. 18. Conſtantinopolitano nunciabatur electio Pontificis 34. eorum filii etiam Imperatores appellati 35. eorum conſenſus in electionem requiſitus 37. ſubſcribebat decreto electionis Pontificis 45. concilia indixerunt 63. 67. vivi dicebantur a Deo coronati 99. qua formula poteſtatem ordinandi Pontificis conceſſerint 211. Imperatorum conſenſum Pontifices miſſuri Epiſcopis pallium petebant 253. nemo in Pontificem canonice electus dicebatur, niſi Principis decreto eſſet confirmatus 281. abdicant ſe jure eligendi Pontifices 281. caudam pluvialis Pontificis coronandi portare debet Imperator 311. Pontifici equum aſcendenti ſtapham tenet 324. ſellam ipſam cum Pontifice humeris ſuis portare aliquantulum debet ibid. Imperatoris ſedes, officia & honores in convivio Pontificis 330. aquam ad lavandas Pontificis manus portat 331. 511. 726. portare debet ferculum ad Pontificem 333. caudam pluvialis Pontificii portat in Miſſa Nativitatis Chriſti 523. affert aquam Pontifici in Miſſa manus lavanti 525. de communione Imperatoris 627. Miſſa pro anima Imperatoris 654. Imperatori Pontifex aliquantulum aſſurgit 660. genuflexiones & prægustatio coram Pontifice nemini fit, niſi tantum Romanorum Imperatori 665. ejus locus in capella Pontificis 669. Imperatoris coronationi olim Epiſcopus Oſtienſis, aſſiſtentibus Portuenſi & Albanenſi, benedicebat 314. de adventu & coronatione electi in Regem Romanorum 336. quomodo Pontifici notam faciet ſuam electionem ibid. a Pontifice examinatur electio ib. quod veniente Imperatore mittuntur Legati Apoſtolici 337. juramentum præſtat, antequam intret urbem ibid. poteſt præſtare per Legatos 338. quinam Imperatori obviam procedant ibid. ſolet pernoctare una nocte extra mœnia in campis 339. juramentum Romanis præſtat ante ingreſſum in urbem ibid. quomodo veneretur Pontificem 341. pedes oſculatur ibid. auri maſſam ad pedes Pontificis offert ibid. ad manum ſiniſtram Pontificis incedit ibid. nondum coronatus ſedet poſt primum Epiſcopum Cardinalem 342. coronatus vero inter Papam & primum Epiſcopum Cardinalem ibid. coronandus in die Dominica Lætare ibid. die coronationis tertiam Pontifici præſtat juramentum 343. recipitur

in Canonicum S. Petri 343. Imperator deponit almucia, induit ſandalia, & imperiale paludamentum 344. ungitur 345. enſem a Pontifice accipit 347. pomum & ſceptrum 348. coronam imperialem 349. ſedes ejus humilior Papæ ibid. aurum offert ad pedes Pontificis 341. coronatio Imperatoris, abſente Papa 357. ante Carolum M. a Pontifice nullus Imperator coronatus 364. Imperator & Princeps dictus Auguſtus 18. Dominus ibid. Dilector Dei & Chriſti ibid. Victor, Triumphator ſerenus, tranquillus, pius, a Deo coronatus ibid. Imperatori incenſat primus Epiſcopus, non Cardinalis aſſiſtens Papæ 721. a Pontifice primus recipitur ad oſculum pacis 723. Imperatore Romam veniente, vacant conſiſtoria 740. Vicarius Imperatoris, Epiſcopus Gurcenſis, prætendebat ſedere ſupra univerſum Cardinalium collegium 748. inſtrumentum electionis imperatoriæ poſtulat Pontifex 760. Imperator nondum coronatus, an tantum Rex Romanorum dicendus 776. 778. Imperatoris proceſſio cum Pontifice per urbem 354. tenet ſtapham Pontifici equum aſcendenti ibid. quomodo a Pontifice recipiendus veniens ad urbem peregrinationis gratia 439. Friderici III. manum dextram ſiniſtra tenuit Pontifex 444. ſedes in concilio generali penes ſedem Pontificis, ſed non tantæ latitudinis aut longitudinis 459. 462. Imperator, ſi interſit matutinis noctis Nativitatis Chriſti, cantat ſeptimam lectionem ſub Evangelio 520. primus accipit candelam a Pontifice 565. Cineres autem poſt omnes Cardinales dantur 565. Imperatoris filius it medius inter juniores Diaconos Cardinales 355. Imperatoris Vicarius per Italiam, vid. *Vicarius.*

Imperatricis familia 340. a Pontifice recipitur ad oſculum 341. perungitur 346. 362. coronatur 350. coronatio Imperatricis ſine Imperatore 360. non admittitur in convivio Pontificis 334

ImperiumRomanum a Hadriano I. vel Leone III. ad Germanos translatum 281

Incardinari quid dictum 118

Indulgentiarum promulgatio 539. 604

Indumenta Pontificis electi 296. pronuntiaturi Pontificis 418. tiara 431. in ſabbatho ſancto 617. de habitu Papæ 710

Innocentius III. 598

Innocentius VIII. 775. 778

Joannes IV. 98

Joan-

Joannes V. 35
Joannes XXII. 408. 610
Joannes XXIII. 462
Italica provincia ſervilis 42
Jubilæi An. 1575. celebrati ſolennia 545
Judæi Pontifici coronato obviam euntes 326
Julianus, Eclanenſis Epiſcopus 73
Julius II. 772
Julii II. aſpera verba ad Legatum, Ferdinandi, Arragoniæ Regis 760
Juramentum Imperatoris ante ingreſſum in urbem 337. quomodo per Legatos præſtetur 338. aliud, quod Romanis præſtat 339. tertium in die coronationis præſtandum 343
Juramenta Prælatorum 421. accipientium pallia 426

L.

Ladislaus, Rex Bohemiæ, fuit cum Federico Romæ 339
Laici etiam eligebant Pontificem 37. 39
Landus (Hieron) Archiepiſcopus Cretenſis 425
Lateranenſe ſcrinium 33. 100
Lectiones officii 107
Legatus Imperatoris præcedit Senatores 430. 445
Legati de latere mittuntur ad excipiendum Imperatorem 337. coronat Imperatorem cum Cardinali Epiſcopo, abſente Papa 357. 359. ejus electio 409
Legati Principum 416. 430. quomodo recipiendi 454. locus in conciliis 463. in Capella Pontificis 670. quo ordine pacem accipiant 723. an Legatis Romam advenientibus ipſi Cardinales obviam ire debeant 744. an Legati unum aut duos introitus celebrare poſſint 744. Legati an ſtatim advenientes ad Palatium properare poſſint 745 hodie Legati recipiuntur iisdem honoribus, quibus olim Principes ibid. ſedent coram Pontifice, ſi tantum adſint Cardinales protectores 777. tribus caſibus Legati ſedent coram Pontifice 778
Legati obedientiæ omnia genuflexi peragunt 778
Legati & Reſponſales Pontificum in officiis 68
Leonis Pontificis profeſſio 75. 227
Leo VIII. confirmat Ottoni imperium 281
Leoni X. inſcribitur liber ceremoniarum 272
Litania quando primum inſtituta 107. quando celebranda 115
Literarum partes tres: ſubſcriptio, inſcriptio, & epiſtola 19
Literæ Pontificum, an in illis Pontifices nomen ſuum poſtpoſuerint 196. Exempla epiſtolarum Pontificibus ſcriptarum 197.

Leo IV. nomen ſuum ſemper præpoſuit 204. ab eo tempore etiam ab appellatione Domini Dominæque abſtinuerunt 205. Nicolaus I. prætermiſit ſolennem ſubſcriptionem ibid. a Gregorii VII. temporibus invaluit mos, ſalutem & benedictionem Apoſtolicam impertiendi ibid. formulæ, quibus inſcriptæ literæ ad Pontificem datæ 206. cum ad reos aut ſchiſmaticos ſcriberent, nomen ſuum præpoſuerunt 200. formulæ adhibendæ, ſi Pontifex nondum ſit coronatus. 298
Longobardi inimici Pontificum 40
Lotio Pedum a Papa fieri ſolita 591
Lucenſis Epiſcopus pallium accipit 422
Lucina 133
Luminaria in capella Pontificis. 726

M.

Macarius, Antiochenus Epiſcopus 71
Magiſter ſacri hoſpitii 416
Magiſter ſacri palatii 706
Magiſter oſtiarius 430
Magiſter ſtabuli 432
Mareſchallus Imperatoris præfert enſem 339. ſq.
Martinus I. Pontifex 81
Matrimonium, an in eo diſpenſet Pontifex 767
Maximilianus I. Romam venturus prætendebat, ut Pontifex obviam ipſi veniret 748
Medici Papæ 432
Militis benedictio 374
Miniſtri celebrantium 727
Miſſarum ſolennia, vid. *Feſtorum celebratio.*
Mitræ Pontificis 730
Moguntinus Elector eſt Decanus Electorum 451
Monaſteriorum oratoria 141. de recondendis reliquiis intra monaſterium ibid. privilegia 167. ſeqq. confirmatio 190
Monothelitarum hæreſis 230. ſeqq.
Moroneus (Petrus) electus Pontifex 299

N.

Natalis Pontificis 121
Neſtoriani 80
Neſtorius hæreticus 63
Nicolaus II. electionem per Cardinales peragendam ſanxit 282
Nicolaus V. 482. 605
Nobiles minores 432
Notarii Regionarii 86. præceptum, quando laicus tonſuratus, & ſit Regionarius 151

O.

Oratoriis Presbyter dandus 137. petitio dedicationis oratorii 137 reſponſum oratorii dedicandi 138. reſponſio de dedicando oratorio intra monaſterium

Monachorum 140. domeſtica oratoria Epiſcoporum 143
Ordinatio Cardinalium ad ſacros ordines 410
Ordinatio Clericorum, quando fieri debeat 114. differentia inter incardinationem, ordinationem & commendationem 118. jejuniorum tempore fieri debet 137
Ordinatio Pontificis, quando & quomodo fieri debeat 299
Ordinatores rerum eccleſiaſticarum 152
Ordo Hieroſolymitanus, ejusque vexilla 322. horum ordinum militarium procuratores ſedent poſt Abbates 670
Ordo Teuthonicus, ejusque vexillum 322. ſq.
Oſculandus Pontifex equitans 436. quosnam Pontifex ad oſculum admittat 661
Oſtienſis conſecrat Pontificem 48. utitur pallio ibid. 313. deſiit hodie ibid. coronavit Carolum IV. 359
Otto, Alemannorum Rex, confirmatur a Leone VIII. 281
Otto Friſingenſis allegatur 364

P.

Pacem inter miſſarum ſolennia dandi ordo 723
Pallium Epiſcopis datum 125. 250. qua formula ibid. id petentes Romam mittebant ſuam confeſſionem 128. in antiqua formula nulla fiebat mentio *plenitudinis poteſtatis*, nulla *fidelitatis & obedientiæ particularis erga ſedem Apoſtolicam*, nulla *vicis Apoſtolicæ atque autoritatis in Epiſcopos* 129. 253. cum mitteretur pallium, aut concedebantur primum aut conceſſa pridem confirmabantur privilegia 131. formula, qua Symmachus An. 501. pallium miſit Epiſcopo Laureacenſi 133. miſſum Epiſcopis quibuscunque 135. variæ vocis pallii ſignificationes 251. ejus uſus ante annum 336. 251. an Linus ejus autor ibid. 423. an tantum metropolitis conceſſum 255. an qui pallio donatus, a ſolo Pontifice judicandus 260. cur tantum inter Miſſarum ſolennia adhibendum 261. materia pallii 262. quomodo tradatur 423. ante illius traditionem nemo appellandus Archiepiſcopus aut Patriarcha 422. quomodo conficiatur ibid. formula juramenti præſtandi ab eo, qui pallium accipit 425. Taxa pallii & dona accipientium pallium 426
Papienſis Epiſcopus pallium accipit 422

Paraſrenarii Pontificis 323. 432

Parmæ Principi non competit jus ſedendi inter Cardinales 745

Patriarchæ a Pontificibus fratres appellantur 23. quomodo olim ordinati 211. an inter Epiſcopos Cardinales mixtim ponendi 332. locus eorum in capella Pontificis 669

Patricii titulus 20. quis fuerit ibid. Patricii etiam Præfecti provinciarum appellati 154

Patritius (Auguſtinus) autor libri ceremoniarum 252. promittit tractatum, decreta circa electionem Pontificis concernentem 286. autor Pontificalis Romani 342. Pio II. a manu ſervit 364. electus Epiſcopus Eccleſiæ Pientinenſis 419. Magiſter ceremoniarum fuit ſub Sixto IV. 425. vixit temporibus Pauli II. 431. 630. Pii II. ibid. cui per quatuor annos deſervivit 434. vixit Nicolai V. temporibus 482

Paulus II. 630. 431. 617. 711

Pelagiana hæreſis notata 73

Pelagius I. Pontifex 60

Petrus, Rex Arragonum a 1386. Romæ fuit 627

Pilei rubri origo 280

Pii II. verba in creatione Cardinalium 398. 408. 718

Pius V. 750

de Pogeto (Bertrandus) 408

Polychronius 71. novus Simon dictus 71

Pontificale Romanum 342

Pontifex, vid. *Litera, Electio, Exequiæ, Indumenta, Ordinatio, Conſecratio*, Supremus chriſtianæ monarchiæ Princeps 281. nullo humano judicio judicari poteſt 291. inveſtitus olim verbis: *inveſtio te de Papatu, ut præſis urbi & orbi* 295. in die coronationis ipſi datur ferula in manum, in ſignum correctionis & regiminis, & claves baſilicæ in ſignum poteſtatis 328. creat Duces 373. nunquam fit Pontifici a Cardinalibus reverentia, quando non habet pluviale & mitram 410. præſidet conciliis univerſalibus 458. eminentiori ſella utitur ac Imperator 459. mortales omnes dignitate & autoritate præcellit 480. nemini reverentiam facit 659. quomodo & quos ad oſculum manus & pedis admittat 660. quomodo ipſi reverentia exhibeatur 660. & quidem a Cardinalibus 661.

oſcu-

oſculari debent Pontificis manus, cum aliquid tradit vel accipit 685. Pontifices neminem in genua procumbentem ſurgere jubent 749. eſt Chriſtianorum caput 761. Pontifex, quænam in ſacris agat 491. Miſſam celebrat in dominicis adventus 503. de publica compotatione ſive collatione potus in aula a priſcis vocitatus 510. Pontifices ſe appellant ſervos ſervorum 19. in literis ſemper præponebant nomen ejus, cui ſcribebant ibid. quomodo ordinandi 27. ante ordinationem non adminiſtrat 29. Archipresbyter, Archidiaconus & Primicerius, Notariorum ſede vacante res gerunt 27. obitus Pontificis nunciandus Exarcho 28. aliisque 209. decretum de electione Pontificis 29. a Clero, Optimatibus & Militibus electus 33. de electione ad Imperatorem Conſtantinopolitanum referebatur 34. poſt triduum eligendus 43. denuncianda electio Exarcho 37. Archiepiſcopo Ravennæ 42. Judici Ravennæ 45. ritus ordinationis 46. 210. electiones diſcordes 77. Profeſſio electi Pontificis 49. Epiſcopi non poterant ante Formoſi tempora eligi 49. 211. promittit obſervantiam Conciliorum univerſalium 53. ſcribenda hæc profeſſio ad univerſam Eccleſiam 60. ſedem Pontificalem aſcendentes monebant totam Eccleſiam de ſua ordinatione & fide 76. confirmat decreta præcedentium Pontificum 54 80. diverſi ordinationum ritus diverſis temporibus 210. alia profeſſio ab *ordinando* alia ab *ordinato* edebatur 212. prior *Symbolum*, altera *Synodica* dicta 212. uſitatæ adhuc Bonifacii VIII. temporibus 224. Conſtantienſes revocare voluerunt 225. Pontifex ordinabatur Presbyter & Epiſcopus, ut alii ordinatione pallii 211. ante coronationem Conſiſtoria tenere non conſuevit, neque proviſiones Eccleſiarum facere 298. ad Altare B. Petri ſolus inungitur 346. Pontificum conciones ad univerſam Eccleſiam directæ 75. in ejus natali conveniebant Romæ Epiſcopi Italiæ 123. ſolus apud Altare S. Petri conſecrat 411. quomodo equitat in Pontificalibus 429. cum equitat ad aliquam Eccleſiam religionis gratia non in Pontificalibus 432. de Pontificis itineratione, quando ad alias urbes ſive loca ſe vult conferre 434. ordo intrandi urbem aliquam in Pontificalibus 436. in

die veneris ſancti non ſedet in ſede, ſed in ſcabella 610. quando lavat manus ante Miſſarum ſolennia 715. Pontificum tituli: appellatur Papa Patrum 86. dictus univerſalis Papa 95. ſervus ſervorum 19

Porta ſancta quomodo a Pontifice aperiatur & claudatur 545

Præcedentiæ lites quomodo componendæ 333

Præcepta Pontificum 136

Præfectus urbi præfert Imperatori enſem 339. ſtapham deſcendenti tenet 340. ejus benedictio & inveſtitura 380

Prælatorum locus in capella Pontificis 670. habitus 712

Præpoſitatus præceptum 181

Presbyteri titulus 25. præceptum Pontificis de ordinando Presbytero 136. loca pia iis commendata 189. Alexandrinæ Ecclefiæ Presbyteri an omnes fuerint Chorepiſcopi 211. Vicarii quandoque Pontificum 255

Primicerius quis dictus? 25

Principes Italiæ liberi Legatis Regiis olim cedebant 761. iis datur titulus excellentiæ 772

Principum locus in proceſſione cum Imperatore 354. locus & ſedes aliis temporibus 430. equum Pontificis freno ducunt 431. locatur inter oratores Laicos vel cum Senatore aut Præfecto 445. quomodo majores Principes recipiendi 450. minores Principes non ſedent inter Cardinales 453. locus in Conciliis 463. in capella Papæ 668. quando ſedeant ſive ſtent in præſentia Pontificis 745. exempla Principum obedientiam præſtantium 778

Privilegia Pontificia 166

Proceſſus generales 731

Proceſſionis gratia 138

Procurator fiſcalis 430

Procuratores Regum & Principum 432

Proteſtatio Pontificis in canonizatione Sancti 371

Protonotariorum officium 701

Proviſio Eccleſiarum 418. fit quandoque immediate a Pontifice 420, differt a confirmatione 419

Publicationes ſolennes a Pontifice faciendæ 426. pacis 427. fœderis initi contra hoſtes Eccleſiæ ibid.

R.

Ravennatenſis Archiepiſcopi titulus 24. cur *reverendiſſimus & ſanctiſſimus frater* appelletur ibid.

ibid. intimatur ipſi & Apocriſiario electio Pontificis 42. 46

Reginæ receptio 448. non recipitur ad oſculum oris, ſed ad pedis & manus 449. non admittitur in convivio Pontificis 334

Regionarius vid. *Notarius*, præceptum quando abſens Subregionarius fit Regionarius 151

Regum titulus 22. portare debent caudam pluvialis Pontificis coronandi 311. 523. ſtapham tenent Pontifice equum aſcendente 324. 511. portare debent Pontificem in ſella ſedentem ib. ſedent poſt primum Epiſcopum Cardinalem 332. 447. coronationis Regum ritus 339. 342. ſemper ſeqvuntur Imperatorem in coronationis actu 354. Rex ita ſiniſtris ſenioris Epiſcopi Cardinalis 355. quomodo recipiendus Romam veniens 444. prima adventus die non debet ſervire Pontifici 447. Regum locus in Conciliis 459. in Miſſa ſolenni 523. Pontifex magnis Regibus aliquantulum aſſurgit 660. Regibus non fit genuflexio & prægustatio, præſente Pontifice 665. Regum locus in capella Pontificis 669. ſi plures Reges adſint, ſemper aliquis Cardinalis medius ſit inter Principem & Principem 669. Reges incenſat Diaconus Evangelii 721. Innocentius VIII. Calabriæ Duci dedit locum poſt primum Cardinalem 775. quomodo Pontifici obedientiam præſtent 778. Regum filiorum receptio 450. ſedent poſt primum Presbyterum Cardinalem ibid. locus primogeniti Regis in capella Pontificis 669

Reliquiæ dicuntur beneficia 140. de recondendis reliquiis intra monaſterium 141. de recondendo corpore Sanctorum 146. Roma mittebantur reliquiæ ibid. non poterant ex uno loco in alterum conſecrationis gratia transferri 148

Rochetum Epiſcoporum 420

Rochetum Cardinalium 289

Roma patria communis 761

Romanis Imperator confirmat conſuetudines 339

Roſæ benedictio 382. deliberat Pontifex cui danda vel mittenda 382

Rotæ Diaconus 432. 433

S.

Sabaudicus Legatus prælatus Veneto 750

Sacramentum ab equo portandum 431. 436
Sacriſta palatii Apoſtolici 276. 436. officium ſacriſtæ 701
Sanctorum canonizatio 369
Sanctuaria ſunt Sanctorum reliquiæ, vel reliquiarum thecæ 139
Sartor Papæ 429
Scutiferi Papæ 429. honoris 430
Scrutinium in electione 293
Secretarii & Advocati Pontificis 707
Secundicerius 25
Securitas ſive apocha procuratoribus rerum eccleſiaſticarum data 163
Sedi Apoſtolicæ hodie auferuntur multi honores 748
Senator cedit Legato Cæſaris 430. 445
Sermones habituri 713. in capella Pontificis 714
Servi Eccleſiæ: præcepta de donando puero 161. de concedendo puero 162. præceptum libertatis, quo jura ingenuitatis conceduntur 165. privilegium de concedendo puero in monaſterio 182
Servientes armorum 674
Severinus Papa 98
Simonia damnatur 132
Sixtus IV. electus, nondum erat Epiſcopus 304. inveſtit Præfectum urbis 380. benedixit enſem 385. 408. 433. 470. 519. 592. 616. 774
Sixtus V. 767
Solidi aurei Romani valor 159
Spiritus S. de Patre & *Filio* procedens 62. 79
Stephanus Monachus 71
Stephani Pontificis conſtitutio de electione Pontificis 284
Subdiaconi Apoſtolici 430. 703
Symbolum Apoſtolicum 61. quale olim fuerit Romæ 213
Symmachus ſtatuit, vivo Pontifice non eſſe de Succeſſore agendum 282

Syno-

Synodale, quod accipit Epiſcopus 113

Synodicæ Pontificum 217. quando cœperint ibid. ad quos miſſæ 219. quid continuerint 220. Synodica Gelaſii I. 220. Pelagii I. 222

T.

Theodoſius Auguſtus 63

Theodulus Perſa 72

Tiara Pontificis 431. 730

Titulus domini 18. Piiſſimi, Sereniſſimi 19. ſervi ſervorum Dei ibid. ſtrenuitatis 160. experientiæ tuæ 161. Excellentiæ 772. Celſitudinis Regiæ 772

Tituli Cardinalium 405

Tobalea 512

Tonſor Papæ 429

Tractoria Notariis Eccleſiæ Romanæ dabantur 157. etiam pœnitentibus peregrinantibus datæ ibid. Jac. Gothofredi ſententia de illis rejecta 156

Traditiones Eccleſiæ ſe ſervaturum promittit Pontifex 55

Trinitatis perfectiſſima expoſitio 62

U.

Unio Eccleſiarum 119

Urbani V. electio 290. Agnus Dei ad Urbanum V. mittitur 393. 628

Urbanus VI. 628

Urſini familia Romana 338

V.

Vacante ſede Pontificia, adminiſtratio temporalium, & urbis ac Romanæ Curiæ eſt penes ſacrum collegium 277

Valiſarii 429. 432

Velſerus (Marcus) 762

Veneto Legato prælatus Sabaudicus 750

Vexilla S. Georgii Suevorum, & aquilæ præferenda Imperatori in urbis ingreſſu 339

Vexilla Pontifici die coronationis præferenda 322. univerſæ Eccleſiæ ibid. rubra 430. 436

Vexillorum benedictio & traditio 387

Vica-